








D. MARTINI LUTHERI

EXEGETICA OPERA
LATINA

CURAVIT

DR. HENRICUS SCHMIDT,

SCHOLAE LATINAE ERLANGENSIS PRAECEPTOR.



VOLUM. XXIII.

CONTINENS SCHOLIA IN ESAIAM PROPHETAM

CAP. XLII—LXVI,

ET ENARRATIONEM UBERIOREM

CAP. IX ET LIII ESAIAE.

ERLANGAE ET FRANCOFURTI AD M.

SUMTIBUS C. HEYDERI ET H. ZIMMERI.

MDCCCLXI.

Erlangae, Typis Junge et Filii

In

Esaiam Prophetam

Scholia.

Cap. XLII—LXVI.

Caput quadragesimum secundum.]

[Audivimus hactenus copiosam tractationem justitiae fidei, quae quamquam infirma est in hac carne, tamen opposuit eam omnibus pompis idolorum et humanae justitiae, quod scilicet opera Dei stant et durant, et verba Dei certa sunt et fiunt. Electissima autem gentium, idolorum et justitiariorum esse abominationem dicit. Jam*) igitur redit ad Christum, quasi dicat: Ostendam vobis, in quo ista, quae jam praedicavi, cumulatissime inveniatis, Christus **) is est. Hunc igitur proponit doctorem, magistrum, ac rectorem, quem audiamus, et in quo haereamus. De cujus verbo et opere simus certissimi.

Ecce servus meus***).

Hoc diligenter observandum est, quod servum dicit, quemadmodum Paulus****) etiam: Ego nihil

---

*) Summa Cap. 42. **) In Christo omnia copiosissime *inveniri.* ***) *Enarrat. Cap. 42.* ****) 1. Cor. 2.

scio, quam Christum (non dominum), sed crucifixum. Ita enim debemus eum excipere, tamquam servum *), offerentem nobis divinum verbum, recipientem in se peccata nostra, subeuntem pro nobis poenam, quam ipsi eramus meriti. Sed contempta est servi species, quare eum Judaei non receperunt, et ipse Christus praemonet nos, Beati, dicens, qui non offenduntur in me**).

Simul autem hoc nomine omnia ministeria, studia et opera tolluntur et damnantur, quod solus hic Christus sit servus Dei. Impia[1]) ergo servitus est monachorum et totius papatus, qui extra fiduciam hujus servi servire se Deo suo vitae genere, vestitu, jejuniis, clamore, et aliis nugis jactant.

Suscipiam eum.

Ego sustento eum, quiesco in eo, sicut Paulus***) dicit, quod tota divinitas in Christo sit corporaliter. Quare hunc Dei servum audire, eique credere debent omnes. Solus hic servus, qui tam ampla testimonia habet, certos nos de bona patris voluntate facere potest. Huic si crediderimus, nos quoque servi et electi coram Deo[2]) efficiemur, quamquam sint in hac carne reliquiae peccati et summa infirmitas.

Judicium gentibus proferet.

Erit alia persona, quam Moses, qui in angulo

*) Christus servus accipiendus. **) Matth. 11. ***) Coloss. 2.

1) In ed. 1532: impius. 2) In ed. 1532 desunt vocabula: coram Deo.

Judaico latuit, hic enim sparget judicium*), hoc est, evangelii verbum in gentes errabundas et variis sectis et cultibus idolorum implicatas. Mosi[1]) autem verbum sterile erat, et habebat ipse blaesam linguam. Hujus autem lingua diffusa est gratia, quare verbum quoque efficax erit. Vocat judicium, quod evangelium simpliciter damnat omnem justitiam, et solius Christi justitiam commendat et offert. Quia autem haec verbo tantum fiunt, ideo scandalosa est doctrina, et contemnitur hoc regnum.

Non clamabit, neque accipiet personam.

Verte: Non clamabit, nec vociferabitur, non audiri faciet in platea vocem suam, id est, Christus**) docebit, sed sine clamore, non erit tumultuosus praedicator, sed placidus et suavis. Non audiri faciet vocem suam, id est, irae et turbae vocem, sed gratiae vocem audiri faciet, sicut jam addit.

Calamum quassatum non conteret.

Hic describit Christum***) gratissimis figuris, quod sit medicus perturbatarum conscientiarum, qui concussum calamum, hoc est, sauciam conscientiam, pusillanimes, exterritos conspectu peccatorum suorum, infirmos in moribus et in fide non abjiciat, non opprimat, non damnet, sed foveat, sanet, et amanter complectatur. Hujus rei cum per totam scripturam plurima exempla sint, tamen in historia evangelii****) plura et longe suavissima sunt. Vide

*) Vocatio gentium. **) Suavitas Christi. ***) Graphica humanitatis Christi descriptio. ****) Lucae 7.

1) In edit. 1532: implicitas. Mosis.

Petrum ter negantem Christum, vide reliquos apostolos turpiter deserentes Christum. Hos non objurgat acrius, non persequitur, non damnat Christus, sed suavissime allicit, medetur eorum pavoribus, et fratres etiam appellat. Vide mulierculam adulteram, Joannis 8, vide peccatricem mulierem, vide latronem in cruce, et cernes, quomodo concussum calamum non frangat, sed erigat et confirmet. Hoc non faciunt justitiarji, imo quanto illi diligentiores in suis superstitionibus sunt, tanto acerbius exigunt easdem ab aliis, nulla ratione infirmitatis aut conscientiarum habita.

Linum fumigans non exstinguet.

Commode videntur mihi haec distingui*) posse, si prius ad conscientiam et hoc posterius ad morum infirmitatem referas. Sicut sunt quidam iracundi, praecipites, leves, suspicaces etc., maxime autem, quos passionatos vocarunt, Hos, inquit, non abjicit Christus. Sic videmus in evangelio illam in Christo χρηστότητα, quod discipulos mirabiliter nonnunquam ineptientes suavissime fert. Sic Paulus**) etiam praecipit: Alter alterius onera portate. Si igitur vides iracundum, suspicacem, levem aliquem fratrem, sic cogita: Hoc onus fratris mihi portandum est, quem non debeo rejicere, dum Christum confitetur. Debebat quidem fratrum vita candida et jucunda esse, sicut lux, sed nonnunquam a satana, nonnunquam a carne commoventur ad

---

*) Discrimen inter calamum quassatum et linum fumigans. **) Gal. 5.

tristitiam, ad iram, ad morositatem, ibi ferendi*) sunt, ibi non est exstinguendum linum, sed fovendum etc.

Diversum faciunt superstitiosi et justitiarii**), qui ita morosi sunt, adeo acerbe de aliis judicant, ut quantum in ipsis est, prorsus exstinguant linum. Christianus autem debet in conscientia esse medicus, foris autem in externis moribus debet esse asinus, qui ferat onera fratrum. Adversarii nostri, sicubi leviter a nobis peccatum est, exclamant statim: Haeccine vita evangelica? hiccine Christiani mores sunt? Stulti homines et imperiti sacrarum literarum non vident hanc Christianorum***) legem esse, ut ferant infirmos fratres]. Quorsum autem eo praecepto esset opus, si omnes essent perfecte sancti? [Ergo necesse est in ecclesia sancta esse infirmos, et tales, quorum factis offendamur, sicut in corpore humano non ossa tantum, sed etiam infirma et mollis caro est. Quare regnum Christi constat ex portantibus et portatis. Et vita nostra est compositum quiddam ex fortitudine et infirmitate.

In veritate educet judicium.

Oblique adversarios et hypocritas notat. Illi enim cum audiunt hanc debere inter Christianos χρηστότητα esse, Ubi ergo, inquiunt, manebit mortificatio carnis, si sic ad vitia fratrum connivendum est? Dicit igitur: Christus in veritate educet

---

*) Infirmi ferendi. **) Justitiarii acerbi in alios. ***) Christianorum lex ferre infirmos.

judicium. Vos jactatis mortificationem, et simulatis bona opera, sed affectuum mortificationem prorsus nescitis, aliter Christus docebit suos, qui mortificabunt pestem illam, praesumptionem et philautian. Si autem in reliqua vita obrepit nonnunquam peccatum, habent orationem dominicam, qua exposcunt veniam, et remittetur eis.

Ut ponat in terra judicium.

Ipse statuet hoc regnum, ut sit firmum, quantumvis satan per principes mundi subvertere id conetur, significat enim verbo, statuendi, crucem.

Haec dicit Dominus.

Hactenus commendavit nobis Christum, idem autem nunc quoque facit, nisi quod sermonem jam ad ipsum magistrum et ducem nostrum convertit. Sunt autem omnia illa: Ego dominus te vocavi, ego apprehendi manum tuam etc. exclusive accipienda, quod nullus alius quam hic Christus*) noster doctor esse debeat, sicut in evangelio etiam dicit: Hunc audite. Et haec quoque ratio est, quod jactat potentiam suam, ut scilicet pondus aliquod in verbis esset, et nos ab aliis doctoribus audiendis vel sequendis absterreret.

Ego Dominus vocavi te in justitia.

Epitasis est in vocabulo justitiae, id est, vocavi te ad docendam justitiam, et propagandam**).

---

*) Praeter Christum nullus audiendus doctor. **) *Munus Christi* praedicare justitiam.

Quare extra Christum nihil est nisi peccatum. Moses et omnes leges, omnes doctrinae in mundo, praeter hanc Christi doctrinam, nihil faciunt ad justitiam, quae coram Deo valet.

Ego apprehendi manum tuam.

Ideo videlicet, quia resistet tuo ministerio satan et mundus cum omni justitia, potentia, et sapientia sua. Hoc experiemur[1]) hodie. Quadrigae enim Dei sunt salus, sed in luto aquarum, Abacuc. 3. Consolatur autem nos hic locus, quod manum Christi apprehenderit Deus. Hoc igitur primum statuamus, quod haec doctrina, propter quam mundus nos odit, Christi sit. Hoc cum certum est, non fallet nos propheta, sed experiemur, quod Deus manum Christi apprehenderit, et verbum evangelii nullis consiliis, insidiis, nulla vi nec dolo poterit deleri. Sed non apparet haec apprehensio manus. Fit igitur, ut adversarii hanc doctrinam opprimi posse confidant, et nos per infirmitatem nonnunquam trepidemus.

Dedi te in foedus populi.

Ubi ergo manet foedus Mosi et legis? Sic uno verbo haurit, et abrogat totam legem cum omni justitia, cultu et operibus suis. Facit autem hic locus ad stabiliendam conscientiam. Quia enim nihil pestilentius est, quam scrupulus conscientiae et dubitatio, ideo dicit Christum*) esse foedus nostrum, ut simus certi de primo praecepto, quod Deus in Christo et per Christum vult no-

*) Christus abolita lege novum foedus constituet.

1) *In edit. 1532 legitur: experimur.*

ster pater et Deus esse, quod Christus debet foedus et pignus gratiae esse, non aliqua nostra bona opera etc.

Et lumen gentium.

Non est foedus gentium, Christus enim Judaeis tantum promissus est, et fuit minister tantum circumcisionis. Sed ex illo foedere, ex ministerio illo lux in gentes spargitur. Simul observa hoc loco exclusivam, quod extra Christum*) nullum foedus, nulla lux est, sed caecitas, et inimicitia erga Deum, et ira Dei.

Ut aperires oculos caecorum.

Ergo omnes, ad quos Christus venit, eos invenit caecos, id est, sine cognitione Dei, vinctos et incarceratos a satana, morte, peccato et lege. Hoc hyperaspistae liberi arbitrii, hoc papistae non credunt, hoc rident Luciani religionis contemptores. Ergo extra evangelium nihil sunt nisi tenebrae, et carcer, ut, etiamsi habeamus aliquam cognitionem, tamen vincti eam sequi et facere non possimus.

Ego Dominus, hoc est nomen meum.

Iterum jactat majestatem et divinitatem suam. Scit enim spiritus sanctus: quod hunc ducem Christum**) maxime oderit mundus. Cur enim tot ordines inventi, tot opera excogitata, tot monasteria et collegia exstructa sunt, quam ut obscuraretur Christus, quem

---

*) **Extra Christum nulla neque lux neque salus.**
) ***Mundus odit* **Christum.**

totus papatus extreme odit et persequitur hodie? Quare opus fuit hac commendatione.

Gloriam meam non dabo alteri.

Hic aperte facit exclusivam, et damnat quidquid non est Christi verbum aut opus. Neque enim puto prophetam loqui de divinitate, sed simpliciter de officio et opere Christi, ut intelligas gloriam justitiae, quasi dicat: Gloriam meam non dabo alteri, hic solus Christus*) justitia tua erit. Qui igitur in hoc Christo fide non haeserint, illi injusti sunt et damnabuntur, etiamsi occidi se patiantur et sanctissime in speciem vivant. Huic uni Christo tribuo gloriam meam, ut justificet credentes in ipsum. Nulla igitur alia creatura, vel in coelo vel in terra, nullum aliud opus ad justitiam proderit.

Hic vides blasphemam doctrinam**) esse, quae justitiam operum docet. Et nihil aliud est sperare, se operibus justum fore, quam velle Deum esse et affectare divinitatem. Hanc blasphemiam sequitur casus Luciferi. Quare piae mentes hic bene sibi prospiciant. Quod autem justitiam gloriam vocat, tangit quasi acu cor justitiariorum, quod maxime in omnibus suis operibus et studiis quaerant gloriam. Sic Paulus***): Volunt vos circumcidi, ut in carne vestra glorientur.

Et laudem meam sculptilibus,

Quemadmodum hodie operibus, votis, castitate, simulata paupertate, missationibus et aliis nugis sa-

---

*) **Solus Christus justitia nostra.** **) **Blasphema doc-***trina justitiam operibus tribuens.* ***) **Galat. 6.**

lutem et justitiam quaerunt, ita temporibus Esaiae cultu sculptilium, excelsis, lucis, et aliis similibus abominationibus justificari se credebant. Ideo facit mentionem sculptilium*). Idolatria enim semper fuit in mundo[1]), sed aliis temporibus alia forma. Porro tu accomoda haec ad omnes formas papatus. Deus gloriam et laudem suam non dabit impio sacrificio missae, non sordido cucullo, non stultae rasurae capitis, non vanis regulis Benedicti, Dominici, Augustini etc., non monachatui, non castitati, non paupertati, non obedientiae, in summa nulli operi et nulli creaturae.

Cantate Domino canticum novum.

Agit jam infirmo illi et stulto Deo coram mundo gratias**) pro tantis beneficiis, quae hactenus praedicavit, simul indicat, quod nullus alius Dei cultus externus in novo Testamento sit, quam gratiarum actio. Et quia dicit: Cantate novum Canticum, abrogat omnem illum veterem cultum Dei, qui in lege fuit. Finium autem terrae et insularum ideo meminit, ut reprehendat Judaeos, qui putabant Deum nusquam nec debere nec posse coli, quam in Hierusalem, quasi dicat: Religio non est amplius ulli vel loco, vel tempori, vel personae alligata; evangelium***) enim praedicabitur in omnem terram, et Christiani omnes erunt sacerdotes,

---

*) Sculptilia nostrae aetatis. **) Gratias agit, et cultum Mosaicum abrogandum praedicit. ***) Evangelium in omnem terram praedicandum.

1) In ed. 1532 haec leguntur: Idolatria semper fuit *mundo, sed etc.*

et sacrificabunt oblationes spirituales, sicut dicit Psalm. 110, hoc est, sacrificium laudis. Id enim est canere, laudare, praedicare, scribere, legere beneficia Christi.

Clamate, villae, quas habitat Kedar.

Significat Arabes orientales, ut sunt Ammonitae et Nabathaei, et alii. Hi omnes, inquit, laudabunt Deum pro verbo evangelii, quod pertinget et perveniet in quaecunque loca, culta et inculta, munita et non munita.

Ponent Domino gloriam.

Laudem Dei canent, et damnationem sui, hoc est, suorum operum, propriae justitiae et sapientiae.

Dominus sicut fortis egredietur.

Haec nomina: fortis, gigas, vir, bellator, zelus etc. significant crucem*). Ergo hoc regnum Christi est in medio inimicorum positum, ut cogatur Dominus exire tamquam bellator, resistitur enim ei et opprimitur vi per tyrannos, et dolo per haereticos. Evangelion igitur, si speciem consideres, est miserabile et non gloriosum. Et cantare, de quo hic dicit, simillimum est ejulatui et fletui gementium et afflictorum, nihilominus confirmat et consolatur lugubres cantores suos, et infirmas mentes, ut sustineant crucem, certo fore, ut divinitus ab omnibus malis liberentur.

---

*) *Consolatio adversus crucem.*

Tacui, semper silui.

Hic describit opera hujus gigantis, quod scilicet omnes nostros adversarios funditus exstirpabit. Porro verba illa: tacui, silui etc. indicant nullum apparere auxilium*), sed omnia desperata esse, perinde atque si Deus cum inimicis nostris contra nos sentiat. Illa autem est infirmitas Christi, qua elati impii gravius in ipsum impingunt, ut cogatur crudeles et impios eorum conatus reprimere et dissipare. Clamat quidem, cum premuntur pii, sed ejus vox est quasi parturientis, contemnitur, neque putatur posse resistere? Verum Christus tum est potentissimus, cum minimum posse judicatur, et tum proxime adest auxilium, cum longissime putatur abesse.

Porro debebant haec nos consolari et erigere, ne desperemus, cum videmus ecclesiam extreme periclitari, ut vicina sit exitio. Debet enim haec ejus esse facies, sicut hic describitur, ut sit quasi parturiens, contra quam triumphet totus mundus, debet redigi in periculum interitus, et tamen non interire.

Dissipabo et absorbebo simul.

Christus**) infirmus in ipso articulo infirmitatis maxime metuendus est. Quare pii etiam in ipso articulo infirmitatis et oppressionis fidere debent, contra impii in ipso articulo triumphi et victoriae metuere. Sunt autem haec in verbo fidei posita, re non apparent, imo contrarium apparet.

---

*) **Dissimulatur piorum liberatio.** **) **Christus in infirmitate metuendus.**

Desertos faciam montes.

Sunt allegorica. Montes sunt omnes, qui eminent in mundo justitia et sapientia, imprimis autem significat incredulam synagogam, florentem religione, sapientia, promissionibus et exemplis patrum. Gramen potest accipi pro discipulis, arbores pro prophetis, vel commodius fortasse est, si accipias gramen pro verbo Dei et simplici scriptura, quam hodie Judaei et papatus amiserunt. Stagna sunt populus abundans successu. Videmus haec adhuc hodie in Judaeis, et omnibus aliis hostibus Christi. Ubi hodie est Arius, ubi Manichaeus, ubi alii haeretici? Idem autem fiet de iis, qui hodie verbum et sacramenta Christi profanant.

Et educam caecos in viam, quam nesciunt.

Caecos vocat pios credentes, qui nullum nec auxilium neque consilium in caligine et afflictione vident, quibus nullus malorum finis apparet. Verbum*) igitur apprehendunt, illud in tenebris lucet, ducit eos in via, quam nesciunt, hoc est, in fide futurarum ac non apparentium rerum, et consolatur et erigit infirmas mentes, ne desperent. Est autem hic insignis locus, qui maximam doctrinam continet, quod in omnibus periculis, in omnibus calamitatibus, in omnibus tentationibus debemus simpliciter claudere oculos, et sequi verbum**). Qui enim in periculis videre volunt, et circumspiciunt remedia et consilia, hi dolorem dolori addunt, et nihil aliud faciunt, quam ut se frustra fatigent

*) Verbum apprehensum lucet caecis. **) Clausis *oculis sequendum verbum in omnibus periculis.*

et sint bis miseri. Alia via est proposita, qua in mediis periculis vivamus, ut claudamus oculos, et credamus, etiamsi nos caeci simus, tamen Deum non esse caecum, sed videre exitum tentationis, sicut dicit. 1. Corinth. 10.

Etiamsi igitur in profundo maris esses, sicut Jonas, tamen Deus viam et modum videt, quo te educat. Quis enim Jonae dedit viam, erat non solum caecus, sed in duplicibus tenebris. Sic nos quoque debemus caeci esse, et nihil videre, ut ipse solus omnia videat. Ideo vult nos fieri similes puerorum. Adversarii autem et omnes impii non sunt pueri, ideo habent oculos apertos, varias semper vias et modos cernunt et quaerunt, quibus nos opprimant. Nos autem caeci sumus, ut ipse dominus noster Christus det nobis intellectum, et firmet oculos suos super et in nos. Sicut fecit hoc nostro tempore saepe. Defendit nos ab omnibus periculis, quae, his annis plurima sunt in nos excogitata [1]), tot comitia principum turbavit, in quibus de nostris cervicibus inita sunt consilia.

Et sane Augustana haec comitia*) quid aliud erant quam tenebrae, in quibus caeci errabamus? Positae autem sunt tenebrae coram nobis in lucem. Idem porro etiam fiet, modo firmi in fide et verbo perduremus. Exemplum hujus caecitatis in Israelitis ad mare rubrum propositum est, ubi simpliciter pereundum erat, et tamen servati sunt.

Porro non solum in corporalibus malis hoc consilium sequendum est, ut claudamus oculos,] hoc

*) Augustana comitia Anno 1530.

1) *In edit. 1532*: in nos sunt excogitata.

est, ne fatigemus nos carnalibus consiliis, sed rem Deo committamus, [sed multo etiam magis in spiritualibus tentationibus*). Tentatus igitur a satana, cum nullum evadendi modum sentis, simpliciter claude oculos, et nihil responde, et commenda causam Deo. Atque haec summa Christianorum sapientia est, quam etiam in hora mortis sequi debemus. Ibi trepidat caro, quod in novam vitam immigrandum sit, et dubitat de salute. Has cogitationes si sequaris, periisti. Claudendi igitur hic quoque sunt oculi, et cum sancto Stephano dicendum est: O Jesu, in manus tuas commendo spiritum meum, et tum certo aderit Dominus Jesus cum angelis suis, eritque tibi dux viae. Hoc est quod dicit: Ponam eis tenebras in lucem. Fides enim haec lux est, quae apprehendit verbum, ut ita emergamus[1]) ex omnibus periculis. Ideo Petrus quoque et David lucernam pedum appellarunt verbum**).

Conversi sunt retrorsum.

Rectius disponuntur hae sententiae sic: Sed qui confidunt in sculptili et dicunt conflatili: Vos dii nostri, illi convertantur retrorsum, et confundantur confusione. Est clara sententia: Qui non volunt Christo***) credere et claudere oculos, illi debent videntes perire. Exempla hodie videmus.

Surdi audite, et caeci intuemini.

Est increpatio incredulorum Judaeorum****).

*) In omni genere tentationum claudendi oculi. **) 2. Pet. 1. Psal. 119. ***) Non credentibus in Christum pereundum. ****) Judaeorum caecitatem increpat.

1) *In edit. 1532 legitur: et emergit ita ex etc.*

Loquitur enim hic de aliis caecis quam supra. Vocat caecos per exprobrationem. Habetis prophetas, habetis suaves et opulentas promissiones, sed caeci estis, estis surdi, negligitis verbum, et quidvis potius quam verbum auditis et videtis, cum tamen omnis piorum sapientia in verbo et auditu sit posita etc.

Quis caecus nisi servus meus.

Servos*) suos vocat pontifices et sacerdotes, et qui erant in officio verbi, de his dicit, quod sint caeci. Est horrendus locus, qui tamen nos consolatur contra papistarum insanos clamores, qui nullo alio argumento perinde nos premi putant, atque cum objiciunt multitudinem episcoporum et pontificum, quos impossibile sit omnes errasse. Idem licuit Judaeis, sicut vides ex hoc loco, contra Esaiam dicere], nam illi quoque erant positi, ut essent duces populi, habebant officium et administrationem populi sancti, et certiora argumenta habebant, quod essent ecclesia et populus Dei, quam nostri adversarii, et tamen dicit textus, eos esse caecos et errare. [Erratum est hic in versione. Sic enim legendum est: Quis adeo surdus est, ut meus nuncius, quem ego mitto? quis adeo caecus est[1]), ut is qui perfectus est? Vocat autem perfectum, non a persona, sed ab officio, quod in summo sint gradu dignitatis et officii, scilicet, in ministerio verbi.

Qui vides multa, nonne custodies?

Hic apertius describit quales sint, garruli vide-

*) Servi pontifices et ii caeci.

1) In ed. 1532: Quis adeo est caecus.

licet et promptuli ad docendum, qui multa docent, et tamen re vera nihil docent. Quidvis potius credunt et tradunt, quàm doctrinam fidei. Videre enim significat docere, praedicare. Hinc videntes, id est, prophetae. Simile est quod sequitur: Qui apertas habes aures, et non audis. Qualis enim praeceptor, talis discipulus. Sic Paulus*): Semper discentes, nunquam ad scientiam pervenientes. Sumus autem hoc in papatu experti. Doctorum satis magnus erat numerus, abundabant quoque auditores, et tamen in tanta doctorum et auditorum copia quis fuit, qui unum versum psalterii, unum praeceptum decalogi, unam dominicae orationis partem recte[1]) teneret? Horrenda autem ingratitudo est, quod horum omnium obliti nihilo excitatiores sumus ad verbum Dei, quod nunc tam[2]) opulenter in nos sparsum est.

Et Dominus voluit, ut sanctificaret.

Verte sic: Complacuit Dòmino in justitia sua, ut magnificaret et extolleret legem. Ipse autem populus etc. ut sit idem cum illo Christi, Matth. 11: Gratias ago tibi, Pater, quod abscondisti haec a sapientibus et intelligentibus, et revelasti ea parvulis. Agit enim de reprobanda justitia humana et statuenda justitia Dei**), quasi dicat: Deus non ideo abjecit synagogam, quod delectetur errore, sed delectatur justitia sua, eam non potest magnificare, non potest

*) 2. Tim. 2. **) Justitia legis abroganda, ut fidei constituatur.

1) In edit. 1532 deest: recte. 2) In edit. 1532 deest: tam.

statuere, nisi confundat justitiam operum. Non potest non[1]) gentes justitia sua justificare et salvare nisi eos, qui gratuitam justitiam respuunt, perdat, ut retrolabantur offensi et pereant. Delectatur igitur in justitia sua, ut magnificet legem, id est, ut novam quandam et admirabilem legem faciat, scilicet legem fidei*) (abrogata illa veteri Mosi lege), qua justificamur sine ullis meritis et operibus, sola fide, quae Christum et gratiam per Christum datam apprehendit etc. Qui hanc novam fidei legem nolunt, sunt populus direptus et vastatus, hoc est patent lupis et seductoribus, qui eos diripiunt et depraedantur.

Quare diligenter articulus justificationis**), quem nos soli hodie docemus discendus et retinendus est. Hoc enim amisso nulli haeresi, nulli falsae doctrinae quantumvis ridiculae et vanae resistere poterimus, sicut sub papa accidit, ubi ea credidimus quorum nunc nos pudet pigetque. Rursus si manserimus in hoc articulo, securi sumus ab haeresibus, et retinemus remissionem peccatorum, quae infirmitatem morum et fidei condonat. Non autem opus est ad hunc locum prolixiore commentario tantum respiciamus ad papatum, et videamus, quid istic creditum, quid factum, quid passum sit, et apparebit direptio, vastatio, laquei, domus carcerum et alia.

---

*) Lex fidei. **) Articulus justificationis diligenter docendus.

1) In ed. 1532 legitur: nos.

Quis est in vobis qui audiat haec.

Est ceu querimonia*), qua eos excitare nititur: Dolet mihi, quod frustra haec vobis dicuntur, quod nemo est, qui credat his. Cogitur igitur Deus punire vos, qui oblatam gratiam respuitis, imo etiam persequimini. Loquitur autem potissimum de ultima Judaeorum et synagogae destructione, et respicit in tempora Christi, cujus justitiam impia synagoga contempsit.

Quis dedit in direptionem Jacob.

Avulsi a fide expositi sunt direptioni et omnibus calamitatibus et erroribus**). Non igitur virtute diaboli, sed [1]) permissione irati et punientis Dei fit, quod haeretici tot discipulis abundant***). Retundit autem praesumptionem Judaeorum, qui non credebant se puniendos, quod essent populus Dei. Addit igitur: Nonne Dominus, de quo scilicet praesumitis vos?

Et effudit super eum indignationem.

Scilicet, qui gratiam, quae per Christum offertur, noluerunt. Nota emphasin, effudit****), non stillavit, sed cataractis irae obruit] eos, sicut adhuc videmus in Judaeis, qui absurdissima docent et

---

*) Querela de paucitate credentium evangelio. **) Poena contempti verbi. ***) 2. Thess. 2. ****) Effundere indignationem etc.

1) Ed. 1532 sic pergit: sed voluntate punientis Dei fit, quod etc.

credunt, et pleni sunt omni genere horribilium blasphemiarum. Idem in Papistis quoque cernitur, qui manifestam veritatem et confessam tamen crudeliter oppugnant.

[Et forte bellum.

Scilicet, per lupos, haereticos et cacodaemones, quod ex uno errore in alium labuntur. Quod addit: non cognovit, significat nondum revelatum esse].

Caput quadragesimum tertium.

[Pergit*) consolari ecclesiam ex reliquiis synagogae congregatam, quae discedens a lege justitiam fidei, quam propheta varie hactenus tractavit, secuta est. Quemadmodum autem supra ecclesiam contra privatas et publicas tentationes, in quas satan et mundus eam conjicit, consolatus est, ita nunc proprie eam consolatur contra scandalum paucitatis**). Nam et Paulus***) in hoc argumento multum sudat, quod absurdum videtur, Deum totum populum abjecisse, et paucos quosdam eosque contemptissimos elegisse, praesertim cum toti populo sint factae promissiones, et terret exemplum infirmas mentes. Cum enim vident synagogam abjectam, putant eadem ira contra se quoque usurum[1]).

---

*) Summa Cap. 43. **) Consolatio contra scandalum paucitatis. ***) 1. Cor. 1.

1) In ed. 1532 legitur: putant eadem re erga se quoque *Deum usurum*.

Et nunc haec dicit Dominus, creans te Jacob*).

Sunt ardentia verba, quibus consolatur ecclesiam suam, et imprimis apostolos cum reliquiis Judaeorum. Ego creavi, ego firmavi te, noli metuere, quidquid doces, facis, credis, donum et opus meum est. Ego redemi te captam sub Mose et lege]. Hoc oppone illorum argumentis, qui te creaturam diaboli et seditiosam appellant, [Haec autem tum demum erunt gravia, cum personam loquentem considerabis.

Vocavi te nomine tuo.

Discernit synagogam ab ecclesia, quasi dicat: Separavi te ab incredula synagoga in novum fidei populum.

Mons[1]) es tu.

Accipio te in meam possesionem, ut meum sit quidquid tu es et facis, sic cum ecclesia docet, baptisat, Christus docet et baptisat. Cum patitur, Christus patitur, sicut est in Actis**): Saule, quid Me persequeris?

Cum transieris per aquas.

Sunt insignes consolationes, quas generaliter accipio de omnibus tentationibus. Non est, quod cogites te solam et desertam esse, ego tecum ero in omnibus malis, consolabor, confirmabo et defen-

*) Enarrat. Cap. 43. **) Acto. 9.

1) Edit. Jenensis affert: meus es tu.

dam te. Ecclesia*) igitur, ubicunque est, patitur. Inde facile liquet, papam cum suis non esse ecclesiam, quia nullam norunt crucem, praeter temporalem. Significat autem obscure etiam propheta studium et satanicum impiorum odium, quo in ecclesiam ardent, quod cupiunt et conantur eam tamquam diluvio obruere, et tamquam incendio haurire totam. Sed habemus hic contra tales minas insignem consolationem, fore ut servemur, etiamsi nulla usquam evadendi appareat via, et sane haec promissio omnia adversariorum consilia irrita fecit, dissipavit tot comitia, etiam illa proxima Augustana**), quibus nihil videbatur formidabilius. Si autem firma fide in hujusmodi promissionibus haeserimus et addiderimus orationem, sentiemus porro etiam tutos nos ab omnium injuriis fore.

Quia ego Dominus Deus tuus sanctus.

Addit: Ego sum sanctus Israel, quasi dicat: Sum idem Deus, qui semper fui, non sum mutatus, sicut tu judicas. Tecum sum, non cum incredula synagoga. Nam quod apostoli discedunt a synagoga, habet speciem apostasiae et seditionis. Sentiunt enim se esse populum Dei, et synagogam non esse populum Dei. Hic necesse est saepe tentari animum: Quid si erres? Quid si tu sis abjectus, et illi servati? Neque enim verisimile est, Deum tantam multitudinem abjicere, et duos vel tres piscatores pluris facere, quam totum populum. Sicut nunc nobiscum accidit. Nos discedimus

*) Ecclesia vera semper est subjecta cruci. **) Augustana comitia.

a papa [1])] ideo, quia verbum negat et persequitur, ac gloriamur [nos Christi ecclesiam esse, papam autem cum suis antichristi ecclesiam esse. Judicamur igitur seditiosi et haeretici] a papa, ut qui nos diviserimus ab ea ecclesia, in qua baptisati et instituti sumus, [sed nostra non est culpa, nos non discessimus ab eis, ipsi potius [2]) discedunt a nobis, imo ejiciunt nos et verbum nostrum ex sua ecclesia. Hic necesse est nos quoque concludere, quod sanctus Israel nobiscum sit et non cum papa *).

Dedi propitiationem tuam Aegyptum.

Ad faciendam fidem repetit praeterita beneficia. Illa grandis mutatio synagogae et ecclesiae perinde est atque si alius nunc sim Deus atque olim fui. Sed noli offendi, pusille grex, sum enim ille idem Deus, qui saepius in hostes tuos poenam averti, quam tu eras meritus, et dedi tuo loco hostes tuos. Idem nunc quoque faciam, quantumvis adflictus et pusillus grex sis. Nihil igitur te neque tua paucitas, nec hostium multitudo offendat. Cum enim illi videbuntur te direpturi, diripientur et perdentur ipsi. Porro Seba metropolis Aethiopiae est.

Ex quo honorabilis factus es.

Dicit Ecclesiam gloriosam**). Ubi? Coram me. Nam et conscientia nostra, et res ipsa, et to-

---

*) Sanctus Israel nobiscum est, non cum Papa. **) Ecclesia coram Deo gloriosa.

1) Edit. 1532 sic pergit: et dicimus nos Christi ecclesiam *esse etc.* 2) *Edit.* 1532: sed ipsi.

tus mundus dicunt contrarium. Quare cum videmus desperatam rerum faciem, quod nihil in toto orbe nobis est vilius et contemptius, quod ipsi nostris et aliorum peccatis gravamur, quod sumus infirmi in fide et moribus, quod etiam in fratrum nostrorum oculis sordemus aliquando, cum habent quod in nobis reprehendant. Cum haec, inquam, videmus, sunt avertendi oculi ab externa specie, et in hujusmodi promissiones conjiciendi, quae nobis ostendunt, non quid mundus, vel fratres nostri, vel nos ipsi de nobis sentiamus, sed quid Deus de nobis adflictis peccatoribus sentiat, quod scilicet quantumvis abjecti in mundo, quantumvis desperati peccatores in nobis, quantumvis infirmi in fratrum oculis simus, tamen simus honorabiles et gloriosissimi coram eo, qui hic loquitur etc. Atque haec quidem externa facies *), quae nobis apparet, est vera mortificatio, vera humilitas et contritio.

Ego diligo te.

Faciunt omnia ad consolandum inenarrabilem [1]) illum gemitum cordis, de quo Paulus ad Romanos dicit: Ego diligo te (dicit), hoc est, si sensum tuum et externam faciem sequaris, ego videor vehementer odisse et damnare te. Ita enim dicit conscientia mea] in tentatione, [et sentit Deum esse carnificem et tyrannum. Quare discere debemus, ne judicemus ex nostro sensu, sed ex verbo Dei.

Et do homines pro te.

Contrarium est verum, si sensum sequaris. Soli

*) Externa facies ecclesiae.

1) *In edit.* 1532 est: memorabilem.

enim Christiani affliguntur, alii florent incolumes. Est autem generalis promissio. Cum alii homines te justiores, potentiores, sanctiores etc. videbuntur, tu autem ab omnibus tamquam mortuum 1) et haereticum membrum damnaberis, erige te et respice ad me, quod coram me es gemma pretiosa, quod glorificaberis, et homines pro te dabuntur.

Noli timere, quia ego tecum sum.

Pergit consolari ecclesiam *), quae paucitate credentium, et multitudine incredulorum perturbatur. Noli metuere, inquit, eris foecunda et multos habebis filios. Ab oriente adducam semen tuum etc., id est, ex omnibus mundi partibus. Ubique erunt, qui meum nomen profitebuntur et religionem meam. Quod autem addit imperativa illa verba: Noli prohibere etc., obscure significat, quod impii vi et dolis obnituntur, ne ecclesia augeatur et verbum latius evulgetur. Cujus rei exempla plura hodie videmus quam vellemus.

Et omnem qui invocat nomen meum.

Verte: Omnes qui vocantur nomine meo. Est autem quasi definitio Christiani. Habent enim nomen a Christo, et vocantur nomine Christi, non suo. Quare etiam Christi justitia aliquid sunt, et non suis operibus aut studiis.

In gloriam meam creavi eum.

Erat antea natus ad gloriam suam quaerendam,

---

*) Ecclesia foecunda est et multos habet filios.

1) In edit. 1532 legitur: putidum.

jam autem postquam per spiritum sanctum nova creatura est factus, nihil agit, nihil patitur, nihil audit, nihil dicit, nisi quod referat in gloriam Dei. Sic damnat evangelium omnia humana studia et opera, et praedicat unius Christi justitiam. Qui igitur omnia haec ex corde potest dicere, facere, et vivere, ille est creatus in gloriam Dei, et est nova creatura Dei. Porro mundus diversum hic quoque judicat, et appellat pios facturam diaboli, damnat tamquam haereticos, quare opus est hac consolatione. Si quis vult curiose tria haec verba distinguere: creare est ex impio pium facere; formare est donis spiritus sancti ornare, fide scilicet, quae sola format novam creaturam, facere est absolvere opus, ut omnia, quae dicit et facit Christianus, sint opera Dei], et Deo placeant. [Sic totus Christianismus extra nos est positus, in justitia Christi et misericordia Dei.

Educ foras populum caecum.

Provocat justitiarios sicut supra], ac vocat caecum populum, [quod de nulla re sint certi, quod nihil certi nec praedicere nec docere possint[1]).

Vere vos estis mei, dicit Dominus.

Ad apostolos proprie loquitur, quos consolatur et confirmat*), ne illo scandalo offendantur, quod tam pauci sequuntur Christum, et maxima pars populi abjicitur[2]). Nolite, inquit, offendi paucitate

*) Consolatio et confirmatio omnium piorum verbi ministrorum.

1) In ed. 1532 haec sunt: quod nihil certi praedicere et nihil certi docere possint. 2) In ed. 1532 legitur: *sequantur* — *abjiciatur*.

vestra. Estis enim testes mei et verborum meorum. Meum verbum est, quod docetis. Ergo est certum, nec est quod putetis me alium nunc factum Deum esse, quod verbum legis abrogavi, et evangelium praedicari jussi. Vestrum verbum et doctrina vestra mihi placet. Incredulae synagogae doctrina non placet. Est magna consolatio apostolorum et episcoporum. Sed quemadmodum in superioribus, ita etiam hic contrarium coram mundo apparet. Damnatur enim nostra doctrina tamquam haeretica et invisa Deo.

Et ego Deus, et ab initio ego ipse.

Omnia ad consolationem ecclesiae, ex reliquiis Judaeorum et gentium constitutae, dicuntur, ne putet alium nunc Deum*) esse atque olim fuit, se enim non esse mutatum, sed verbum tantum mutatum esse. Quemadmodum autem veteri populo adfuerit, ita se quoque novo populo adfuturum, tantum ne desperent, aut a verbo evangelii deficiant moti scandalis evangelii.

Et non est in vobis alienus.

Scilicet Deus, quasi dicat: Si hoc verbum evangelii amplexi fueritis, nolite dubitare, quin habeatis et colatis verum et unicum Deum, qui semper fuit. Judaei enim, quia promissiones carnaliter accipiunt, cum vident Christum in tanta infirmitate apparere, concludunt: Aut hic non est Christus, aut Deus non est Deus. Promisit enim alium

*) *Eundem esse Deum omnibus et immutabilem.*

Christum, non crucifixum, sed gloriosum. Contra has impias opiniones confirmat piorum animos hoc loco*).

Vos testes mei.

Repetit, quasi dicat: Sic obfirmate corda vestra, et credite, vos esse populum meum, et me vestrum esse Deum, quantumvis reclamet synagoga, et se populum meum esse dicat, vosque tamquam apostatas et haereticos damnet.

Non est qui de manu mea eruat.

Sum idem Deus, qui semper fui, quare vos populum meum quantumvis paucos et contemptos servabo ac defendam, adversarios autem vestros damnabo et perdam, ut non possint impedire vos spargentes verbum meum in totum orbem. Significat enim hic multos populi sui adversarios esse, contra quos promittit defensionem**).

Haec dicit Dominus redemptor.

Pergit in amovendo scandalo mutati Dei et religionis, et probat a factis prioribus***), se eundem esse Deum, qui semper fuerit. Ego, inquit, sum idem ille Deus, qui dedi Cyrum, ut vos liberaret. Ego idem ille sum Deus, qui Pharaonem mersi in mari rubro, et vos incolumes per mare traduxi. Porro obscurat hunc locum temporum ratio. Loquitur enim tamquam constitutus in novo Testamento,

*) Confirmat animos adversus impias opiniones. **) Promissio defensionis adversus hostes ecclesiae etc. ***) Exemplis eorum fidem confirmat.

et recolit beneficia veteris Testamenti, et reductionem per Cyrum factam, tamquam praeteritam commemorat, cum tamen longo tempore post Esaiam sit facta.

Proprie autem significavit his exemplis cogitationes impiae synagogae. Sic enim dicebant: Ego Deum patrum meorum sequar, qui nos ex Aegypto et ex Babylone reduxit, Christum non sequar. Respondet igitur Christus *): Ego ille ipse sum, qui omnia illa feci, credite igitur in me, neve putetis me alienum esse Deum, sum redemptor vester, qui in cruce mea morte vos redemi a servitute peccati et mortis. Sum sanctus Israel, qui sanctifico credentes, sicut Paulus vocat ecclesiam, sanctificatos in Christo Jesu, 1. Cor. 1.]. Si igitur in Deum creditis, in me quoque credite.

[Propter vos misi in Babylonem.

Futuram historiam tamquam praeteritam recitat, loquitur enim ad ecclesiam novi Testamenti. Ego sum, inquit, qui excitavi Cyrum, ut Babyloniorum monarchiam destrueret, et vos reduceret. Porro continet hic locus theologicam sententiam, quod regnum Assyriorum non propter sua peccata solum sit destructum, sed maxime propter populum Dei liberandum. Cyrus igitur cum universa sua monarchia minister et servus populi Dei fuit **). Sic Romanum quoque regnum servivit ecclesiae sub Augusto, ut pace parta libere in omnes populos

*) Christus Deus populum ex Aegypto eduxit. Johan. 14.
**) Monarchae ministri populi Dei.

spargi evangelium posset. Magna haec ecclesiae est dignitas, quod tantos monarchas servos habet. Sed quis hanc gloriàm videt? Est enim abscondita ab oculis mundi.

Vectes vocat principes monarchiae Assyriorum, quos Cyrus oppressit.

Quis dedit in mari viam?

Ego sum, qui vos incolumes per mare rubrum traduxi; et mersi Pharaonem hostem vestrum, perinde ac si quis candelam in aqua exstinguat.

Ne memineritis priorum.

Hic concludit*). Cum ergo ego Christus idem sim Deus, qui omnia haec feci, relinquite legem, amplectimini novum evangelii verbum, et credite vos verum Deum, qui ab initio fuit, habere et colere. Est autem apertus locus de tota lege abrogata, una cum sacerdotio et regno legis. Porro promissiones, quamquam in lege sint, tamen ad legem non pertinent. Ideo eas in novo Testamento non abrogat, sed exhibet et implet per Christum filium suum.

Ponam in deserto viam.

Aperui olim viam in mari, idem nunc faciam, ut sentiatis me eundem Deum esse, sed nova ratione et modo novo faciam. Ecclesia habet viam in deserto, varie enim vexatur a carne, satana et mundo, in arido ambulat, esurit, sitit sicut est 1. Cor. 4. Hoc mare, hoc desertum Ecclesiae**) est, in quo

*) Conclusio, ut relicta lege evangelium amplectantur.
**) *Mare et desertum Ecclesiae.*

ambulat, et tamen invenit viam per mare, perrumpit enim per omnia illa mala divina virtute. In deserto invenit aquam. Consolatur enim et confirmat eam Christus spiritu et verbo suo. Bestias agri vocat principes mundi, quorum multi convertentur. Notabis autem quod non dicit, se velle auferre bestias agri et desertum, sed promittit fore, ut in illis habeant consolationem et successum, et perrumpant per medias tribulationes.

Populum istum formavi mihi.

Hic incipit distinguere populum a populo, et Judaicum populum ab ecclesia fideli, abrogans simul omnia veteris Testamenti sacrificia, et constituens nova*). Illa vestra sacrificia, inquit, fuerunt praeludia futurorum, nec justificabant. Vera autem sacrificia, quae ego probo, illa sunt: Laudem meam narrare, me praedicare. Id quod fieri non potest, nisi vos et omnia vestra studia damnetis etc. Mira in singulis verbis est emphasis. Est populus, qui non se format, sicut justitiarii, sed formatur a Christo, et formatur non ad suas laudes, sed ad laudem Christi. Ea sunt vera sacrificia, praedicare Christum, et laudare eum, damnare nostram justitiam, et studia nostra. Hoc verum est holocaustum, hoc est mactare bestias, et igni penitus abolere, ut nihil supersit nostrarum virium et studiorum.

Non me invocasti etc.

Pronomen Me et Mihi per totum hunc locum

*) Discrimen utriusque populi et sacrificiorum veteris et novi Testamenti.

diligenter observandum est. Invocastis, laborastis, sacrificastis etc. sed non Mihi. Omnia enim opera, quantumvis divinitus praecepta et sancta sint, si fiant cum opinione justitiae, sunt impius cultus*). Quare subinde repetit pronomen cum negatione, Non Mihi. Idolatria enim est sperare ex operibus justitiam, quae per solam fidem in Christi mortem contingit. Quid igitur ad hunc locum dicent papistae, si non profuerunt ad justitiam cultus divinitus institutus et opera divinitus mandata? quid proderunt ordines monachorum? quid cucullus? quid missa? quid vota? quid omnes totius papatus stultissimae nugae, quas sine verbo Dei susceperunt? Desperata caecitas est, si non ad hunc locum obmutescunt, et agnoscunt errores suos.

Adipe victimarum tuarum non inebriasti me.

Id est, non possum placari ullis tuis studiis, nulla tua opera mihi satisfaciunt.

Veruntamen servire me fecisti.

Rectius vertes: Laborare me fecisti. Est insignis locus, quod universae justitiae legis, omnia, quantumvis magna, sancta, speciosa opera, nihil prosint ad justitiam coram Deo consequendam, sed sint tantum peccata, pro quibus satisfacere et laborare Christum necesse fuerit**). Haec autem nostra est justitia, quod Christus laboravit. Atque hic

*) Impias opiniones de operibus legis damnat. **) Non opera, non legis observatio, sed Christus solus nostra justitia.

unus articulus est nostrae fidei et religionis, quem totus mundus ignorat. Omnes enim aliae doctrinae ita judicant, eum debere puniri, qui peccavit. Hic autem articulus diversum docet, nempe quod nos peccemus, et alius pro peccato satisfaciat, et peccati poenam in se recipiat*), sicut Joannes dicit[1]: Agnus Dei qui tollit peccata mundi. Nulla igitur nostra poena satisfacit, ne quidem pro minimo peccato, sed unius Christi supplicium pro omnium peccatis satisfecit.

Haec doctrina quia dissentit a ratione, ideo tot sectae, tot satisfactionum genera, tot opera reperta sunt, quibus homines pro suis peccatis satisfacere conantur, sed frustra. Quare hic locus diligenter cognoscendus est. Continet enim maximos nostrae fidei articulos. Dicit se esse cultum a populis, ergo significat se esse Deum. Dicit item se laborasse, ergo est factus homo et mortuus pro peccatis nostris**). Non tamen superatur, sed tantum laborat, ergo resurgit a morte etc.

Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me.

Est textus non solum didacticus, sed et confutatorius. Continet enim gravissimas antitheses. Ego, Ego, non tu, Propter me, non propter te aut opera tua, sic abrogat omnia opera et studia, quibus volunt homines delere peccata***).

---

*) Nos peccamus, Christus plectitur. **) Mors Christi satisfactio peccatorum. ***) Christus solus abolet peccatum, idque propter se, non hominum opera.

1) *In edit. 1532 est: dixit.*

Narra, si quid habes, ut justificeris.

Provocat justitiarios, qui operibus legis se justificari confidebant. Agite, si aliam rationem, qua justificemini, novistis, afferte eam. Quod enim jactatis, illa vivendi instituta et leges vos a patribus accepisse, nihil moror. Fuerunt enim et patres vestri peccatores. Quia igitur aliam justitiam statuitis, ideo vos cum omni vestra justitia et operibus vestris abjiciam. Idem dicit, quod est in Actis*): Non est aliud nomen sub coelo, in quo salvamur. Quidquid igitur produxeris ad justitiam tuam stabiliendam praeter Christum et sine Christo, hoc damnatum, impium et blasphemum est**).

Pater tuus primus peccavit.

Non accipio de Adam, et de peccato originis sed generaliter singulare pro plurali accipio, ut confutet commune omnium seculorum argumentum, quod objiciunt nobis autoritatem patrum, sicut hodie dicunt: Ego sequar majorum meorum fidem, num tot seculis errasse, et viam veritatis tot sancti viri ignorasse videntur? etc. Patres tui, inquit, etiam erraverunt].

Est autem hic locus bene signandus. Ita enim fere accidit, ut posteri imitentur larvam patrum et non res seu fidem patrum***), sicut videmus, quam magnum scandalum sit secutum exemplum Abrahae

---

*) Acto 4. **) Non opera, sed Christus unus et solus ad justitiam sufficit. ***) Patres, quod et ipsi peccaverunt, non esse imitandos. Patrum fidem imitandam.

de immolando filio. Intuebantur enim in ipsum opus, mandatum autem, quod opus praecesserat, et fidem, qua mandatum exsequi volebat Abraham, non intuebantur. Amiserunt igitur nucleum, et putamen nucis retinebant, sicut etiam faciunt nostri papistae, qui regulas et ordines patrum praedicant et postea ex magna et singulari sapientia pronunciant non fuisse eos malos homines, sed dignos, quorum vitam ipsi quoque imitentur. Fidem, quae debet eadem esse in omnibus sanctis, et verbum, quod est dux fidei et magister, negligunt.

Interpretes tui praevaricati sunt in me.

Loquitur de doctrina et institutis vivendi, Omnia, inquit, docent praeter nucleum in lege, hoc est, promissiones in Christum, occupantur autem interim illa externa larva operum et sacrificiorum, sic utrosque damnat et doctores populi, et patres, qui instituerunt eos.

[Principes sanctos.

Sanctos vocat sicut Rom. 9, quorum adoptio gloria, testamentum, lex, cultus, promissiones, quorum patres, ex quibus natus Christus secundum carnem etc.

Dedi ad anathema Jacob.

Hoc est simpliciter abjicere populum cum tota lege, et toto cultu legis], quod omnis eorum doctrina et vita sit confusio et abominatio coram Deo, et non justitia sicut ipsi videri volunt. Idem hodie dicimus de papatu.

Caput quadragesimum quartum.

[Tribus superioribus capitibus tractavit justitiam fidei. Addidit varias ejus justitiae et evangelii praedicationes, item confutationes justitiae propriae, tum consolationes piorum, et minas contra impios, qui contra hanc justitiam pugnant. Postremo totam legem cum sacerdotio et regno abrogavit. Jam*) igitur totum hunc locum, quasi epilogo claudit, quasi dicat: Ut summatim dicam, hac justitia servari nos necesse est, aut cum impiis peribimus. Sicut autem in epilogis solet, addit exhortationes et consolationes. Promittit enim ecclesiae semen et posteritatem].

Audi Jacob serve meus**).

Loquitur ad populum evangelii electum de synagoga, vos qui estis de isto populo servi, hoc est, credentes seu fidei obedientes, qui etsi ab aliis excommunicati estis, tamen mihi servitis et grati estis, Audite.

[Effundam aquas super sitientes.

Confitetur ecclesiam esse sitientem et aridam, quia est in perpetuo aestu, nec videt nisi sui damnationem et ignominiam. Dicit igitur: noli timere, obruam te foecunda pluvia, ut proveniat tibi copiosum semen. Dabo spiritum sanctum, qui consoletur te, et riget, ne desint posteri, qui evangelium latius spargant]. Est enim consolatio ***), ne eccle-

---

*) Summa Cap. 44. **) Enarrat. Cap. 44. ***) Consolatio et promissio propagandi evangelii.

sia desperet in praesenti adflictione, sed speret Deum daturum numerosam posteritatem, etiamsi diversum minetur mundi et satanae ira. Nam spiritus sanctus non discedit a verbo, sed per verbum est efficax.

[Germinabunt.

Respicit ad primum psalmum], erit copiosa benedictio ecclesiae sicut herba in pratis, salicés mirae foecunditatis sunt, significat igitur per eas vim benedictionis, quod verbum prosperabitur contra omnem vim mundi.

[Iste dicit, Domini ego sum.

Sunt distributive accipienda. Christiani erunt per totum orbem dispersi, quasi dicat: Hic et istic et ubique erunt Christiani.

Hic vocabitur nomine Jacob.

Est clarissimus locus de vocatione gentium, quod sint aequandae Judaeis et filiis Abrahae, eorumque nomine appellandae. Oportet enim intelligi locum de illis, qui ante non vocabantur Jacob, nec sunt ex[1]) carne Jacob nati, sed ex gentibus. Sunt autem hujusmodi loci diligenter observandi, in quibus promittitur translatio nominis, gentilitatis et hereditatis, quod sint Jacob, non solum quibus facta est promissio, sed etiam gentes. Sic etiam Psal. 87: De Zion dicet homo, et homo natus est in ea. Dicit enim eo in loco de gentibus, Tyro,

1) In edit. 3521 est: de carne — de gentibus.

Sidone, Aegypto etc.]. Est autem hic unicum scandalum synagogae, quo offenditur et a Christo deficit, quod gentes sint aequandae ipsis.

[Scribet manu sua Domino.

Id est, confitebitur Dominum, ita ut nihil inter gentes et nos Judaeos intersit. Sicut dicit Petrus in Actis*): Deus nihil discrevit inter eos et nos.

Ego primus et ego novissimus[1])].

Haec est altera pars, confutatio scilicet adversariorum, ne putent Judaei Christum novum et alium Deum esse, quasi dicat: [Nolite offendi, quod abjiciam legem et populum legis. Sum enim idem omnipotens Deus, qui fui ab initio.

Plastae idoli omnes nihil sunt.

Ridet jam idolatras ad confirmandos et animandos pios**), ut cogitent scilicet, ex[2]) quantis erroribus sint liberati, et Deo pro tanto beneficio agant gratias. Sic nos quoque confirmamur in nostra doctrina, cum subit animum illa papisticae religionis impietas et stultitia. Quare male illi nobis consulunt, qui nolunt monstra papatus pro concionibus exagitari. Hoc enim agit satan, ut sublatis illis abominationibus e medio nos per speciem religionis ad papatum reducat. Prodest igitur, monstra monastica***), satisfactiones, missationes, pur-

---

*) Acto. 15. **) Confirmantur piorum animi ad agendas gratias. ***) Monastica monstra.

1) In edit. 1532 horum verborum enarratio sic incipit: Est simile superiori. Nolite offendi etc. 2) In edit. 1532 *deest: ex.*

gatorium, invocationem sanctorum, apparitiones daemonum, et alia portenta semper ob oculos esse, ut animus odio occupatus non redeat ad priorem impietatem. Eo enim consilio Esaiam quoque hoc loco commemorare idolatrarum studia videmus, et excitamur simul, ut gratias Deo pro summo hoc beneficio agamus, quod a tanta impietate liberati in evangelii lucem traducti sumus.

Notabis autem quod addit: Amantissima eorum sunt nihil, hoc est, optima eorum opera*), quae faciunt in idolatria, sanctissima studia, quibus tribuunt vitam et salutem suam, illa sunt nihil. Quemadmodum autem Esaias haec de idolatris sui temporis dicit, ita nos ad nostra tempora accommodare hunc locum debemus, quod pulcherrima opera papatus, ut sunt missae, orationes, vota, castitas, paupertas etc. non solum non justificent, sicut ipsi opinantur, sed damnent etiam ac perdant], quod partim per se sint impia sicut missa, partim propter impiam opinionem additam.

[Non autem formatores solum idolorum, et opera eorum damnat, sed hoc etiam addit, quod testes eorum sunt caeci et nihil videant, hoc est, quod omnis eorum doctrina vana, incerta et noxia sit, sicut Paulus**) etiam dicit: Nescientes de quibus affirment. Hebraismus est videre pro praedicare, docere. Concludit igitur et pronunciat de omnibus religionibus, et studiis, quae sunt extra fidem in Christum, quod finis eorum sit confusio. Miserum igitur est tot labores subire, tot opera instituere,

---

*) *Opera idolatrarum vana et irrita.* **) 1. Tim. 1.

ex quibus nulla alia utilitas redeat, quam confusio aeterna.

Quis formavit Deum?

Est insultatio[1]) et increpatio eorum, qui non formantur a Deo, hoc est, non volunt justificari ex gratia, sed formant ipsi sibi Deum, id est, justificare se volunt operibus et studiis suis. Sic omnis monachus*) est formator Dei, quia fingit sibi Deum, non ex verbo, sed ex suis cogitationibus, quod Deus delectetur hac regula, hoc vestitu, his votis etc. Sic omnes justitiarii formant sibi Deum, qui delectetur operibus, quae ipsi faciunt.

Ecce omnes participes ejus confundentur.

Omnes religiones, omnes justitiae, quae sunt extra justitiam gratiae, confundentur.

Fabri enim sunt ex hominibus.

Insigne epiphonema quod continet rationem superioris sententiae. Per fabros enim significantur justitiarii, qui se variis operibus discruciant. Quod autem alium lignarium, alium ferrarium fabrum fingit, indicat diversa esse justitiariorum studia**), quorum alius hoc, alius alio opere vult sibi Deum demereri. Omnes tamen hanc doctrinam fidei et gratiae oppugnant.

Imprimis autem observabis hoc loco, quod addit, ex hominibus. Continet enim principalem nostrae doctrinae locum, quod quidquid non est de-

*) Monachi idolorum fabricatores. **) Diversa studia justitiariorum.

1) In edit. 1532 legitur: consultatio.

finitum verbo Dei, est abominabile et diabolicum, si per id placare Deum praesumamus. Quare nihil debemus neque facere, nec docere, nec credere, nisi quod certissimo Dei verbo*) est mandatum. In iis autem, quae non sunt conscientiae nec pertinent ad justitiam coram Deo statuendam, tuto possumus sequi doctrinas hominum, ut in oeconomia et politia. Sapientia enim administrandi eas res nobiscum creata est, et pertinent eae res tantum ad corporalem vitam, sed conscientias regere non nisi verbo Dei possumus et debemus. Ideo damnat eos fabros Esaias, quod sint ex hominibus.

Porro copiosa et longa descriptio fabrorum ostendit miseriam impiae religionis, cujus fructus sunt laborare, fatigari, adfligi, et tandem post summos labores confundi]. Contra, nostra et vera religio, quae docet fiduciam in misericordiam Christi, illa pacificat corda nostra in judicio Dei, et praestat gaudium in spiritu sancto, ut gloriemur etiam in tribulationibus, quae aliunde accedunt. Sic dehortatur propheta ab aliis religionibus, quae nihil aliud faciunt, quam ut simul corpus et animam frustra fatigent et quo sunt strictiores, eo magis pavidos, sollicitos, et desperatos faciunt, et sicut mulier profluvio sanguinis laborans medicorum cura magis ac magis obruebatur morbo, ita quoque talibus studiis augetur malum, et corda subinde magis inquieta redduntur. Sicut sub papa experti sumus, ubi post satisfactiones, orationes, jejunia, missas, peregrinationes infinitas animi non acquiescebant, sed angebantur gravius. Solum autem ver-

---

*) *Nihil nisi praecepta Dei docenda.*

bum vere consolatur juxta id: Justificati per fidem pacem habemus.

[Curvatur ante illud, et adorat illud.

Stulta nobis et ridicula haec videntur, sed quid aliud facit S. Hieronymus, dum ὑποδουλία ligneam crucem adorari jubet? Quid aliud facit Franciscanus, qui putat se damnatum, si non cingatur fune, si non radatur capite, si non vestis sordida eum tegat? Facere igitur justitiam ex cingulo, rasura, veste, an non extrema stultitia est? Adorare ea, an non extrema est impietas? At negant se adorare, imo revera adorant, cum credunt: Deum illas nugas respicere, et placere Deo. Hoc autem est proprie contra primum praeceptum: Non habebis deos alienos. Credere enim quod hujusmodi operibus placetur Deus, est fingere et formare idolum, et id colere. Verus enim Deus is est, de quo scriptum est: Oculi tui respiciunt fidem.

Nescierunt neque intellexerunt.

Neque sciunt, quis sit verus cultus Dei, neque de cultu Dei judicare possunt*). At cogitare debebant, quemadmodum lignum, quod comburitur, non est Deus, neque justificat, ita nec reliquam ligni partem, ex qua idolum formatur, esse Deum. Sic monachus non cogitat, quod quemadmodum pannus in curru non justitificat, sic nec pannus cuculli justificet, quod sicut funis, quo alligatur equus, non justificat, ita nec justificet funis, quo se cingit. Tribuunt autem cucullo et funi justificationem, quia peccatum esse dicunt, Franciscanum**) sine cu-

*) *Caecitas* hypocritarum. **) Franciscanorum idolatria.

cullo et sine fune incedere], sic fune conscientiam regunt, quae solo verbo Dei regenda erat.

[Sunt enim[1]) hujusmodi loci ad nostrorum idolatriam accommodandi. Hoc enim propheta toto hoc loco agit, quod, quidquid extra fidem est, est idolatria, sive ferrea, sive lignea[2])]. Hujus autem idolatriae principium est, quod cogitamus Deum placari operibus nostris. Quare vera et unica religio*), unicus Dei est cultus, credere remissionem peccatorum gratuitam, sine operibus vel sequentibus vel praecedentibus, ex pura et mera misericordia, sicut dat solem et omnia alia bona quibus fruimur. Huic Deo faventi gratis et benefacienti sic credere est vera religio et justitia vera.

[Memento horum Jacob et Israel.

Vult remanere memoriam idolatriae apud posteros**), ut et gratias Deo agant, quod ex tanta impietate beneficio evangelii sint liberati, et discant timere Deum, qui nisi nos servet, facile est in eosdem errores relabi. Sic nullo modo oblivisci eorum convenit, quae impie in papatu et fecimus et credidimus. Quid enim stultius, quid magis contra Christi gloriam est, quam justitiam tribuere sordido cucullo? Et tamen ea opinio ita fixa fuit in animis hominum, ut etiam mortuorum cadavera cucullo in-

---

*) Vera religio et justitia. **) Abominationes non reticendae.

1) In ed. 1532 haec ita leguntur: Sic sunt hujusmodi etc. 2) Edit. 1532 sic pergit: Una igitur religio, unus Dei est cultus, credere remissionem peccatorum gratuitam sine operibus vel sequentibus vel praecedentibus.

voluta humarent. Ejusmodi sunt innumera alia, quorum utinam catalogus*) quidam texeretur. Pleraque enim talia sunt, ut apud posteritatem vix habitura sint fidem, et tamen ea nostra fuit stultitia, ut tribueremus eis opinionem justitiae et remissionem peccatorum.

Delevi ut nubem iniquitates tuas et quasi nebulam peccata tua. Revertere ad me, quoniam redemi te.

Hic tamquam fasce, repetit principalem hujus totius loci conclusionem, quod nulla religio, nullus cultus, nullus Deus alius remittat peccata, et redimat praeter unum Christum**), idque gratis. Est igitur insignis descriptio Christi et officii Christi, quod sit perpetuus sacerdos, placans nobis Deum, et delens peccata nostra, vincens mortem et infernum. Haec alia longe doctrina est, quam ut monachi et sophistae eam intelligant. Illi enim ex Christo judicem et carnificem conscientiarum faciunt. Inde tot meritorum, tot operum genera sunt reperta, quibus placari iratus judex possit.

Addit: Revertere ad me, quasi dicat: Officium meum***) est salvum facere, hoc feci, peccata, mortem, satanam et infernum in cruce devici, profligavi imperium legis. Jam tu quoque responde vicissim tuo officio. Accipe ea, quae tibi offero, convertere ad me redemptorem tuum. Sic revocat ab omnibus aliis doctrinis et religionibus] impiis, quae sunt contrariae huic doctrinae gratiae, quasi

---

*) Catalogus impiorum cultuum in papatu. **) Nullus *redemptor* praeter Christum. ***) Officium Christi.

dicat: distraheris in diversos affectus, ut avertaris a me, labora igitur ut convertas te ad me. Hoc convertere*) non est unius diei aut mensis, sicut sub papatu tempus quadragesimae erat, sed est, perpetuum officium populi Dei.

[Ridiculum autem est, velle ex hujusmodi locis efficere, quod sit in nobis vis convertendi nos ad Deum, sine gratia. Nam quibus Deus hoc suum verbum communicat, iis etiam facultatem dabit, ut verbo credant. Neque enim frustra et sine fructu docetur verbum Dei]. Sed spiritus sanctus**) adest verbo et per verbum corda movet ut credant. [Deinde hoc converti, de quo hic dicit propheta, non solum est fidei, sed et doctrinae, ut alios quoque convertamus, qui per impias doctrinas aversi sunt, ut exhortemur, ut consolemur desperabundas mentes etc. Est enim magni negotii hunc articulum justificationis retinere contra satanam, haereses et rationem nostram.

Laudate coeli, quoniam misericordiam fecit Dominus.

Postquam absolvit doctrinam gratiae et exhortationem, jam quoque gratias agit***) de tanto dono, id quod commode fit in epilogis. Quod autem Latinus vertit: Misericordiam fecit Dominus, in Hebraeo est: Quia Dominus fecit. Respicit enim ad superiora, quasi dicat: Solus Dominus est factor et creator. Quod Dominus dicit, hoc fit, promittit ju-

---

*) Conversio, de qua loquitur, quanti temporis. **) Spiritus sancti opera convertimur. ***) Gratiarum actio pro facta *redemptione et donato verbo.*

stitiam in verbo gratis, eam exhibet et donat. Idola autem et eorum doctores sunt vani nugatores. Si quid dicunt vel promittunt, non confit, sicut supra dixit: Finis eorum est confusio.

Notus Hebraismus est: Laudate coeli, id est, qui estis de coelo, vel sub coelo, ut si dicam: Laudet Albis Dominum pro dono verbi invulgati, id est], Wittemberga, vel [ii qui sunt ad Albim.

Haec dicit Dominus redemptor tuus.

Finita disputatione de fide in Christum et doctrina fidei, sternit sibi viam ad populum in captivitate Babylonica*) positum, qui erat per Cyrum liberandus, quasi dicat: Servate verba mea, quae dico. Sic fiet, ut praeter omnium opinionem liberemini per meam potentiam, utcunque alii me tamquam infirmum Deum rideant.

Formator tuus ex utero.

Hic vides liberum arbitrium]. Est autem hic scripturae mos omnia tribuere Deo, quod omnia, quae accipimus, sint nobis praedestinata ab utero, ne scilicet superbiamus.

[Ego sum Dominus.

Respicit idola. Confutat enim omnes contrarias religiones, ut dicamus: Deus Turcarum, Judaeorum, papistarum nihil facit. Noster autem Deus facit omnia. Hoc enim vult, cum dicit: Ego sum, et nullus mecum], ut scilicet[1]) probet singularita-

---

*) **Praedicit liberationem ex Babylone.**

1) In ed. **1534 est; ut S.**

tem suam et nos ab idolatria abstrahat, ut maneamus in veritate fidei.

[Irrita faciens signa divinorum.

Divinos vocat doctores aliarum religionum, qui non justitiam fidei docent, sed opera. Horum doctrinam significat et falsam et stultam esse. Talem nos experimur hodie papistarum religionem esse.

Suscitans verbum servi sui.

Sicut in principio dixit, ita etiam concludit: Verbum Domini manet in aeternum. Consilium vocat verbum evangelii, quo consulitur conscientiis. Sicut etiam supra nono capite Christum consiliarium vocat.

Qui dico Hierusalem, habitaberis.

Hic pergit ad Cyrum, et tanquam de praeterita re loquitur, quae erat futura. Ideo autem hoc vaticinium de Cyro proponit, ut consoletur pios, ne desperent de regno Christi futuro, quod his quatuor capitibus descripsit. Quia enim fere in nihilum redacturi Babylonii Judaeos erant, periclitabantur omnes promissiones de Christi regno, et cum per Babylonios regnum et sacerdotium Judaeorum una cum templo et civitate Hierusalem essent vastata, nulla spes erat de Christi regno. Promittit igitur se reducturum populum per Cyrum, et restituturum regnum cum sacerdotio, ut promissum Christi regnum populo incolumi exhibeatur.

Qui dico profundo, desolare.

Commendat suam potentiam generali dicto.

Allegorice tamen de rege Babylonio accipi pot(
Quemadmodum exsiccavi rubrum mare, ita eti
possum Tigrim et Euphraten exsiccare cum s
principibus.

Et omnem voluntatem meam etc.

Reducet Cyrus populum meum, et faciet iter
habitari Hierusalem].

Caput quadragesimum quintum.

[Hic incipit propheta*) de restituendis Juda
per Cyrum. Porro hoc admodum insigne et not
dignum est, quod Cyrum vocat messiam I
Messiae**) enim nomen generale est, et sign
cat regem, quod reges inungerentur. Quod aut
addit: Meo Messiah, hoc de nullo gentili rege le
tur. Quare libenter credam Cyrum sanctum fuis
ut reductio populi et restitutio regni et sacerd
fuerint fructus fidei.

Ut subjiciam ante faciem ejus gentes.**

Victoriae****) etiam gentibus de caelo dan
et constituuntur ac evertuntur regna divinitus, si
hic locus ostendit. Huc affer multas similes s
tentias ex Daniele. Porro Balteus significat, a
ministrationem regni.

Ut scias, quia ego Dominus.

Haec omnia tibi dabo, inquit, ut venias
cognitionem mei. Quae enim hactenus dixit, dixit

*) Summa Cap. 45. **) Messias nomen gener
) *Enarratio* Cap. 45. *) Victoria Dei donum.

Cyro abhuc incredulo]. Quamquam etiam sic accipi potest: qui vocavi te, id est, delegi te singulariter prae caeteris. [Magna autem res est et dignissima admiratione, potuisse eum credere in Deum Israel victum a Babylonio rege, quem tamen ipse Cyrus vicerat.

Propter Jacob servum meum.

Nota hunc locum, quod constituuntur et evertuntur regna propter pios.

Assimilavi te, et non cognovisti me.

Verte sic: Nominavi te, cum me nondum cognosceres. Sunt magna praeconia, quod victus a Babyloniis Deus Iudaeorum omnes has praeclaras victorias Cyro dederit, ut igitur eum confirmet contra hoc scandalum infirmitatis, addit:

Ego Dominus, et non est alius.

Quamquam triumpharint contra me Babylonii, tamen ego solus sum verus Deus, et non est alius Deus praeter me.

Formans lucem et creans tenebras.

Lucem et tenebras allegorice accipio pro successu et calamitate, quasi dicat: Si petitis pacem et liberationem, postulate eam a me. Sin metuitis calamitatem, me timete. Ego enim utrumque creo. Est necessaria haec jactatio potentiae contra scandalum infirmitatis. Fuit enim Deus Judaeorum tum tanquam blasphematum idolum inter gentes, quod non liberasset populum suum a captivitate, et non defendisset a vi, *quam impius* rex Dei populo at-

tulerat. Et hoc scandalum etiam pios animavit. Quare jam adhortationem instituit.

Rorate coeli desuper et nubes etc.

Celeber hic locus est in ecclesia papistarum, et illustre argumentum ignorantiae, quod ad beatam virginem eum accommodarunt. Nos autem scimus agi in hoc capite de promissa liberatione per Cyrum. Hic igitur locus mimiticus est. Dicitur enim in persona eorum, qui in captivitate erant, et continet inenarrabilem piorum gemitum, qui sentiebant se tantis malis premi ob peccata sua, quasi dicant: Ecce sumus privati sacerdotio et regno, templo et omni cultu Dei, translati sumus in gentes. Ibi respondent nobis peccata nostra, ea nos sic urgent, ut nulla salutis usquam spes sit. Nemo enim usquam est justus, qui placare tantam Dei iram possit], totus populus ita peccatis est obrutus, ut nulla spes sit liberationis.

Quare, o coeli, rorate vos et depluite justitiam, quae nisi desuper in nos effundatur, actum est. Utinam igitur [contingat[1]) nobis divinitus remissio peccatorum, et spiritus sanctus, qui nos perfundat gratia. Sic futurum esset, si primo sublata essent peccata, et reconciliatus Deus, ut reduceremur. Neque enim spes est fore, ut cesset poena, dum manet reatus et culpa*). Disrumpe igitur coelum, et descende, asperge nos justitia tua, et brevi fiet, ut restituamur etc. Est insignis locus, qui docet nos

---

*) Manente culpa non cessat poena.

1) Ed. 1532 sic pergit: Utinam igitur coeli rorent et depluant justitiam. Utinam contingat nobis divinitus etc.

de omnibus tentationibus. In omni enim calamitate et poena terremur peccatis nostris et ira Dei. Inde sequuntur hujusmodi suspiria, qualia hic propheta describit.

Facit autem gradus quosdam. Ros enim coeli est divinus favor, quo Deus suos complectitur et fovet. Hunc statim pluvia ex nubibus sequitur. Primum enim gratiae donum et opus est dare pios doctores, qui verbum pure doceant. Hoc cum fit, aperitur terra, hoc est, datur successus verbi, ut multi sint discipuli. Inde germinatur salus, hoc est, liberantur conscientiae, et tolluntur quoque plagae corporales, et oritur simul justitia, id est, sequuntur fructus digni illa praedicatione.

Ego Dominus creavi eum.

Gemitum et orationem populi captivi sequitur exauditio. Petitis justitiam et salutem, ecce ego Dominus creavi illa, et do vobis, tantum ne deficite fide, sperate, et liberabo vos. Haec est propria et germana sententia, quae nihil dissidet a praecedentibus et sequentibus. Inepti igitur sunt papistae, qui in templis de beata Maria haec legunt.

Vae qui dicit factori suo.

Hactenus de piorum affectu, nunc tractat alteram prosopopoeam, hoc est, impiorum personam, qui offenduntur in factis Dei, quod vident se habentes nomen populi Dei affligi, et Babylonios, impias gentes, florere, et miro successu frui. Incipiunt igitur cum Deo expostulare, quare id faciat. Est autem omnium longe periculosissima et maxima tentatio, disputare cum Deo, quare hoc vel illud sic faciat.

Propterea quod opera Dei sunt incomprehensibilia. Neque ulla ratio inveniri potuit, quare Deus totum populum una cum cultu et regno abjecerit et in impii regis manus dederit. Auget autem hanc cogitationem, quod vident totum mundum diversam religionem sequi, et abundare omnibus bonis.

Cogitant igitur infirmae mentes *), putasne Deum tot populos abjecisse, et nos, qui minima portio sumus, elegisse, praesertim cum res diversum clamet, et totus mundus nos desertos et abjectos a Deo nostro judicet. Haec cum spectantur, non tantum objective, sed etiam affective, hoc est, cum [1]) satan accendit corda suo habitu, nempe [2]) ira et odio contra Deum, fit ut victi animi diabolum pro Deo adorent, et Deum tanquam diabolum fugiant ac oderint. Hinc nascuntur voces illae: Maledictus vir, qui dixit patri meo, natus tibi est filius, item: Maledicta dies nativitatis meae**), item: Seduxisti me, Domine, et seductus sum. Eo usque enim prolabuntur animi ex hac cogitatione, quando de factis Dei disputant, quare hoc vel illud faciat. Quare dixi, summopere cavendum esse.

Non est autem alia ratio emergendi, quam simpliciter avertere oculos et mentem, et non admittere hanc quaestionem. Non enim potest comprehendi, et qui comprehendere volunt, praecipites in infernum merguntur, negantes Deum et omnia opera Dei. Propheta igitur monet suos, ne offendantur facto Dei***). Nolite cum creatore vestro expo-

*) Scandalum ex cruce. **) Hiob. 3. Jerem. 20. ***) Dei factis non deberi offendi.

1) In ed. 1532 est: quod. 2) In ed. 1532: hoc est.

stulare, inquit. Nolite quaerere, cur vos sic affligam. Estote patientes in praesenti, et nolite de futuro solliciti esse. Ego enim sum creator vester, qui omnia pro mea voluntate facio et guberno etc.

Ventura interrogate me.

Emphasis est in pronomine Me. Dicuntur enim haec in consolationem futuram eorum, qui in Babylonem erant transferendi, ut praeveniat eos promissionibus, ut certi sint se Deo curae esse, quasi dicat: Applicate aures vestras ad meum verbum, et secundum meum verbum judicate. In tribulatione enim [1])] non debemus sequi cogitationes et sensus nostros, sed verbum et promissiones. [Dicit igitur: A me postulate consilium et consolationem, ne confugiatis ad impia consilia vestra etc. Ad me convertimini et consulite verbum meum, et consolabimini, et scietis, non fore perpetuam hanc captivitatem etc.

Ego feci terram.

Mihi commendate causam vestram. Ego enim possum vobis ferre opem, estis opus manuum mearum, et filii mei; ego sum creator vester, servabo igitur vos, tantum ne desperetis. Dicuntur omnia ad consolandos eos, qui erant sensuri captivitatem Babylonicam.

Ego suscitavi eum in justitia.

De re futura tanquam de praesenti loquitur. Intelligit autem Cyrum*), eum suscitavit in justitia,

---

*) Cur Cyrus missus.

1) Edit. 1532 sic pergit: non sunt sequendae cogitationes et sensus nostri, sed verbum et promissiones.

id est, misit eum, ut restauret regnum et sacerdotium, et det justam administrationem populo captivo.

Labor Aegypti et negotiatio Aethiopiae.

Promitit Cyro imperium etiam in alias gentes, ceu praemium laborum pro beneficio reductionis. Laborem Aegypti vocat opes.

Te adorabunt.

Adorare significat gestum, non cultum divinum, sicut ii, qui adeunt principes, genua flectunt, honesta et civili consuetudine. Sic deprecari est supplicem fieri. Quod autem Latinus vertit, viros sublimes, in Hebraeo est, viri mensurae, non a quantitate, sed quod sint divites, opulenti ac potentes.

Vere tu es Deus absconditus.

Sunt verba prophetae, qui post hanc prophetiam in admirationem et stuporem vertitur, quod Deus mira ratione suos regat, gubernet et liberet.

Confusi sunt omnes fabricatores idolorum.

Consolatur per antithesin: O Israel, tu habes Deum verum, qui dicto et facto valet. Omnes alii dii, omnes aliorum deorum cultores confundentur. Sed sunt haec fidei verba, coram mundo contrarium est verum. Ideo vocat Deum Israel absconditum Deum.

Ipse Deus formans terram.

Hic facit fidem promissionibus, et confirmat piorum animos, ne dubitent de futura liberatione,

quasi dicat: Credite tantum verbo et promissionibus meis. Ego enim volo vos liberare, et possum vos liberare. Non creavi terram, ut vasta esset, sed ut habitetur. Et verbum meum est efficax, non fallet vos, sed dabit hoc quod promittitur. Porro intelligo hic non totum terrarum orbem, sed Judaeam, quae vasta erat, translato populo in Babylonem. Quid enim opus est promittere de terra, quae jam habitatur? Intelligit igitur vastam terram Judaeorum.

Ego Dominus, et non est alius.

Iactat potentiam suam, ut vilescat in captivorum oculis potentia Babyloniorum. Sum Deus, nemo quantumvis potens resistet, quominus fiant quae promitto.

Non in abscondito locutus sum.

Omnia pertinent ad confirmandas superiores promissiones de Cyro et ad erigendos animos captivorum. Promissiones meae, inquit, stabilientur, non enim loquor in ventum, loquor non in absconditum, seu in desertum, ubi nemo audit, sed ad homines, qui his promissionibus credant, apud quos verbum meum erit efficax, et certo fient, quae nunc de futura per Cyrum liberatione promisi.

Ego Dominus loquens justitiam.

Loquor justitiam. Loqui autem Dei est facere,*) sicut est in Genesi: Dixit et facta sunt. Dicit igitur: Hae meae promissiones constituent vo-

---

*) Loqui Dei est facere.

bis justam administrationem, ut restauretur regnum et sacerdotium, et praedicetur remissio peccatorum et poenarum.

Congregamini et venite et accedite.

Insultat Babyloniis, potissimum autem iis, qui praeerant sacris, quasi dicat: Haec ego praedixi et promisi, praedicite vos similia. Quod Latinus vertit; qui salvati estis ex gentibus, debet active legi: Salvatores gentium, ut sit ironia: Vos, qui praesumitis, qui jactatis, quod possitis salvare homines, hominibus consulere, opem ferre etc. Pertinent autem haec quoque ad consolationem piorum.

Nescierunt qui levant lignum.

Vestra doctrina nihil est, vestra religio, cultus vester, et justitia vestra nihil sunt. Nota epitheton, quod vocat, portantes, quasi dicat: Vestri dii tales sunt, ut ipsi eos portare, alere et fovere cogamini, alioqui jacerent. Sic regula Francisci, Carthusiani etc. est idolum, quod portare coguntur, per se non posset consistere, et nisi ipsi portarent, corrueret. Sunt enim hujusmodi loci generaliter accipiendi de omnibus idolatriis.

Observandum hoc quoque est, quod vocat: Deum non salvantem.

Quis auditum fecit hoc ab initio.

Hoc, id est, hanc prophetiam de Cyro.

Deus justus et salvans.

Haec opponit idolis. Justus, quod affert justitiam, salvator, quod salvat, donat remissionem pec-

catorum et gratiam, qua justificemur, et justificati liberemur ab omnibus malis, et ita salvemur. Haec nullus alius Deus, nulla alia religio, nullus cultus, et opus nullum potest.

Convertimini ad me, et salvi eritis.

Concludit hunc locum cum exhortatione. Quia ego ista praedixi, ergo ne sinatis me frustra loqui. Adhibete aures et cor vestrum, credite promittenti mihi, et omnia ista fient. Porro conversio haec fit fide. Verbum enim promissionis requirit fidem. Significat autem aversa esse corda, quia haerent in potentia Chaldaeorum, et in sua calamitate. Impossibilis igitur videtur liberatio, quare vult, ut avertant oculos a praesenti rerum facie, et in solum verbum respiciant. Porro hoc saepe antea admonuimus, quod omnis species in externa tentatione animo sit ejicienda, et nudum verbum *) sequendum, non considerata diversitate, quae est inter verbum et rem praesentem.

In memet ipso juravi, egreditur 1) etc.

Versatur propheta in generali sententia. Exhortatur enim post promissionem, ut ad se convertantur, et occulte a Cyro transit ad Christum. Ego, inquit, mittam aliquando verbum, ut omnia idola et omnes falsi cultus evertantur, et sublatis omnibus juramentis mihi soli juretur. Porro subitae hujusmodi transitiones crebrae sunt in prophetis. Verbum justitiae est evangelium, quod affert justitiam et remissionem peccatorum.

*) In tentatione verbum solum intuendum.

1) *In ed. 1532 legitur: egredietur.*

Hebraismus est, quod verbo jurandi utuntur pro praedicare. Juramentis enim praedicationes suas confirmare solebant.

Ergo in Domino dicet.

Haec est forma juramenti. Porro sic conjunge textum: Omnis lingua jurabit et dicet: In Domino habeo justitiam et fortitudinem etc. Sic simpliciter fides in Christum est justitia nostra *). Non in operibus, non in cultibus, et studiis nostris, sed in Domino], qui est fortitudo nostra, ut qui gloriatur in Domino glorietur **).

Ad eum veniet.

Lege: Qui tales sunt, ad eum venient, qui non tales sunt, quamquam jactant se synagogam vel ecclesiam esse, non venient ad eum, quia sunt alieni filii.

Et confundentur omnes qui repugnant ei.

Sic ubicunque est evangelium, necesse est esse inimicos evangelii. Sicut in Psalmis ***) est: In medio inimicorum tuorum ponam scabellum pedum tuorum, et Lucae. 2: Christus erit signum, cui contradicitur. Finis tamen adversariorum erit, quod confundentur. Est insignis locus. Hic igitur appendix est ceu allegoria historiae. Cyrus est Christus, Babylon est mundus, Hierusalem autem est Ecclesia.

Confractus est Bel.

Conjungemus haec quoque huic capiti. Pro-

*) Fides in Christum nostra justitia, non opera.
) *1. Cor. 1.* *) Psal. 110.

pheta enim suo more canticum et quasi epinicion addit, quo insultat Babyloniis. Incipit autem a destructione religionis, quam secuta est destructio politiae. Est autem sine dubio irrisus hic locus a Babyloniis, quod ea idola, quorum cultus tunc crescebat, cecidisse jactet.

Fracta sunt simulacra eorum.

Fuerunt aurea idola, quae Cyrus in Persas inter reliquam praedam deferri curavit. Ludit autem propheta, quasi dicat: Idola haec fuere antea oneri hominibus, nunc etiam bestias affligunt et onerant, quae ea deferunt in Persas, non sine maximo labore].

Caput quadragesimum sextum.

[Versatur adhuc*) in promissionibus et consolationibus, futurum ut Deus per Cyrum suos ex captivitate Babylonica eripiat. Loquitur autem ad eos potissimum, qui calamitatibus victi desperabant de reductione, et respiciebant jam ad alia praesidia et ad alios Deos. Sic enim solent homines calamitatibus fracti, dubitant[1]) se Deo curae esse, deficiunt igitur ad alios Deos; et quaerunt alia auxilia. Hos confirmat propheta, et vult eis persuadere, ut certo sentiant se Deo curae esse et ad tempus tantum affligi.

Continet autem hic locus magnificentissimam promissionem, in qua se tota misericordia effundit.

---

*) Summa Cap. 46.

1) In ed. 1532 est: et dubitant.

Sumus autem indigni, qui haec legamus propter incredulitatem nostram. Sic enim caro solet, cum calamitate aliqua premitur, sentit Deum iratum esse, et proponit sibi omnia horribilia exempla divini judicii, cum diversum potius faciendum esset, et aegrotus animus talibus promissionibus *) erigi deberet, quales hae [1]) sunt. Sic enim sunt distincta illa duo officia, quod petrae, hoc est, duri et securi debent conteri, contra linum fumigans non debet exstingui.

Qui portamini in meo utero**).

Suavissima figura est, quod dicit, eos portari a se in utero, et se esse matrem, quae portet eos ceu tenerum foetum in utero. Primum igitur commendat nobis Deus suum erga afflictos animum, se non tyrannum esse, non tortorem (quamquam ita appareat), sed matrem, quae sollicite curet, ne foetui concluso in uterum alicubi noceat.

Secundo admonet, quid nos simus, et quales esse debeamus, nempe foetus conclusus in uterum, qui nihil videt, nihil sentit, nihil curat, sed omnis cura est in matre, et quamquam habitatio angusta sit, tamen est mollis et bene munita. Sic admonet nos hac similitudine, ut in calamitate positi obmittamus curas nostras, ne sensu praesentium malorum avertamur ad alium deum.

Porro uterus Dei est verbum promissionis divinae, in quo portamur et formamur, sic Paulus***) se

---

*) Usus promissionum. **) Enarratio cap. 46. ***) 1. Cor. 4. Galat. 4.

1) *In ed.* 1532 *legitur:* hic.

Galatas et Corinthios genuisse verbo evangelii dicit. Non igitur debemus metuere, ne Dominus nos perdat, siquidem gestat in utero. Et foetus quamquam sit tenerrimus et infirmissimus, tamen non perit in utero. Hoc autem nostri officii est curare, ne nostro vitio ex utero excidamus[1]). Si enim in puro verbo manemus[2]), habemus Christum compatientem, sicut mater compatitur, cum enititur foetum.

Usque ad senectam vos portabo, et usque ad canos.

Primum portabo vos in utero, donec formemini, deinde postquam nati et formati estis, portabo etiam vos perpetuo successu, donec crescatis *). Sic mater gestat foetum in utero, infantem in gremio, puerum in dorso. Sic nos, qui sumus in gratia, perpetuo portamur. Sed sunt haec fidei verba, si res et externam speciem consideres, abjecti videmur.

Cui assimilastis me.

Loquitur de Judaeis in Babylone constitutis, qui, sicut initio dixi, calamitate impellente alienabantur a Deo, et quaerebant externa consilia et remedia. Cor enim in periculis naturaliter spectat auxilium, et calamitas creat Deum **). Hinc in partu, in naufragiis, in aliis periculis tot studia et impia vota sunt suscepta. Monet igitur eos: Quare me alium esse fingitis, quam sum? Nolite ad idola spec-

---

*) Ecclesia gestatur a Deo. **) Calamitas creat Deum.

1) In ed. 1532 est: cadamus. 2) Edit. 1532: manserimus.

tare, redite ad me Deum vestrum, qui volo et possum vos eripere, idola non possunt.

Portant illum in humeris gestantes.

Est stultus et infirmus deus, quem vobis fingitis, non portat vos sicut ego, sed portatur a vobis. Sic ridet eos, et increpat incredulitatem eorum.

Mementote istud et corroboremini.

Sic enim legendum est, non: confundamini. Alloquitur spiritus incredulos, et eos, qui suis studiis quaerebant se salvare. Quid vestris studiis vos quaeritis? inquit. Cur auxilium ab aliis diis exspectatis et petitis? Ego tanto ante promisi liberationem, ergo frustra sunt omnia vestra studia, et sola mea promissio liberabit vos, non idola, quae colitis. Sic vult revocare incredulos a suis studiis ad verbum et ad suam promissionem.

Corroboremini, id est, estote firmi, ne circumducamini ab[1] omni vento falsae doctrinae.

Recordamini prioris seculi.

Non puto eum loqui de miraculis in Aegypto, sed de promissionibus, quae proprie ad captivitatem pertinebant, quasi dicat: Tanto ante promitto liberationem, quae, cum continget, propter promissionem meam continget, non propter aliqua vestra opera.

Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet.

Per antithesin sententia explicanda est, quod

1) Edit. 1532: in.

nostra consilia et voluntas nostra non stabunt nec fient*), ut sic auferat a nobis omnem certitudinem, et referat eam in verbum suum, extra quod nemo potest esse certus de voluntate Dei, extra quod nihil ratum, firmum aut certum est, quidquid de Deo, et justitia coram Deo statuitur]. Porro haec certitudo et plerophoria nobis est necessaria. Singuli enim de suo officio et vitae genere certi esse debent**), quod Deo placeat, non propter personam, quae nunquam officio pure satisfacit, sed quod scimus esse opus obedientiae et involutum in verbum Dei, quod jubet, ut unusquisque vocationi suae serviat. Sed hic experimur mirabile artificium satanae, qui facit, ut illa opera non tam placeant, quae verbum probat, et de quibus certi esse poteramus, quam ea quae ipsi invenimus, de quibus non possumus esse certi, quia verbo carent.

[Vocans ab Oriente avem.

Cyrum avem vocat a celeritate]. Sic virum voluntatis suae vocat, qui suum consilium, id est, Dei efficiat, ut consilia hominum appareat esse irrita, Dei autem certa.

Et locutus sum.

Hanc copiam effundit divina majestas contra hoc obstipum et rigidum malum, quod nobiscum natum est, quod laboramus nobis nostris studiis mederi.

---

*) Dei consilium stat, nostrum cadit. **) Opera vocationis.

Caput quadragesimum septimum.

[Propheta satis luctatus est cum suis Judaeis idolatris, qui liberationem quaerebant per sua studia, contemptis promissionibus. Iam igitur ad Babylonios convertitur *), eisque minatur exitium. Omnia autem faciunt ad consolationem captivi populi, quem revocare conatur ad promittentem Deum, quasi dicat: Vos ideo non creditis promissionibus meis, quia insuperabilis Babyloniorum potentia vobis videtur. Agite, quantumvis invictos, praecipites dabo et perdam.

Audite me duri corde [1]).

Hic incipiemus caput 47**). Commodius autem sic [2]) vertes: Audite me superbi corde, qui scilicet contra me superbitis, et putatis me infirmum Deum, quod passus sum populum meum a vobis capi. Potissimum enim praesumtionem de religione et idolis tangit. Ideo addit, longe a vobis justitia mea]. Nam et Daniel aureum caput huic monarchiae tribuit, et Abraham in eadem religione Chaldaeorum vixerat, quare religionem potissimum jactabant Chaldaei.

[Prope feci justitiam meam.

Brevi Cyrus aderit, per eum dabo salutem populo, et restituam justitiam, reddam sacerdotium,

---

*) Summa Cap. 47. **) Enarratio Cap. 47.

1) In edit. 1532 legitur: Duro corde. 2) In edit. 1532 deest: sic.

regnum, et omnem Dei cultum. Alii malunt hunc locum de Christo accipere, ut sit transitio a corporali regno ad spirituale], et justitiam vocet, quam nos per Christum accipimus.

[Descende, sede in pulvere virgo.

Est poeticum schema, quo significat destructionem monarchiae Babyloniorum. Es in fastigio mundi, descende, redigeris in captivitatem etc.

Tolle molam et molae farinam.

Significatur hac figura extrema servitus. Minatur autem hic totus locus Babyloniis irreparabilem ruinam.

Denuda turpitudinem.

Verte sic: Dissolve fasciam tuam, et denuda plantam pedis, hoc est, amittes politiam, et omnem gloriam tuam. Idem sequentia significant. Voluit enim propheta claris et multis verbis suos consolari, futurum ut omnis potentia [1]), successus, et dominatio Babyloniis, qui eos captos tenebant, eripiatur.

Iratus sum super populum meum.

Lege in praeterito: Iratus fui, vel cum iratus essem etc. Propheta enim hic significat peccatum Babyloniorum, quo meruerunt tantas poenas. Volui vos, inquit, flagellum populi mei esse, non volui, ut penitus eum perderetis, id quod vos cogitatis.

---

1) In edit. 1532 additum est: sapientia.

Neque recordata es novissimi tui.

Verte: Novissima ejus, scilicet, populi mei, hoc est, non cogitas futurum, ut liberentur, sicut promisi. Debebat autem te hoc exemplum monere, ne ita secure obambulares. Si enim populo meo praevaricanti non peperci, quid de te fiet? Sed secura es, nec ponis haec super cor tuum.

Non sedebo vidua.

Sunt allegorica. Id est, semper habebo principes, semper habebo populos subditos.

Propter multitudinem maleficorum.

Sic vocat doctores, qui gubernabant religionem et cultum Dei, item qui praeerant reipublicae, hoc est, sanctissimos et sapientissimos in regno isto.

Fiduciam habuisti in malitia tua.

Es secura, cogitas tuum peccatum non esse peccatum.

Sapientia tua et scientia tua haec, decepit te.

Est insignis locus, quod respublicae non evertuntur nisi a sapientissimis*), qui optime consulere se credunt. Ejus rei multa passim in historiis exempla sunt. Notus est Demosthenes, notus Cicero, Caesar, Pompejus. Sic religio evertitur per sanctissimos, sicut nos docent exempla monachorum et

*) Sapientissimi et sanctissimi evertunt respulicas et ecclesias.

totius papatus. Ratio hujus rei est, quod utrique et qui sapientia, et qui sanctitate ad homines clarent, sine timore Dei sunt, et in praesumptionem ruunt. Hoc cum fit, actum est. Monentur autem haec ideo a prophetis, non ut leges, et bonos mores, in quibus sapientia et justitia humana posita est, contemnamus, sed ut humiliemur, et non inflemur donis Dei. Deus enim nihil minus ferre potest, quam praesumptionem. Ideo etiam synagogam, populum suum, sanctam civitatem Hierusalem et templum cum omni cultu a se instituto funditus delevit.

Veniet super te repente miseria.

Hic finis est omnium impiorum *), ut subito pereant, hoc est, nihil minus exspectantes. Secure enim in suis consiliis ambulant et omnia benigna[1]) sibi pollicentur, donec in mediis conatibus oppressi pereant.

Sta cum incantatoribus tuis.

Insultat Babyloniis praesumentibus de sua sapientia. Tentate si quid potestis, facite periculum virium vestrarum, an impendens malum depellere possitis]. Observa hunc locum contra astrologos.

[Non sunt prunae quibus calefiant.

Significat subitam vastationem. Non erit durans ignis, sed in momento vestrum regnum a me stulto Deo evertetur.

---

*) Finis impiorum.

1) In ed. 1532 legitur: benigne.

Sic facta sunt tibi in quibus etc.

Nec sapientes, neque religiosi tui, qui sua sapientia et religione in te negotiantur, prodesse tibi poterunt, sed peribunt et ipsi. Scribuntur autem omnia haec ad consolationem Judaeorum, ut eo facilius credant promissionibus magnificis de liberatione per Cyrum futura, quae impossibilis esse videbatur in tanta Babyloniorum potentia].

Caput quadragesimum octavum.

[Est quasi epilogus promissionis de liberatione*). Monet enim suos, ut caveant sibi ab aliis prophetiis, etiamsi magna jactent, et sibi diris execrationibus ac juramentis fidem faciant. Etiamsi per nomen Dei juraverint, nolite, inquit, eis habere fidem. Istis enim magnificis juramentis vos decipere volunt. Hoc enim pseudoprophetarum proprium est, temere jurare et se devovere, ut eo facilius simplicibus imponant. Audivimus etiam hoc nostro seculo temerarios ejusmodi spiritus, provocantes ad tribunal Christi, contra nos, qui sacramentorum dignitatem salvam voluimus. Quia enim sciunt pios nomine Dei affici, ideo his artibus se commendant vulgo, sed eventus in dies magis ac magis declarabit, quam vere juraverint. Contra ejusmodi doctores hic quoque laborat propheta et vult, ut sui simpliciter in promissione Dei haereant.

---

*) Summa Cap. 48.

Qui vocamini nomine Israel*).

Oblique perstringit eorum infidelitatem, quasi dicat: Nomine vocamini, sed utinam re vera essetis Israel haerens in promissione Israeli facta.

De civitate enim sancta vocati sunt.

Tangit praesumptionem eorum, quod dicebant: Sumus populi Dei, sumus de sancta civitate. Non potest igitur nos Deus longius affligere, sicut hodie papistae dicunt: Successimus Christo et apostolis, non ergo possumus errare, sumus eccelesia, non ergo possumus deseri a Deo. Sed Joannis primo scriptum est: Non qui ex voluntate viri, sed qui ex Deo nati sunt etc. Hoc tamen unum argumentum semper in mundo praecipuum fuit, et in illo populo aegre potuit solvi. Quare Paulus multum in eo sudat in epistola ad Romanos **).

Priora ex tunc annunciavi.

Reddit rationem, quare tanto ante praeveniat eos promissionibus. Propter vos, inquit, facio, qui estis Pseudoisrael, ut confundamini, cum fiunt, et videatis non vestra vobis studia et consilia, sed promissiones meas profuisse. Priora vocat promissiones de Cyro, quem tanto post futurum promittit liberatorem populi sui fore.

Scivi enim, quia durus es tu.

Hunc locum in genere transfer [1]) ad omnes

---

*) Enarratio cap. 48. **) Cap. 8. 9. 10. 11.

1) In ed. 1532 legitur: accipe de omnibus justitiariis.

justitiarios, qui conantur suis studiis se aliquid effecturos, et fidunt operibus suis [1])]. Ego, inquit, propter illam duritiem et frontem aeream cogor praedicere ista futura, ne, cum postea evenient, tu ea tribuas idolis tuis et justitiae tuae. Sic habemus nos remissionem peccatorum promissam, antequam essemus nati. Cur igitur tam stulti sumus, ut eam nostris operibus et idolo nostro tribuamus? Sed est ferreus nervus, et frons aerea, ideo et papistae non possunt flecti, et haeretici nostri pertinaciter resistunt veritati, et ne quidem horribilibus exemplis suorum moniti resipiscunt.

[Quae audisti, vide omnia.

Verte sic: Omnia haec audis et vides, et tamen non annunciasti. Pertinent autem omnia haec ad confundendos pseudodoctores, ut revocet populum ad verbum suum a vanis studiis idolatriae. Praedico, inquit, et promitto nova, quae nunquam cogitasti, illa etiam tum abscondita sunt, cum dico, sed veniunt tamen suo tempore. Vos autem ne uno quidem die praescire haec potestis, priusquam fiant.

Transgressorem ab utero vocavi te.

Ab utero vocatus es transgressor, mereris dici transgressor. Ab utero enim idem est, quod

---

1) Ed. 1532 sic pergit: Hic vides, cur non flecti possint papistae. Hic vides, cur haeretici nostri pertinaciter resistant veritati et ne quidem horribilibus exemplis suorum moniti resipiscant. Ferreus enim nervus est cervix eorum et frons aerea.

semper. Sunt epitheta et proprie passiones omnium impiorum, praesertim autem falsorum doctorum et haereticorum], quod non flecti possunt, non erubescant, non habent frontem carneam, sed sunt contemptores et securi.

[Propter nomen meum longe faciam.

Verte sic: Propter nomen meum sum longanimis, et propter laudem meam refrenabo me tibi (id est, propter vel in tuum commodum), ne exscindaris. Est insignis sententia contra operum merita. Propter MEUM nomen, non propter tuum] nomen, quod vocaris de civitate sancta [aut Francisci, aut Augustini, aut Bernhardi etc. Sic haurit uno verbo omnes mundi justitias et religiones.

Ecce excoxi te, sed non quasi argentum.

Est insignis consolatio in cruce. Promittit enim, quod se continere et refrenare velit, ne penitus perdat suum populum. Quae igitur est ratio? qui est modus, quod[1]) servat Deus suos, ne pereant? Nempe hic, quod excoquit in camino, hoc est, quod affligit, et crucem nobis imponit. Ergo afflictio *) non irae divinae signum est, sed gratiae. Ergo afflictio non est damnatio, sed salus. Et Deus cum affligit, ideo affligit, ut servemur, et non cum hoc mundo damnemur.

Quod addit, non sicut argentum, ideo addit, ne corporalis purgatio intelligatur. Sicut in Amos **) spiritualem famem vocat famem, [sed non panis.

*) Afflictio non est signum irae divinae. **) Am. 9.

1) In ed. 1532 est: quo.

Simile est quod sequitur: In camino afflictionis elegi te, seu electum te facio. Sed diversum sentimus, cum in camino hoc torremur.] Videmur enim nobis inquinari potius quam purgari. Quare hae sententiae diligenter inculcandae sunt afflictis, ut se erigant et discant vitam gratiae nihil valere, nisi sit in camino afflictionis, qui non aufert gratiam, sed potius confert gratiam. Sic verbum nos docet de tentationibus et cruce, diversum docet caro et sensus.

[Propter me faciam, ut non blasphemer.

Ecce blasphemiam vocat, conari, ut operibus nostris placemus Deum. Ideo enim promittit liberationem, ne operibus deberi eam impii sentiant, quae summa est blasphemia. Alii malunt ad Babylonios referre. Eripiam vos, ne Babylonii pergant me blasphemare [1])] Sicut Mose in Cantico suo: Sed propter iram inimicorum distuli, ne forte superbirent hostes eorum. Deut. 32.

[Quia gloriam meam alteri non dabo.

Si quid facio, propter me facio, non propter opera vestra *). Hoc enim esset operibus divinitatem tribuere. Ergo omnes justitiarii affectant divinitatem. Ideo autem tot exempla gratiae nobis in sacris literis proposita sunt, ut, quemadmodum propter peccata non est desperandum, ita etiam propter nostra opera et nostram justitiam nihil

---

*) Gloria justificationis solius Dei.

1) Ed. 1532 sic pergit: Utraque apta et bona sententia est.

praesumamus]. Haec igitur praedicatio ad Christianos pertinet, qui debent corpus suum castigare coram hominibus, coram Deo autem scire, quod nec propter peccata damnandi, nec propter bene facta salvandi sint, ut gloria sit unius Dei, non nostra.

[Audite me Jacob et Israel, quem.

Ego sum primus et sum novissimus, semper fui, et semper ero. Promitto vobis futura, priusquam fiant, idque gratis. Liberabimini igitur propter meam promissionem, non propter vestra studia et opera. Sic vult, ut in solo verbo et gratia haereamus *). Non autem otiosum est, quod dicit: Ego primus et ego novissimus. Sic enim sumus homines, Deum vere mutamus, et credimus mutatum. Hoc non credimus, quod idem primus sit et novissimus. Sic totus papatus] mutat Deum, quia [vocatus est in remissione peccatorum, et tamen in satisfactione operum vivit. Sic Judaei] Deum mutant, quod [promissiones de Christo amplectuntur, exhibitum autem 1) Christum repudiant. Magnum igitur est scire eundem Deum primum et novissimum esse, ut, qui vocantur in ecclesiam, transeant in regnum gratiae durantis, ut, etiamsi nos peccemus et saepe labamur, tamen tanquam in coelum gratiae conclusi non excidamus a gratia.

Manus quoque mea fundavit terram.

Quare confugitis ad alios deos, et alia praesidia, an diffiditis meae potentiae? Satis habeo

*) In solo verbo gratiae haerendum.

1) *In ed. 1532 deest: autem.*

virium, tantum exspectate in silentio et spe, et veniet liberatio.

Quis de eis annunciavit haec?

Haec scilicet de Cyro, quasi dicat: Solus ego promitto, ergo exspectate quoque solum me largitorem. Est epilogus prophetiae de Cyro, commendat igitur eum.

Dominus dilexit eum.

Cyrum intelligit.] Judaei hunc modum restituendi non crediderunt, sed riserunt tanquam vanum. Nam mundus semper Dei verbum ridet tanquam stultum. Sola igitur fide in omni necessitate exspectanda est salus; nec fugiendum ad opera aut alia praesidia, quo tamen naturaliter inclinamur.

[Accedite ad me, et audite haec.

Hic locus mirabiliter obscuratus est. Judaei personam prophetae intelligunt, quam sententiam ego quoque sequar. Hoc enim incommodum est, si de Christi persona intelligas, quod dicit, se missum in Babylonem, ut istic redemptionem faceret, semel enim missus est ad tempus novi Testamenti. Quod si spiritualem missionem intelligas, non valde pugnabit hic locus pro mysterio Trinitatis, et tamen sequatur quisque, utram voluerit. Habemus enim alia et firmiora de Trinitate testimonia. Ego personam prophetae, tanquam in media Babylone constituti et suos consolantis, accipio. Accedite ad me Esaiam. Non in abscondito,] hoc est, frustra et in ventum [locutus sum. Res sequentur, *certo fient*, quae praedixit per me Dominus. Eo

im tempore, cum essem ibi, fiebant, id est, cum
verem et praedicerem haec de Cyro, fiebant fide.
unc autem Dominus Deus misit me, et spiritum
jus, id est, nunc cum impletur prophetia mea, ve-
nio spiritu.

Similes loci sunt in Ezechiele Cap. 3: Sustulit me in spiritu, et in Apocalypsi: *) Raptus sum spiritu, item apud Lucam: Antecedet eum in spiritu **) Eliae. Sic Esaias primo in Babel venit per promissiones, licet esset in Judaea, sicut Paulus dicit, ***) se spiritu Romae esse. Secundo spiritu venit in Babel, cum implerentur promissiones illae. Valet autem hic locus ad confirmandos Judaeos, ut credant promissionibus, quas tanta certitudine prophetam praedixisse vident.

Ego Dominus Deus tuus docens utilia.

Loquitur ad populum diversa a verbo facientem. Omnes alias vias et rationes liberandi quaeris praeter me, cum tamen omnes sint prorsus inutiles et impiae, quia sunt sine fide, et sine verbo, a te electae. Audi igitur (tu qui in Babylone captus es) prophetias meas, et noli a me divelli, et ad alios deos deficere, noli sequi tua studia. Ego enim Deus et redemptor tuus sum, qui te utilia doceo. Fige igitur pedem in verbo meo, et nusquam alibi.] Sed quid fit? in tentatione quidvis potius audimus, quam quod debebamus audire, sic in peccatis sequimur sensum nostrum et ex sensu judicamus, exspectare autem et sustinere nolumus. Emphatica sunt illa Dominus Deus tuus, quasi dicat: non sum

*) Apocal. 2. **) Lucae 1. ***) Rom. 1.

satan tuus, sed doceo et promissionibus instituo te, quae te certo liberabunt, tu modo crede.

[Utinam attendisses mandata mea.

Declarat quomodo sint utilia, quasi dicat: Vos quaeritis pacis viam, *) deserendo verbum meum, et vestris studiis servandis. Sed non est pax impiis, et contritio est in viis eorum, sic non impetrabitis pacem, una via est, si pacem habere vultis, nempe ut credatis verbo. Est insignis locus, qui nobis verbum **) commendat, et minatur impiis verbi contemptoribus omnia mala. Justitiam vocat remissionem peccatorum, et justam administrationem tam politiae, quam sacerdotii.] Porro accipe pacem generaliter internam et externam, justitiam autem tum remissionem peccatorum, tum bona opera, quibus alii aliis benefacimus.

[Egredimini de Babylone.

Post praedicationem contra incredulos Chaldaeos et Judaeos concludit hanc prophetiam exhortatione ad Judaeos, ut relictis omnibus religionibus et studiis suis sequantur Cyrum reducturum eos. Sed contempta et haec exhortatio a Judaeis fuit. Major enim pars remansit in Babylone.

Annunciate, auditum facite hoc.

Sacrificate sacrificium laudis, et agite Deo pro tanto beneficio gratias.

Non sitierunt in deserto.

Alludit ad Aegyptum. Iam idem faciet Deus, quod in Aegypto fecit. Liberabit populum suum,

*) *Via pacis.* **) Commendatio verbi.

et cum summa securitate reducet]. Sic involvit gratiarum actionem in memoriam praeteriti beneficii.

[Non est pax impiis.

Est generalis sententia, quod sine fide neque bona conscientia, neque diuturnus successus erit. Proprie autem pertinet ad incredulos Judaeos, qui in Babylone substiterant]. Atque hic est finis prophetiae de Cyro, in qua sunt suaves et variae exhortationes ad fidem.

Caput quadragesimum nonum.

[Prophetae duo fere agunt. Primo populum sui temporis docent de fide et bonis operibus, consolantur afflictos, et incredulos terrent, secundo parant etiam in futurum Christum. Esaias igitur prima parte absoluta hic *) novum quasi librum orditur, et prophetat de futuro regno Christi usque ad finem. Nonnunquam etiam obiter objurgat incredulos et duros hypocritas. Porro quia regnum Christi **) erat fidei regnum futurum, in quo mundus multa tanquam stulta et absurda reprehenderet, ideo prophetae magnifice de eo loquuntur, ne pii offendantur humili specie. Judaei autem his magnificis promissionibus decepti exspectant corporale regnum, id quia hactenus non contigit, non putant per Christum omnia impleta et exhibita esse.

Quare hae promissiones spiritu intelligi debent, neque pertinent ad corporale regnum, neque enim

*) *Summa Cap. 49.* **) Regnum Christi.

sustinere hoc corruptibile seculum plenitudinem tantarum promissionum potest. Dilatemus igitur corda nostra, et fide verbum apprehendamus, qua sola[1]) apprehendi potest. Coram mundo enim contrarium apparet.

Audite insulae et attendite populi*).

Propheta in persona Christi loquitur. Vide autem ad quos loquatur. Non dicit sicut ante: Audite domus Jacob, domus Israel, sed erumpit in totum orbem, et vocat omnes gentes**)]. Igitur haec concio pertinet non ad unum Judaeorum populum, sed ad omnes homines, sicut Christus jubet: Ite in orbem universum etc.

[Dominus ab utero vocavit me.

Jactat vocationem***) suam ad confirmandos gentium animos, ne offendantur stulta et infirma Christi specie, qui praedicatur crucifixus. Nolite me ideo contemnere, inquit, venio divina autoritate. Nolite contemnere verbum meum, non enim est meum, sed ejus, qui misit me. Sic Paulus etiam suam vocationem jactat, non ad vanam gloriam, sed ad confirmandos discipulos, ne dubitarent, hoc verbum, quod ipse praedicat, Dei verbum esse]. Et ut amoveret scandalum pauperis evangelii, quod est submersum cruce et specie contemptissima.

[Recordatus est nominis mei.

Non venio temere ad vos, sed ab utero ordina-

---

*) Enarratio Cap. 49. **) Prophetia de evangelio in *totum* orbem terrarum spargendo. ***) Vocatio Christi.

1) In ed. 1532 est: quod sola fide.

tus sum et destinatus, ut essem vester salvator et redemptor. Hoc nomen, hoc officium dedit mihi Pater.

Et posuit os meum quasi gladium.

Mirabile hoc regnum est. Jactavit se vocatum et divinitus nominatum esse, et erexit nos in exspectatione magni et potentis regis, qui totus aureus incedat, et ecce subjicit: Posuit os meum sicut gladium, hoc est, regnum meum *) consistit non in armis, non in potentia, sapientia, opibus mundi, sed in ore, hoc est, Meum officium est praedicare remissionem peccatorum gratuitam. Ideo autem os gladio acuto comparat, ut significet verbum Christi esse efficax, et penetrare corda. Sic videmus nostro seculo, quomodo penetret et vastet papatum. Arguit enim mundum, et ostendit justitiam Christi, alias autem [1]) justitias, religiones, opera, studia] omnia, quae sine verbo suscipiuntur, [damnat et abominatur.

Quod autem addit, se protegi in umbra manus Dei, significat fortunam et successum verbi. Obsistitur enim ei in mundo, sicut nostra etiam secula testantur, et tamen non potest opprimi, sed perumpit invito satana et portis inferi.

Posuit me sicut sagittam electam.

Idem est, quod gladius supra. Significat enim efficaciam et successum]. Delectati sunt prophetae

---

*) Regnum Christi consistit in praedicatione verbi.

1) *In ed. 1532 legitur: omnes.*

hac figura sagittae, sic in Psalmis Ephraim est arcus dolosus, id est, nihil valet, est quasi arcus, qui non ferit, et frustra intenditur, et Psalmo 127: Sicut sagittae in manu potentis, ita filii juvenes, id est, politia, quae sic divinitus fortunatur, est tanquam sagitta, quae certo ferit etc.

[Servus meus es tu Israel.

Pertinent, sicut dixi, ad consolandos nos, et confirmandos, ut sciamus verbum Christi [1])], et quod nos a Christo accepimus, et alios docemus, aut discimus ipsi, id [esse veri Dei verbum, quamquam totus mundus id negat, offensus infirma specie. Commendat quoque hic locus nobis plerophorian, hoc est, certitudinem vocationis nostrae*)], quod dicit se dviinitus vocatum et servum Dei esse [ut scilicet [2]) quidquid] docemus aut [facimus, certi simus de voluntate Dei, quod id [3]) placeat Deo. Alioqui nemo in calamitate vel tentationibus subsistere poterit, si non certus est, se divinitus ad id vocatum esse]. Sicut Munzerus cum praeter vocationem tumultum istum rusticum concitasset, et captus in vincula conjectus esset, tandem dixit se curiositate quadam deceptum esse, cum antea nihil nisi spiritum et vocationem jactasset. Quare in tentatione firmissima consolatio est, se vocatum esse.

[Vocat autem Christum Israel **), quia convolvit in hoc nomen totum regnum Christi, seu totam

---

*) Certitudo vocationis. **) Christus Israel.

1) In ed. 1532 legitur: verbum nostrum. 2) In ed. 1532 deest: scilicet. 3) In ed. 1532 deest: id.

ecclesiam ex reliquiis Judaeorum primum, deinde ex gentibus collectam.

Quia in te gloriabor..

Verte: Glorificabor in te, id est, tu docebis tantum [1]) gloriam meam. Porro gloria Dei est, quod solus sit justus, bonus, sapiens, potens. Inde sequitur, quod omnes homines sunt mendaces, stulti mali, peccatores etc. Sed hoc cum docemus, concitamus in nos totum mundum, et damnamur pro haereticis, quod prohibeamus bona opera, damnemus ecclesiam etc.

In vacuum laboravi.

Consolatur se contra scandalum*), quod pauci, sequuntur verbum, et totus fere populus Christum rejicit. Quamquam, inquit, pauci meam doctrinam sequantur, et plures eam damnent, tamen hoc me consolatur, quod judicium, id est, officium meum, non meum, sed Domini est. Verbum nihilominus potens est apud eos, qui id sequuntur, quantumvis sint pauci. Est necessaria consolatio in tentatione, quae nos saepius recreavit, in tot scandalis doctrinae nostrae, quod scimus eam non nostram, sed Dei esse, illum gubernare opus suum, ad quod invitos nos pertraxit].

Ergo judicium meum cum Domino.

Avertit oculos a scandalo et colligit se ad suum officium et ad vocationem suam. Opus meum, in-

*) Consolatio contra scandalum paucitatis credentium.

1) In ed. 1532 legitur: tantam.

quit, est opus Dei, etiamsi parum videatur procedere. Significat enim judicium hic officium seu causam, ut Psalmo 7. Est necessaria consolatio, qua ego me saepissime erexi contra illam cogitationem satanae, quod scandala praesentia evangelio imputat. Si igitur Deus mihi non clausisset oculos, et ego haec scandala vidissem futura, nunquam coepissem docere evangelium, jam hoc me consolatur, quod scio ministerium esse Dei. Haec certitudo me sustentat contra omnia mala.

[Et nunc haec dicit Dominus.

Allegat iterum vocationem suam. Major pars, inquit, rapitur in errores, misit igitur me Dominus ad reliquias populi per evangelium servandas, ne totus Israel pereat]. Quod Latinus fecit: et Israel non congregabitur, verte: ne Israel diripiatur aut pereat.

[Parum est, ut sis mihi servus etc.

Gentes quoque sunt per evangelium salvandae. Est autem hic apertissimus locus, quod nos gentes simus incorporandae corpori et regno Christi, ut simus participes testamenti, promissionum et gratiae Dei. Christus *) enim debet esse lux gentium, magister et doctor gentium, ut gentes per eum salventur. Quare sumus verum semen Abrahae, quicumque ex gentibus Christum recipimus]. Converti ad Deum, est per verbum gratiae illuminari corda ad cognitionem Dei, ut sciant se sola gratia

*) Christus lux gentium.

salvandos, non nostris operibus. [Continet autem[1]) hic locus efficacissimam solutionem omnium argumentorum, quibus Judaei nituntur contra nos gentes.

Haec dicit Dominus redemptor Israel.

Postquam unum novum hominem ex duplici homine constituit, hoc est, unam ecclesiam ex Judaeis et gentibus per verbum evangelii condidit, addit generalem consolationem*) eorum, qui in ista fide Christi stant. Fidem enim statim crux sequitur sicut Psalmus**) dicit: Credidi propter quod locutus sum, ego autem humiliatus sum nimis. Mundus enim et diabolus, mundi pater, omnes alias religiones, omnes idolatrias ferre possunt. In hanc solam Christi fidem saeviunt, hanc ferre non possunt. Consolatur igitur credentes. Nolite desperare, inquit, nolite deficere, dum sic propter me affligimini, vestrum verbum, quod sequimini, quod mundus cupit exstinctum, manebit in aeternum, et illi ipsi, qui id jam persequuntur, convertentur et verbum meum amplectentur.

Vocat se redemptorem Jacob. Eo igitur ipso vocabulo, quo se commendat, significat faciem ecclesiae, quod sit talis, quae habeat opus redemptore, sanctificatore et justificatore. Coram mundo enim nihil ecclesia est calamitosius, nihil improbius, nihil magis profanum. Quare vocat eam animam contemptibilem, gentem abominabilem, et servum tyrannorum. Hi sunt magnifici tituli Christianorum ***),

*) Generalis consolatio ecclesiae. **) Psal. 116. ***) Tituli Christianorum.

1) In ed. 1532 deest: autem.

quorum si quos pudet, illi cogitent, se frustra Christum quaerere. Et sic implentur magnificae promissiones, quod dicit: Semen tuum erit semen sanctum etc. Dixi igitur initio, spiritu accipiendas esse et in fide verbi. Contrarium enim in mundo experimur.

Reges videbunt et consurgent principes.

Illi qui nunc persequuntur vos, adorabunt vos et convertentur.

Propter Dominum, quia fidelis est.

Mundus diversum sentit, Deum esse mendacem, et nos damnatos esse. Propheta autem Christum vocat sanctum Israel, quod sanctificet suos.

In tempore placito exaudivi te.

Pergit in consolatione. Paulus 2. Corinth. 6. ad exhortationem transfert. Quaerite lucem dum habetis etc., sicut etiam Christus *) exhortatur, et Paulus Roma. 13. Est enim gravissima tentatio, qua saturi fastidimus verbum. Cum enim Satan hanc doctrinam primo vi per principes mundi, deinde dolo per haereticos oppugnet, privatim etiam unumquemque tentat vitio, quod Graeci ἀκηδίαν dicunt, de quo Scriptura ait: Impleta est anima eorum nausea. Haec quia latissime patet plurimum nocet. Nam tyranni et haeretici ecclesiae prosunt et exercent fidem et doctrinam ecclesiae. Acedia autem stertentes, securos, saturos, et omnibus satanae telis expositos facit. Necessaria igitur haec adhortatio est, ut simus vigilantes **). Ego sane ante hoc se-

*) Ioan. 12. **) Exhortatio ad vigilantiam.

culum omnibus mundi opibus unum aliquem Psalmum bene intellectum praetulissem, sed erat coelum tum aeneum[1]), et terra clausa. Nunc autem, postquam cataractae coeli effusae sunt, incipimus id fastidire. Qui semel novum Testamentum perlegit, admiratur se, et nihil restare putat, quod non teneat. Fiet igitur, ut auferatur ab ingratis verbum et detur alii[2]) genti, quam fortasse nos ignoramus.

In tempore placito exaudivi te.

Sic vocat tempus invulgati evangelii, quod, quamquam varie impetitur a mundo, tamen servatur contra satanam, tyrannos et haereses, quia est tempus placitum*).

Et dedi te in foedus populi].

Dicuntur haec ad ecclesiam, nam [sicut Christus**) est foedus inter Deum et hominem, sic ecclesia credentium est foedus inter populos] per ministerium verbi, ut ei tuto credere possimus. [Sicut dicit Christus: Qui vos audit, me audit, item, quorum remiseritis peccata in terra, eorum peccata remissa sunt in coelo***). Est igitur aureus textus pro confirmando ministerio verbi in ecclesia[3]), quod a Christo translatum est in ecclesiam, ut ipsa quoque[4]) per verbum seu absolutionem vere justificet, sic tamen ut hoc praecedat, quod dixit: Ego ser-

---

*) 2. Corin. 6. **) Christus foedus. ***) Matth. 10. Ioan. 20.

1) In ed. 1532 est: aereum. 2) In ed. 1532: aliae. 3) In ed. 1532 legitur: pro ministerio ecclesiae in verbo. 4) In ed. 1532 deest: quoque.

vavi te. Neque enim valet sententia illa: Qui vos audit, me audit, in iis, quae praecipiunt episcopi contra verbum Dei. Et ecclesia*) ea solum est, quae habet purum verbum et pura sacramenta.

Et possideres hereditates dissipatas.

Id est, gentes vastatas idolatriis et falsis justiciis per diabolum et impios doctores. Nam quoties evangelium venit, invenit terram destructam impietate et idolatria.

Ut diceres his qui vincti sunt, exite.

Evangelium docet, ut omnes sciant**), se non suis studiis aut operibus liberandos, sed gratuita misericordia per verbum oblata[1])]. Non est autem praecepti tantum vox, sed est magis promissio, quod ecclesia debet in hoc esse serva, ut, qui capti sunt superstitionibus et justitia sua, ac impotentes sunt ad bene operandum, liberentur. Lex***) enim est carcer, cum intelligitur quasi doctrix operum, et tenet captivas conscientias. Ex hoc carcere liberamur solo ministerio evangelii, quod docet nos studiis nostris non liberari, sed gratuita misericordia propter Christum pro nobis traditum in cruce. Haec doctrina liberat conscientias a peccatis, a lege, a traditionibus hominum et ab omnibus oneribus.

[Super vias pascentur et in omnibus etc.

Haec commodius per antithesin intelligas. Ante

---

*) Ecclesia vera. **) Quomodo contingat justitia. ***) Lex.

1) Edit. 1532 sic pergit: Primum igitur liberat a peccatis *et facit* certos de omnibus generibus vitae.

cognitum evangelium arbitrabamur, nulla esse pascua, nisi intra regulas certas vitae et operum. Franciscanus se extra angulum suum et cucullum non credebat salvari posse, sic alii. Nunc autem revelato evangelio cessant sectae, et invenitur remissio peccatorum, et vita aeterna in omnibus locis, personis, aetatibus, et vitae generibus. Est enim evangelium*) libera doctrina, nulli ordini, loco, personae, nulli certo vitae generi alligata]. Habent evangelium juxta dominus ac servus, rex et subditus. Omnes enim pariter vocamur ad gratiam. Diversum fit in politia et oeconomia, neque enim eadem ratione singulae domus regi possunt. Sic unaquaeque politia habet suas peculiares leges etc.

[Non esurient neque sitient.

Evangelium inundabit justitiam sicut fluvius. Potare et pascere sunt fere exhortari et docere. Potus est exhortatio, quae est necessaria et quasi vivificat cibum, id est, doctrinam. Ubi ergo verbum est, ibi necesse est hos fructus sequi. Fastidiosi autem, qui amiserunt verbum, illi diversum faciunt, sicut videmus in nostris haereticis, illi supprimunt terram, et dissipant hereditates etc.

Non percutient eos aestus et sol.

Non intelligo de persecutione, sed aestu conscientiae. Erunt instructi et habebunt consolationem per verbum, ut conscientia non possit eos terrere.

Quia miserator eorum reget eos.

Sunt in regno misericordiae, non sub tyranno,

*) Praedicatio remissionis peccatorum omnibus communis et libera.

sed sub miseratore, qui eis verbum non sic commendavit, ut ipse absit, sed adest, sicut dicit: Vobiscum sum usque ad consummationem seculi*), item, Domino **) cooperante sequentibus signis etc. Fontes aquarum vocat consolationes scripturarum]. Significat autem hic contrariam speciem in ecclesia. Nisi enim sitirent, non promitteret fontes aquarum. Sentit enim ecclesia***) stimulum legis, sentit peccata, sentit omnia diversa ab his promissionibus, quod regatur non a miseratore, sed ab irato satana. Conscientia enim etiam in sanctis vexatur suis furiis, a satana et peccatis, et singuli Christiani exercentur scrupulis foris et intus. Quare opus habent verbo, quo se subinde erigant, quo tanquam caeci illuminentur et tanquam captivi liberentur. Christiani****) enim sunt, qui habent remissionem peccatorum, et gaudium cordis, in sola fide, cum contrario sensu. Nam [si[1]) rem videas, omnia sunt contraria in ecclesia, quare verbo opus est, quo erigatur et credat se talem esse, qualis hic describitur, etiam tum cum diversum sentit[2]).

Et ponam omnes montes meos in viam.

Sic videmus apud nos omnia genera vitae incedere in sua via. Magistratus, pater, mater, filius, servus novit, quod placeat Deo suum vitae genus.

---

*) Matth. 28. **) Marc. 16. ***) Ecclesia sentit terrores. ****) Christiani.

1) In ed. 1532 haec enuntiatio sic incipit: Porro si rem etc. 2) In ed. 1532 legitur: quamquam diversum *sentiat.*

Ante hanc cognitionem soli monachi putabantur in statu Deo placente esse.

Porro hoc etiam significat, quod in fide nullus sit personarum respectus. Servi secundum fidem sunt pares magnis regibus et e contra.

Ecce isti de longe venient.

Per quatuor partes significat conditionem omnium generum vitae, quod non soli Judaei sint futuri populus Dei, quod non soli caelibes, et monachi, sed quod in omnibus ordinibus, aetatibus, locis erunt Christiani*).

A mari, Hebraeis est, ab occidente.

Quod Latinus fecit: a terra australi, recte sententiam reddidit, nisi quod hic nomen proprium ponitur, a terra Sinim, de qua Exo. 17. Utitur autem plurali numero, ut significet se loqui generaliter, quod verbum non faciat distinctionem personarum, ordinum etc.

Quia consolatus est Dominus populum suum.

Hoc est, quia dedit verbum gratiae et remissionis peccatorum]. Quia liberavit a justitia carnis, a pavore inferni et mortis, a tyrannide satanae etc., ideo Paulus**) vocat inenarrabile donum evangelii, quo qui serio afficiuntur, illi plus sitiunt, et laudant, soli enim gratiam et thesaurum hunc intelligunt. Reliqui fastidiunt.

[Et dixit Sion, dereliquit me Dominus.

Audivimus magnificas consolationes et promis-

---

*) Ecclesia ex omni hominum genere colligenda. **) 2. Corinth. 8.

siones ecclesiae, sed si sensum consulas, contrarium est verum, sicut Paulus dicit 1. Corinth. 5. et 2. Corinth. 6. Praevenit igitur hic spiritus sanctus nostras cogitationes, ac si dicat: Audis consolationes meas et promissionem liberationis et illuminationis [1]). Sed scio, quid tu his opponas. Sentis enim te obscuratam, vinctam, oppressam a satana, peccatis, ira Dei, et metu mortis, sentis te dereticiam esse, sed audi verbum et obmitte cogitationes tuas, neque sequaris sensum tuum, sed apprehende fide has meas promissiones. Ego enim non fallam te, sed experieris, quantumvis secundum externam faciem contrarium sentiatur, certo omnia eventura, quae promitto etc.

Vides autem hic gemitum, de quo Paulus *) etiam dicit, quod sit inenarrabilis. Et Zion, hoc est, ii qui vere sunt ecclesia, et habent evangelium et tantam promissionum opulentiam, clamant se derelictos a Deo esse. Id quod imprimis observandum est. Magnam enim hic locus consolationem afferre potest tentatis et afflictis animis, quod pavores, quos sentiunt, non sint mala signa, neque soli eos patiantur, sed sint signa verae ecclesiae et verorum membrorum Christi.

Numquid oblivisci potest mulier infantis sui, ut non misereatur filio uteri sui? et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.

Insignis consolatio, sed quae sine fide non in-

---

*) Rom. 8.

1) In ed. 1532: illuminationem.

telligitur. Confutat clamores afflictorum notissimo exemplo. Sexus enim muliebris*) natura est misericors, quia ad misericordiam et ad fovendum est natus. Unde Hebraei etiam mulierem vocant a matrice seu utero, quod ad fovendum sit facta, sicut vir ad defendendum. Nullum igitur animal est plenius misericordia, quam mulier, praesertim respectu sui infantis. Inde maternum cor **) proverbio dicimus pro amicissimo et suavissimo corde. Consolatur igitur nos a simili spiritus S. et jubet, ut inspiciamus matrem, quae habet filium, quemadmodum illam natura non sinit oblivisci aut deserere filium, ita neque ego tui oblivisci possum.

Hic ratio similitudinem quidem agnoscit, sed non credit se esse foetum, neque portari se, sed abjici et crudeliter jactari sentit. Hic nullum aliud consilium est, quam ut exclusis omnibus sensibus, in solum verbum te rejicias, et simplici fide contra sensum et spem credas, sic esse, sicut verbum dicit. Quidquid enim extra verbum est, nihil est, nisi tribulatio et afflictio. Sic nos hodie varie vexamur, primum a tyrannis, qui gladio, aqua, et igni nos persequuntur, deinde a sectariis. Huc accedit, quod nomen nostrum in summa apud omnes invidia et odio est, et satan privatim unumquemque tentat pavoribus conscientiae et irae divinae. Secundum judicium igitur carnis simpliciter perimus.

Nisi ergo superemus hos sensus, et haereamus in nudo verbo***), credentes, quod non reliquerit nos Deus, sed sit blandissima mater, fovens et portans nos, actum de nobis est. Neque enim ideo dedit

*) Sexus muliebris. **) Maternum cor. ***) Non sensui, sed verbo credendum.

verbum, non ideo nos ad ecclesiam suam per verbum vocavit, ut nos relinqueret[1]), sed vult per tentationes et afflictiones nostras nobis vim et virtutem verbi sui ostendere. Quae igitur in speciem desertio videtur, probatio potius est, ut nostro exemplo verbi virtutem discamus etc. Et hujusmodi promissiones credendae tantum sunt, non palpandae]. Cogitationes autem nostrae, item ratio nostra et judicium carnis nostrae est mendax. Quare potius credamus verbo promittenti, quam carni et conscientiae sentienti et dolenti *).

[Ecce in manibus meis descripsi te.

In palmis meis descripsi te. Palmae significant potentiam divinam et operationes divinas. Dicit igitur: Non possum tui oblivisci, es enim scriptus in palmis meis, id est, sum memor tui in omnibus, quae facio, sive tyrannos contra te excito, sive sectas. In summa, quidquid facio, in tuum commodum facio. Sicut Paulus **) dicit: Piis omnia cooperantur in bonum. Sic Augustus per pacem aperuit orbem, ut evangelium latius spargeretur. Sic rex Babylonis transtulit Judaeos in Babylonem, ut verbum et lex Dei seminaretur etiam in gentes. Sic Joseph in aulam Pharaonis admissus est], ut religionem ibi plantaret et cresceret. [Sic quidquid operor, inquit[2])], sive bonum sive malum sit, fit pro te et [tuum commodum, semper es in conspectu meo, quia es depictus in palmis meis. Sunt fidei

---

*) Sensus vincendi fide. **) Rom. 8.

1) In edit. 1532 legitur: vocavit, quod vellet nos relinquere. 2) Ed. 1532 sic pergit: fit in tuum commodum.

verba, quae credenda sunt. Si enim rationem consulas, diversum apparet.

Muri tui coram oculis meis semper.

Emphasis est, coram oculis Meis, non tuis. Nos enim sentimus, quod sumus expositi hominibus, daemonibus, peccatis, morti et inferno. Sunt igitur muri invisibiles et tantum credibiles. Sectarii vident suos muros, tyranni vident suos muros. Hic est immutandus sensus, quod illorum muri nulli sint, quia sunt coram oculis hominum, nostri autem coram oculis Dei.

Venerunt structores tui.

Est promissio de propagatione: non exhaurieris, sed propagaberis.

Destruentes et dissipantes a te exibunt.

Concedit esse in ecclesia destructores, tam tyrannos, quam haereticos.*) Sed[1]) sustine, inquit, modicum, et recedent a te, tu autem liberaberis]. Nam omnis tribulatio piorum est modica et momentanea, quia definitum est coram Deo, quod non debet durare. Quamquam in nostro sensu est aeterna propter desperationem, quod nullus apparet modus liberationis.

[Leva in circuitu oculos tuos, et vide.

Ubi nunc sunt tyranni et haeretici, ibi post videbis omnia laeta**). Ubi jam sunt gentes ido-

---

*) Tyranni cum haereticis peribunt, ecclesia servabitur.
**) Hostes fient amici.

1) In ed. 1532 deest: sed.

latrae, ibi post erunt fratres tui, idem verbum et eandem religionem sequentes. Sic legimus eas gentes, quae occiderunt apostolos, post adorasse eos, conversas ad fidem.

Vivo ego, dicit Dominus, quia etc.

Qui jam tibi sunt oneri, et premunt te, illi conversi debent tibi laudi, gloriae et honori esse]. Sic hodie Wittemberga est blasphemata tanquam fons omnium haeresium, fiet autem post aliquot annos, ut praedicetur a posteris tanquam hortus Dei, ex quo evangelium in Germaniam et omnes orbis partes propagatum sit.

[Quia deserta tua et solitudines tuae.

Es tanquam desolata et vastata terra, pauci sunt qui te sequuntur, sed propagaberis felicissime. Sed nota propagationem incipere a desolatione et vastatione. Non igitur desperabimus hodie. Quantumvis enim misera ecclesiae facies sit], ac paucissimi sint, qui pure doceant, [non tamen ruet, sed propagabitur], modo in verbo maneamus.

[Dicunt filii sterilitatis tuae.

Dicit ecclesiam esse sterilem, et tamen habere numerosam sobolem. Foecunditas enim in abscondito est, sterilitas est in specie. Hinc sunt istae voces in Psalmis*): Pauper et unicus ego sum, item: Salva de ore leonis unicam etc.

Quis genuit mihi illos.

Sunt notanda tragica illa verba, quibus Spiri-

---

*) *Psal.* 25. Psal. 22.

tus sanctus *) ecclesiam describit, quod sit sterilis, non pariens, translata, ejecta, destituta, sola etc. Exponunt enim faciem ecclesiae. Sed num ideo desperandum? Non. Sequitur enim, quod haec sterilis admiratur numerosam sobolem. Sic Deus potens est dare supra quam intelligimus, sicut Paulus dicit **). Sic cum ecclesia sollicita pro Judaeis esset, etiam gentes sunt additae, et ex Judaeis meri apostoli et duces ecclesiae facti sunt. Idem nobiscum accidet. Sanguis fratris Henrici Zudphaniensis, et Leonhardi Kesers et aliorum sanctorum, si modo in verbo permanserimus, excitabit copiosum semen credentium. Haec enim est forma propagandae ecclesiae, non multiplicatur, nisi sit sterilis et solitaria, e contra adversarii et haeretici non prius exstirpantur, quam antea multiplicati sint et creverint. Est insignis consolatio pro nostro tempore.

Ecce levabo ad gentes manum meam.

Respondet spiritus sanctus ad illam futuram ecclesiae admirationem. Quia enim ecclesia futurum successum non videt, ideo objicit praesentem faciem rerum, quasi dicat: Promittis quidem magnifice me foecundam futuram, sed contrarium video et sentio, ostende igitur digito filios et fratres meos. Respondet igitur spiritus sanctus. Scio, inquit, te non videre filios tuos, quos promitto. Verum nihil id te moveat, labora tu in partu, exerce verbum, patere in fide, et exspecta me. Ego enim te propagabo, et verbum erit mihi ceu vexillum, ad quod colligam filios tuos etc.

---

*) Prophetia *de propagatione* ecclesiae. **) Ephe. 3.

Afferent filios tuos in ulnis.

Evangelium non est violenta doctrina, sicut leges sunt, sed suaviter portat in verbo, ut sponte affluant filii non coacti.

Et erunt reges nutricii tui.

Significat etiam reges convertendos esse. Sic*) Carolus Magnus, Theodosius, et alii magni principes verbum amplexi sunt et ecclesiam liberalibus eleemosynis sustentarunt, conservarunt pacem, defenderunt Christianos a vi et injuria]. Sic hodie noster elector Saxoniae imperium suum confert ad usum ecclesiae, dum fovet doctores verbi. [Acceperunt hunc locum de bonis donatis ecclesiae. Sed ego vix unquam judico bona ecclesiae propter evangelium donata esse, sed fraude potius[1]) et furtis pontificum Imperatoribus erepta sunt.

Pulverem pedurm tuorum lingent.

Figurate exprimit eve rentiam, quam Christianis exhibituri sunt magni principes.

Scies, quia ego Dominus, super quo non confundentur, qui exspectant eum.

Concludit has magnas promissiones verbo exspectandi, ut scilicet duremus in afflictione, tum futurum, ut omnia ista, quantumvis impossibilia videantur, recipiamus. Est autem proprie Christi-

---

*) Reges nutricii ecclesiae.

1) In ed. 1532 deest: potius.

anorum opus exspectare Dominum, quod simulari a nullo potest. Ratio enim naturaliter ad alia praesidia refugit.

Numquid tolletur a forti praeda.

Est occupatio, in qua de modo disputat, quomodo parare filios possit, quasi dicat: afflicta ecclesia. Tu promittis magnam posteritatem, verum ego video, quam id sit impossibile in tanta adversariorum potentia. Filii enim, quos promittis, sunt sub tyrannis, qui eos tenent, sicut gigas rapinam. Sunt inter gentes sic excaecati et indurati, ut impossibile sit eos morti et inferno, a quibus tyrannis quasi jure tenentur, eripi[1]). Respondet igitur: Ego Dominus faciam, ut et magnam posteritatem habeas, et qui se tibi opponunt, suis viribus pereant. Hoc enim est, quod dicit: Cibabo hostes tuos carnibus suis etc.]

Aut quod captum fuerit a robusto salvum esse poterit?

Sic apud Judaeos tenebatur populus a levitis et doctoribus justo titulo, erat enim politia divinitus instituta, et tamen apostoli totam legem abolebant. Unde autem habuerunt hanc autoritatem, siquidem evangelium tantum est doctrina spiritualis, et externas observationes, sive Mosaicas sive aliarum politiarum, non dissolvit. Sic nobiscum quoque accidit, fuimus sub jurisdictione papae et episcoporum, cur autem nos eam excussimus a nobis, cum evangelium doceri poterat, illis oneribus ma-

---

1) In ed. 1532 est: eripere.

nentibus. Hi sunt fortes gigantes, de quibus hoc loco dicit propheta, et Paulo quoque multum negotii fuit in hoc loco tractando, ut justi tituli gloriam synagogae eriperet.

Respondeo *), Apostoli habent mandatum docendi evangelii, id docent, et contra Mosen nihil aliud agunt, quam ut conscientias relinquant liberas, nec ceremonias violant, nisi quatenus tenent captivas mentes. Corpus enim subjicitur oneribus quibuslibet, conscientia nulli debet esse subjecta, quia habet per evangelium libertatem, ut sit libera a peccato, morte, lege, inferno, et omnibus traditionibus humanis. Iam vero cum synagoga non vult contenta esse imperio, quod in corpus habet, sed etiam conscientiae vult dominari, fit ut iniquum postulando etiam hoc amittat, quod aequum erat, et una cum ceremoniali observatione etiam politica pereat. Deus enim vult suos filios eripere, eos cum synagoga non vult dimittere, utrumque amittit.

Sic si Papa maneret in suo regno, et dimitteret saltem conscientias liberas, cogeremur manere sub ejus imperio, quia evangelium non est seditiosum, nec liberat ab externis oneribus. Sed quia id non vult facere, amittit etiam hoc quod justo titulo tenet, quia scriptum est, magis Deo quam hominibus **). Haec igitur ratio est, cur et Judaei et papistae pereant, Deus enim offert eis hoc, ut retineant politiam, tantum conscientias relinquant liberas, id cum nolunt, utrumque aufert.

---

*) **Quomodo pii liberentur ab oppressione et tyrannide.**

**) *Acto. 5.*

Caput quinquagesimum.

[Quia Propheta*) coepit tractare in posteriore suae prophetiae parte regnum Christi, quod inceptum et confirmatum est per vocationem gentium et abjectionem Judaeorum sicut Paulus Rom. 11. dicit de olea, ideo fere in his duobus locis versatur, ut et gentes ad ecclesiam vocet, et reliquias Judaeorum consoletur, exhortetur et provocet. Porro sunt duae legitimae rationes, quibus dividebatur in lege maritus et uxor. Prima, quod uxor repudiabatur, secunda, quod vendebatur. Quia igitur synagoga ab ecclesia recessit, accusat eam tanquam meretricem, quae sine ulla causa discesserit a marito. Non repudiavi, non vendidi te, inquit, sed tua iniquitas et malitia causa est hujus repudii.

Ecce enim in iniquitatibus vestris venditi estis**).

Haec est causa rejectionis ***). Sicut hodie nihil obmittitur a nobis, ut reducamus tum Papistas, tum sectarios in viam. Non excludimus eos ab ecclesia, sed ipsi se excludunt.

Quia veni, et non erat vir.

Probat ipsorum malitiam in causa fuisse. Veni in carnem, inquit, sum mortuus pro vobis, resurrexi, implevi et exhibui praesens omnes promissiones. Verum vos me non recepistis. Sicut est Io-

---

*) Summa Cap. 50. **) Enarrat. cap. 50. ***) Causa rejectionis Israelis.

han. I: Venit in propria, et sui eum non receperunt.

Numquid abbreviata et parvula etc.

Iactat potentiam suam contra Iudaeos, et objurgat eos, quasi dicat: Vos me ideo negligitis, quod sine aliqua pompa veniam, spectatis corporale regnum, et hanc infirmitatem contemnitis. Verum ego sic soleo, nunquam liberavi vos per virtutem, sed semper per infirmitatem, in qua summa virtus et potentia est, et tum soleo esse potentissimus, cum prorsus nihil posse existimor. Sic enim solet Deus *), quoties nobiscum vult agere, apprehendit eas formas, quas mundus judicat stultissimas et infirmissimas esse. Sic in baptismo jubet suos perfundi aqua, ut eluantur peccata. Quid autem ineptius fingi potest ad superandam mortem et infernum, quam perfundi aqua, ad quam accedit miser halitus peccatoris ministrantis. Sic sunt omnia alia Dei opera, ut nostram sapientiam stultificet, ne quid praesumamus.

Ecce increpatione desertum facio mare.

Ego infirmus Deus, verbo, quo nihil infirmius putatur, mare rubrum exsiccavi, ut liberarem te, ne igitur offendaris humili specie. Quamquam autem historica haec sint, tamen possunt allegorice exponi, quod potentes deponat de sede]. Porro prophetae hoc exemplum de mari rubro saepe repetunt, quod insignem picturam divini auxilii continet. Quid enim potuit fingi magis infirmum quam

*) Potentia Dei in infirmitate posita.

populum salvare per mare, quod erat certissima suffocatio ad mortem, sicut senserunt Aegyptii. Non igitur erat illa aqua vitae, sed potius aqua mortis, et tamen per istam aquam operatur Deus contrarium, et facit eam invalidissimam ad nocendum et potentissimam ad salvandum. Haec fuit potentia verbi. Sic quidquid insigne est in operibus divinis, insigni infirmitate est factum. Id autem ideo facit Deus, ut nostram sapientiam arguat, ne quid praesumamus.

[Induo coelos tenebris.

Infirmus ego Deus in monte Sina induxi coelum nubibus, ut nulla stella conspiceretur.

Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum verbo, qui lassus est.

Si te offendit infirma species, praebe aures et audi verbum, quod mihi Dominus dedit. Sic ab externa specie, in qua cernitur infirmitas, remittit ad verbum, ut qui in specie scandalizantur, verbo se aedificent. Epitasis est in nomine: eruditam linguam, quasi dicas: linguam discipulatam, quae nihil loquitur, nisi quod a Deo didicit. Non est lingua magistri, sed lingua discipuli.

Erigit mane.

Hic usum et vim verbi*) ostendit, quod scilicet nunquam sit sine fructu, sed ferat fructum, et in docente, et in discente. Est observandus locus

*) Usus verbi.

pro externo verbo, quod profani et seditiosi spiritus hodie contemnunt]. Mane significat in tempore opportuno, non quo nos volumus, sed quo ipse vult et per quos ipse vult.

[Dominus aperuit mihi aurem, ut audiam quasi magistrum.

Verte: ut audiam sicut discipulus. Dominus cum dat verbum, simul dat et discipulos. Nostri sectarii *) quamquam multa audiant, legant et dicant, tamen dicunt, legunt et audiunt omnia sicut magistri, ad ostentandum se et nos judicandos, imo et ad verbum Dei judicandum, non ad discendum.

Ego autem non contradico.

Suo exemplo ostendit hic fructum verbi **). Verbum enim facit, ut patienter feram quidquid mihi obtigerit, non fugio crucem, sed verbo consolatus etiam mortem subire non recuso.

Corpus meum dedi percutientibus.

Sunt intelligenda de passione Christi. Celebrat enim et commendat nobis vim verbi. Sic ecclesia decies potius mortem subiret, quam ut verbum Dei sive opere, sive ore negaret. Tanta est virtus in verbo Dei ***), quod infirmum et stultum est iis, qui pereunt, et qui volunt esse magistri. Nobis autem, qui sumus discipuli, est summa virtus. Porro qualem Christus sic se esse dicit, talis est ecclesia hodie

---

*) Sectariorum in docendo perversitas. **) Fructus verbi. ***) Verbi virtus.

et omnibus temporibus, exposita scilicet percussoribus et vellicatoribus.

Dominus Deus auxiliator meus.

Haec est vis verbi, qua sustentatur Christus. Porro si speciem consideres, diversum apparet, et judicatur premi Christus cum ecclesia a Deo et satana simul, nec usquam esse auxilium.

Ideo posui faciem meam ut petram.

Facies est per se mollissima et tenerrima pars corporis. Hanc in Christo et ecclesia oportet esse duram sicut silicem ad sustinendas plagas. Non ergo desperent Christiani in malis, sed sciant ponendas facies sicut petras [1])], et sperent fore, ut per spiritum et verbum victores evadant. [Est insignis confirmatio et consolatio illorum, qui propter verbum patiuntur.

Quis est qui condemnet me?

Hic insurgit petrea facies contra adversarios magna plerophoria *), quam nos quoque habere necesse est. Varie hodie accusamur, damnamur tanquam haeretici et seditiosi. Alii clamant, nos revocare papatum, alii aliis calumniis nos gravant], in summa, omnia quae ipsi peccant in nos congerunt. [Recurrimus igitur ad verbum, et hic cum Christo dicimus: Quis est qui condemnet nos? Scimus enim falso omnia ista crimina nobis imponi

---

*) Plerophoria Christi et ecclesiae.

1) Edit. 1532 sic pergit: ut omnia in spiritu et verbo superare possint.

ab adversariis, sicut David etiam suis hostibus insultat coram Domino: Si feci istud, si est iniquitas in manibus meis etc. Psal. 7 *).

Ecce omnes quasi vestimentum conterentur.

Insignis consolatio contra adversarios Christi et ecclesiae. Sed quemadmodum auxilium piorum coram mundo non apparet, sed potius premi videntur, ita nec contritio impiorum apparet, sed florent, et ipsi conterunt ac comedunt alios, non conteruntur, non comeduntur. Quare fide hic opus est, qua exspectemus illa aliquando futura. Non enim mentietur spiritus sanctus et videtur propheta ideo hac similitudine esse usus, ut significaret, non statim perire impios, sed dare Deum spatium poenitendi. Quod si neglexerint, fieri ut tyranni pereant, verbum autem Domini maneat in aeternum.

Quis ex vobis timens Dominum.

Christus **) nobis dupliciter proponitur, primo sicut donum, deinde sicut exemplum. Hic igitur communicat personam suam omnibus tanquam exemplum. Si quis est, inquit, qui timet Dominum, et delectatur verbo, ille variis calamitatibus obruetur, ambulabit in tenebris, hoc est, affligetur in mundo. Sequatur igitur meum exemplum, et speret in nomine Domini, et certo experietur, quemadmodum ego servatus et glorificatus sum, hostes autem mei interierunt, sic se servatum iri, et hostes suos iri perditum.

---

*) *Psal* 7. Psal. 102. **) Christus donum et exemplum.

Speret in nomine Domini, et innitatur super Deum suum.

Haec una ratio liberationis, hoc unum in asperis rebus refugium est, sperare non in humana consilia et auxilia, sed in nomen, non hominis, sed Dei *). Est autem scandalosa species, nihil habere, cui innitaris, nisi nudum nomen Domini, et verbum, quod quasi arx quaedam est, ad quam confugiat justus, ne pereat in tempore malo.

Ecce vos omnes accedentes ignem.

Ignem quem succendistis, et flammas, quas in me congerere voluistis, in vos convertam **). Sicut Psalm. [1]) 7. dicit: Incidit in foveam, quam fecit], item convertetur dolor ejus in caput ejus, item Psal. 36: Gladius eorum intret in cor eorum. Sic dicit lex quoque, quacunque mensura fueritis mensi, eadem remetietur vobis. Sic cum Judaeis accidit, illi Christum ideo occidebant, ne venirent Romani et tollerent regnum eorum, occidendo autem Christum occiduntur et pereunt ipsi. Christus autem gloriose resurgit et dominatur.

Ambulate in lumine ignis vestri.

Ignis significat persecutionem, dicit igitur, estis instructi omni genere persecutionum, sed absumat vos ignis vester. Sic tenet Deus hanc artem, adversarios et persecutores suos suo ipsorum sanguine potat. Nec lex est aequior ulla, inquit ille, quam

---

*) In aerumnis sperandum in nomen Domini. **) Impiorum consilia ipsis sunt exitio.

1) In ed. 1532: in Psal. dicit:

necis artifices arte perire sua. Idem se hic Deus facturum promittit, quare pii consolari se talibus locis debent, ut, dum nihil vident, quam suam perditionem et afflictiones, credant adversarios suos potius quam se perituros etc.

[In doloribus dormietis.

In doloribus jacebitis [1])], id est, vos Judaei, qui fuistis instructi ferro et flamma contra ecclesiam meam, patiemini id, quod alios voluistis pati, et nihil eritis nisi miserabilis et laboriosa faex populi. Non [stabitis aut sedebitis, sed jacebitis [2]) nunquam surrecturi, sine regno et sacerdotio. Haec vobis fient de mea manu, quem tanquam infirmum Deum contemnitis et repudiatis].

Caput quinquagesimum primum.

Pergit in consolatione ecclesiae *), ex reliquiis Judaeorum et ex gentibus collectae, quae propter verbum affligitur. Tu ecclesia putas te desertam viduam esse, et repudiatam a me, verum ne desperes, cum paucitatem tuam et sterilitatem tuam consideras, quia is, cui credis, potens est te multiplicare, et ex sterili foecundam facere. Respice effoetum Abraham et sterilem Saram, in quam numerosam posteritatem excreverint. Porro tu nondum ita desperata es, sicut Abraham et Sara fuerunt, noli igitur succumbere, confide etc. Sic

*) Summa cap. 51.

1) Ed. 1532 sic pergit: non dicit, stabitis aut etc.

2) *In ed.* 1532 hic intersertum est: tanquam.

consolatur insigni exemplo Abrahae omnes solitarios, derelictos, et steriles in speciem propter verbum.

Audite qui sequimini quod justum est*)].

Loquitur ad eos, qui quasi desperant considerata larva mundi, quasi dicat: Nolite desperare [vos, qui non contemnitis verbum, sed velletis recto omnia ubique geri et administrari.

Attendite ad petram, unde excisi estis.

Quasi dicat; Quam impossibile est, ex saxo homines nasci, tam erat impossibile ex Abrahamo**) aliquid propagari. Et tamen ex illo uno, effoeto et desperato viro, vos, tantus populus, propogati estis]. Pertinet autem haec consolatio***) maxime ad episcopos et pastores, illi hac ratione se debent erigere, ut credant ministerium suum non esse inefficax, etiamsi in speciem nullus fructus videatur sequi. Nam qui non vult ministerio suo contentus esse, nisi prius omnes converterit et Christianos effecerit, ille nullam unquam habebit pacem. Sicut igitur Abraham ubique invenit contemptum Dei, et tamen non est fractus animo, quo minus ipse cum sua familia in vera religione perduraret et alios doceret, sic tu quoque noli frangi, sed perge in officio tibi divinitus mandato, et relinque Deo curam de successu verbi. Vocat autem Abraham petram, quod posuit faciem suam tanquam petram et fide illam desperationem vicit.

---

*) Enarrat. cap. 51. **) Abraham petra, unde Judaei excisi. **) Consolatio piorum ministrorum.

[Et ad cavernam laci, de qua praecisi estis.

Sic appellat sterilem Saram] scaturiginem ex petra.

[Quia unum vocavi eum, et benedixi ei.

Emphasis est in nomine unum, quasi dicat: Noli spectare multitudinem repudiatorum, et tuam paucitatem, etiamsi unica et solitaria sis. Possum enim te facere in maximum populum. Sine dubio autem hoc exemplum Abrahae magnae consolationi apostolis fuit, qui scandalo multitudinis abjectae movebantur. Et nos hodie in misera ecclesiae facie similiter nos consolamur, ut quantumvis pauci sint, qui veram religionem amplectantur, fore tamen, ut benedictione divina sicut Abraham crescamus, et aliqua ecclesiae forma etiam ad posteros nostros perveniat*).

Consolabitur ergo Dominus Zion.

Jam accommodat exemplum Abrahae, et exponit statum seu formam ecclesiae, quod ecclesia sit tanquam solitarius Abraham, et sicut desertum et ruina, fore tamen, ut benedictione divina crescat, et sit tanquam cultus hortus[1])]. Sic hodie fratres nostri, qui passim in ministerio evangelii sunt, ad nos scribunt

---

*) Promissio de propaganda ecclesia.

1) Ed. 1532 sic pergit: Accommodari autem haec privatim quoque debent, ut, si quis se in fide, spe, castitate, et aliis donis sentiat quasi desertum esse, non tamen desperet, sed credat Deo promittenti benedictionem.

de contemptu verbi miserabili ubique. Sed quid faciamus nos? Propheta enim idem hic quoque queritur, et desertum appellat ecclesiam plenam ruinis, quare resistamus huic scandalo fide, et pergamus ministerium nostrum exsequi in patientia et in doctrina, et fiet sicut textus dicit, quod ponetur desertum nostrum sicut Eden et hortus Domini*). Accommodari autem haec privatim quoque debent. Nam in ecclesia haec solitudo non ita cernitur, singuli autem sentimus nos esse steriles petras et merum desertum sine fide, spe, patientia, castitate, et aliis donis. Contra hunc sensum erigamus nos hac promissione, et credamus aut nos non omnino esse steriles, aut si sumus, sciamus nos habere Deum promittentem, ut invocemus et exspectemus benedictionem ejus.

[Attendite ad me, populo meus.

Hic modum et formam addit, quomodo ecclesia**) sit multiplicanda et paranda in hortum, non manibus et vi aliqua, sed nova lege, hoc est, evangelio, quod non Moses in Judaeos tantum, sed ipse Christus per apostolos suos in totum orbem sit divulgaturus. Ideo non potest accipi de lege Mosi. Et est insignis locus et clarus de abrogatione legis***). Promittit enim novum Mosen, legem novam. Ea non potest esse lex operum, quia talis erat lex Mosi, sed est lex gratiae et misericordiae, qua justificamur, cum eam fide apprehendi-

---

*) Ecclesia Eden et hortus Domini. **) Ecclesia paranda et multiplicanda praedicatione verbi. ***) Lex abroganda.

mus. Communicata[1]) adjectiva in substantiva. Prope est justitia mea et salus mea, id est, ordinatio justae ecclesiae et victoria in fide.

[Brachia mea populos judicabunt.

Ego ipse regnabo per meam potentiam in populis. Judicare enim idem est quod regere, ut Samson judicavit 25 annis, id est, regnavit.

Me insulae exspectabunt.

Propagabitur ecclesia in gentes et sic crescet.

Levate in coelum oculos vestros.

Vos, qui ita desperati estis, et defatigamini illa specie sterilitatis, inspicite coelum et terram, quae videntur aeterna esse. Prius tamen peribunt coelum et terra, quam salus et justitia mea *), quam vobis promitto. Non enim temporalis aut corporalis justitia est, sed aeterna. Sicut in Psalmo **) est: Justitia ejus manet in seculum seculi. Quantumvis igitur externa species cum mea promissione pugnet, tamen suscipiemini a me, et suscipiemini in justitia et salute aeterna.

Habitatores ejus sicut haec interibunt.

Haec est δεικτικόν, quasi pilum aut floccum ostendat. Est autem magni animi et ingentis plerophoriae, credere, quod justitia, quae nobis in nudo verbo promittitur, major et stabilior sit, quam

---

*) Coeli peribunt, justitia autem Dei aeterna. **) Psal. 112.

1) In ed. Jenensi sic legimus: Prope est justus meus. Commuta adjectiva in substantiva. Prope est etc.

coelum et terra. Ad quam comparatum coelum et terra nihil sunt].

Salus mea in sempiternum erit et justitia mea non deficiet.

Illa justitia*), in qua haeretis, est aeterna, quae nunquam deficiet, deficientibus interim adversariis vestris tanquam tineis. Haec quoad affectum et Deum sunt vera, sed coram mundo sunt inversa et falsa. Nos enim potius sumus inveterascens vestis et tinea.

[Audite me, qui scitis justum.

Est exhortatio. Cum igitur tanta sit vestra justitia, quid metuitis tyrannos, qui nihilo potentiores sunt, quam tineae et vermes? Sunt autem opprobria [1]), de quibus dicit, non solum, quae homines in nos congerunt, sed multo magis, quae satan et conscientia nobis objicit [2]). Quare fide omnia haec sunt accipienda. Coram mundo enim nos sumus tineae et vermes, sicut Christus etiam queritur**). Contra adversariorum justitia aeterna videtur, splendet et triumphat, et tamen verum est, esse tineas omnes nostros adversarios, tam spirituales quam corporales. Tinea non potest tactum ferre, sed statim conteritur. Tales credit fides esse ferreos et aeneos illos tyrannos coram mundo.

Consurge, consurge, induere fortit.

Consolationi subjicit sive cantilenam, sive

---

*) Justitia promissa verbo aeterna. **) Psal. 22.
1) In ed. 1532 additum est: et blasphemiae. 2) In ed. 1532: objiciunt.

gratiarum actionem, sive orationem, et rogat, ut velit ostendere virtutem suam. Sunt autem verba affectuum, quod dicit: Consurge, perinde atque si Deus altum somnum dormiat. Noster enim Deus coram mundo infirmus et stultus est, talis quoque est populus ejus, nec potest se vindicare contra tyrannos et haereticos. Ad orationem igitur recurrit, et orat auxilium.

Consurge sicut in diebus antiquis.

Olim satis potenter ostendisti brachium et potentiam tuam, cum percussisti superbos Aegyptios, et draconem, hoc est, Pharaonem in exitu populi tui mersisti*). Idem nunc facito.

Et nunc qui redempti sunt a Domino.

Fatetur ecclesiam captivam et nondum liberatam esse, carere gaudio et laetitia. Sentit enim ecclesia suam Aegyptum, et premitur variis tentationibus mundi, satanae et conscientiae. Christus tamen promittit, tristitia vestra vertetur in gaudium**), iterum, videbo vos et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis***). Sic habent credentes certissimam consolationem, quod Deus aderit et liberabit eos. Sed hoc molestum est, quod Christus et Petrus dicunt, modicum exspectandum esse. Videtur enim hoc modicum tum, cum in tentatione sumus, aeternitas quaedam esse, quare opus habemus his consolationibus verbi.

Ego, ego ipse consolabor vos.

Excitat corda nostra ad contemplandum eum,

---

*) Exod. 14. **) Johan. 16. ***) 1. Pet. 1.

qui nobis loquitur: Ego Deus consolor te, non aurum, non argentum, non gloria, non mundus etc., sed verbum et spiritus meus sustentabunt et defendent te.

Quis tu, ut timeas ab homine mortali?

Times hominem, qui te terret, quare etiam non erigeris me consolante *)? Deus enim sum, qui impleo coelum et terram, illi sunt bullae aquae, tineae, stipula, stilla, situlae, momentum staterae, pulvis, incensae spinae etc. Dicit igitur se consolatorem esse, non perturbatorem, quamquam caro tempore tribulationis sic judicet, sed male judicat. Non enim tentamur, ut tribulemur et pereamus, sed ut virtus verbi clarescat et fides crescat, quae otio languesceret.

Oblitus es Domini factoris tui.

Tuus factor ego sum, non carnifex aut tortor, et tanta est potentia mea, ut coelos extendam et terram fundaverim. Non igitur est, ut metuas parrum virium in me esse ad te liberandum]. Sed sic fit, pii nimium terrentur nomine Dei, impii prae securitate nimium contemnunt. Inde accidit, ut diversae praedicationes inveniantur in scriptura. Nam praedicatio remissionis peccatorum pertinet ad contritos et humiliatos erigendos, lex autem et minae ad securos contundendos, cum quibus loquitur Deus tanquam ignis consumens.

[Ubi nunc est furor tribulantis.

Allegat exemplum Pharaonis et populi Ju-

*) Consolatio ex Dei omnipotentia contra hominum furores.

daici, ut erigat afflictam ecclesiam. Quemadmodum ille periit, ita quoque tui hostes peribunt. Porro hunc locum sic verte: Ubi nunc est furor tribulantis? dum accelerarel, et discurreret ad aperiendum (hoc est, ad dimittendum populum Israel), ipsi autem (scilicet populus Israel) non moriebantur in fovea, nec deficiebat eos (id est, populum) panis].

Dominus exercituum nomen meum.

Dominus militantium. Qui enim vult esse Christianus *), cogitet se esse militem stantem in acie, objectum omnibus telis satanae et mundi, quia confessionem sequitur impugnatio diaboli. Hinc et nos Zebaoth, et Dominus noster Dominus Zebaoth dicitur, quod inter militantes regnet.

[Ponam verba mea in ore tuo.

Hic debet esse modus, quo nos consolatur et triumphare facit Deus, nempe per verbum **). Non dat arma in manus, sed suum verbum in os ponit, cum eo verbo consolamur fratres, et profligamus satanam cum adversariis nostris. Magna igitur res est, certum esse, quod verbum Dei habeas et doceas. In hoc solo virtus nostra est sita. Quare hoc primum est statuendum, an sit verbum Dei, quod nos docemus et sequimur; hoc cum statutum est et confirmatus est animus plerophoria, tum facile est quaevis ferre, pati et superare.

Et in umbra manus meae protexi te].

Non solum verbum in ore tuo ponam, sed de-

---

*) **Christianus est miles.** **) **Victoria ecclesiae per verbum.**

fendam quoque te contra crucem, quae te prèmit. [Promittit defensionem, quae omnino necessaria est iis, qui verbum habent, propter mundi et satanae insidias et insultus. Sicut igitur dixi, primum videamus, an hoc sit verbum Dei, quod docemus, tum certo aderit defensio manus divinae in mediis tribulationibus.

Ut plantes coelos et fundes terram.

Novos [1]) coelos et novam terram vocat ecclesiam, quam sibi plantat et fundat Deus per externum et vocale verbum et os nostrum carneum, ut sic dicam. Quare impii et profani spiritus sunt, qui vocale verbum contemnunt.

Elevare, elevare.

Verte: expergiscere. Significat enim ecclesiam stertere profundo somno prae malis, quibus exercetur. Pertinent autem haec quoque ad consolationem *). Concedit esse ecclesiam afflictam et proculcatam, quae omnium injuriis pateat, prematur a tyrannis et sectis. Id enim significat per calicem irae, quem usque ad faecem bibisse dicit [2])]. Quis autem comprehendere potest praeter solam fidem, quod in dilecto populo simul sint ira et gratia? Vocat autem calicem irae, [quod sit deputata mensura crucis. Calicem autem soporis dicit, sicut Psalm. 59. vinum compunctionis, item, vinum, quod

*) Consolatur Ecclesiam afflictam.

1) In ed. 1532 haec enunciatio sic incipit: Novos coelos et novam terram spiritualem significat, ecclesiam scilicet, quam plantat etc. 2) Edit. 1532 sic pergit: Calicem enim vocat, quod sit etc.

cum bibitur facit nutare, sicut etiam in Psalm. 107: Moti sunt pedes mei sicut ebrii, hoc est, quod ita nonnunquam deserimur et immergimur tentationibus, ut nullum consilium et evasio nulla usquam appareat, ut desperabundi gemamus et suspiremus auxilium. Haec enim est ebrietas, de qua propheta hic dicit, quae complectitur spiritualia et corporalia mala omnia].

Hoc autem maxime est mirabile, quod dicit de manu Domini. Quidquid igitur sanctorum martyrum fuit, qui gesserunt magistratum in ecclesia, aut confessi sunt nomen Christi, hi semper objecti fuerunt faucibus diaboli. Et quamquam ea diaboli ac non Dei sit ira, tamen scriptura Dei iram vocat, quia Deus ista permittit fieri, et tota res est posita in manu Domini. Neque enim satan et mundus plus possunt nocere, quam eis permittitur. Habent igitur suum definitum modum, et fines suos, ultra quos non possunt, sicut Hiob eleganti figura dicit, quod satan et mundus sint similes mari intumescenti, quod erupturum videatur ultra littora, non tamen superat littora, sed fluctus in se colliduntur etc.

[Non erat, qui sustentaret eam.

Tantum est malum, ut nullus hominum quidquam auxilii ad id afferre possit.

Duo sunt, quae occurrerunt tibi.

Ebrietas scilicet nutabunda, et desertio filiorum, ut et oppressa esses ex omnibus partibus, et neminem haberes, qui te sublevaret, in cujus sinum evomere molestias tantas posses. Sic praevenit nos spiritus sanctus, quasi dicat: Scio haec ita fu-

tura esse, non est quod putes me ignorare passiones tuas, non potest aliter fieri. Ego autem scio, et numero gemitus et lacrimas tuas, sicut in Psalm. 56. dicit: Numéra fugam meam, et collige lacrimas meas in utrem tuum]. Sed requiritur ad haec fides et experientia.

[Vastitas, contritio, fames, gladius.

His fere infestatur ecclesia. Gladium et vim impiorum sentimus hodie, sentimus etiam famem. Videtur enim mundus conspirasse, ut evangelii ministros fame enecet, tanta passim rusticorum, civium et nobilitatis malitia est.

Filii tui projecti sunt.

Quid sit orix, disputant grammatici, nos accipimus pro silvestri bove. Est enim ecclesia sicut silvestris fera, in qua omnes sua odia exercent, venando, illaqueando, mactando. Sic Paulus dicit, pro piaculis Christianos haberi, quorum morte placetur Deus, et liberentur homines ab ira Dei], hoc enim vocabulum catharma et peripsemà significant. [Non solum autem persecutionem patiuntur, sed etiam indignationem Domini, et increpationem Dei nostri, hoc est, quod laborat conscientia, et sentit se premi ira et indignatione Dei. Haec, inquam, Christiani patiuntur. Contra Epicuri et porci illi sunt securi, et laetissimo successu fruuntur, sed tamen usque ad tempus.

Haec dicit dominator tuus.

Est promissio, futurum ut a malis omnibus ecclesia liberetur, et male pereant ejus inimici].

Neque enim deserit eam Deus in summa calamitate, sed hoc summae artis est posse statuere, quod projectus non projiciatur, et damnatus non damnetur, sicut Johel dicit: Infirmus non sum infirmus, sed fortis, cap. 3.

[Ecce tuli calicem soporis de manu.

Vocat calicem indignationis, non quod sit vera indignatio et ira. Quomodo enim nobis irasci Deus potest, quos adoptavit in filios? Sed spiritus sanctus loquitur ex affectu nostro. Nos enim sentimus veram esse iram, tum cum a domino corripimur.

Et ponam illum in manum eorum, qui te humiliaverunt.

Sic hodie non prius cessant papistae nos persequi et humiliare, quam pereant. Pacem nolunt, quae eis offertur. Posuimus igitur corpus nostrum ut terram et quasi viam transeuntibus. Calcaverunt dorsum nostrum ut lutum. Fiet igitur aliquando, ut experiantur ea, quae hic Deus persecutoribus ecclesiae minatur. Hactenus igitur propheta insignes consolationes ecclesiae tractavit, quae in verbum collectae sunt, non in aliqua externa, visibilia aut sensibilia praesidia. Ergo noster thesaurus*) est occultus et invisibilis. Extra verbum enim nulla est consolatio**). Profani homines hodie, qui tamen sibi spiritum arrogant, docent spiritum alia via quam per verbum contingere. Id quod periculosissimum est, in tentatione enim tales aut

*) Thesaurus ecclesiae. **) Conclusio et epilogus *hujus capitis*. Verbum vocale.

desperabunt, aut sibi ipsis manus afferent. Sunt enim expositissimi satanae, quia non sunt allegati ad verbum externum, et ad petram illam *), quae sola vim aquarum et tempestatis sustinet.

Quare meminerit unusquisque, ut hoc verbum, quod in biblia legit, quod ex ore hominis audit, maximi faciat **)].. Quia enim Christiani sine calice vivere non possunt, opus habent verbo, quod contrarium a sensu praesenti polliceatur. Ei verbo credere est certa victoria, nam et praesentem doloris sensum lenit, quem nulla res externa lenire potest, et properat etiam liberationem.. [Non enim frustra Paulus ***) admonet, habentes spem per consolationem scripturarum, item: Omnis doctrina divinitus inspirata ad docendum utilis est[1]) etc.

Caput quinquagesimum secundum.

Coepit propheta prophetiam ****) de regno Christi, evangelio, fide et ecclesia. Non autem uno sermone hoc argumentum tractavit, sed sicut nos quoque in nostris concionibus solemus, variavit tractationem alia atque alia forma. Videtur igitur hic novum sermonem de eadem re instituere. Videt synagogam variis calamitatibus oppressam, variis bellis et captivitatibus vexatam esse. Promittit igitur Christum hoc capite, quasi dicat: Toties capti, redempti, et deinde iterum vastati estis, age instituam aliquando redemptionem, quae sit aeterna, quam

---

*) Matth. 7. **) Ministerium verbi magni faciendum. ***) Rom. 15. 2. Tim. 3. ****) Summa Cap. 52.

1) In edit. 1532 deest: est.

nulla alia captivitas, nulla vastatio sequatur. Ea redemptio est, qua Christus morte sua in cruce exhausit[1] peccatum, mortem et infernum, et redemit nos liberatione perpetua.

Induere fortitudine tua Sion*).

Quasi dicat: Prae manibus est, ut libereris, et constituaris in regnum novum et aeternum, ergo sis animosa, et indue ornatum, utere ista libertate et gratia. Conjungit autem fortitudinem, quae ad bellum requiritur, et ornatum, qui requiritur tempore pacis. Evangelium enim[2]) utrumque**) praestat. Munit nos fortitudine contra peccata et mortem, et[3]) ornat quoque exercitiis fidei, caritate et donis, quae spiritus sanctus credentibus affert, castitatem, sapientiam.

Quia non adjiciet ultra, ut pertranseat.

Intrare Hebraica consuetudine significat administrare, regere]. Sic in Deut: Non intrabit in ecclesiam Dei Ammonites. Non enim prohibitum erat Ammoniten transire ad Judaeos, et proselytum fieri, sed fungi officio publico docendi, quod simpliciter in suo populo volebat servari. [Promittit igitur fore, ut neque gentiles tyranni (hos enim incircumcisos vocat), neque hypocritae Judaei sint in administratione verae ecclesiae.

Excutere de pulvere].

Sicut duplices tyrannos descripsit, ita descri-

---

*) Enarrat. cap. 52. **) Fortitudo et ornatus ecclesiae.

1) In ed. 1532 legitur: exhausit in cruce. 2) In ed. 1532 deest: enim. 3) In ed. 1532 deest: et.

bit hic duplicem captivitatem *), nam [distinguenda haec sunt, pulvis et vincula. Prius enim significat corporalem captivitatem, posterius autem spiritualem, quae est sub legibus et traditionibus extra Christum. Captivitas enim conscientiae est, qua homo captivatur opinione falsi peccati. Ubi enim Christus non lucet in cordibus, ibi impossibile est hominem sibi non facere captivitatem ex legibus. Ratio haec est, quod homo naturaliter hanc sapientiam habet, si hoc et hoc non servaveris, damnaberis.

Huc faciunt tyranni corporales et spirituales, qui exigunt a nobis legis et aliarum traditionum opera. In ecclesia autem et fide Christi neque civiles, neque divinae leges Mosi conscientiam ligant, aut damnant, extendi enim debent tantum super corpus et res externas]. Ergo conscientiam liberatam per Christum coram Deo nec laedere nec juvare debent. [Et conscientia debet in Christo, qui super et extra omnes leges est, haerere], et postea illas leges servare in officium caritatis, extra conscientiam. [Et haec est libertas Christiana **), de qua alibi plura scripsimus.

Gratis venundati estis, et sine argento redimemini.

Gratis estis traditi in manus gentium, hoc est, gentes pro ista direptione non dederunt poenas, sed pro libidine sua vobiscum impune egerunt. Fiet igitur, ut vos vicissim gratis redimamini. Sic nos hodie liberati sumus a jugo papae ***) gratis,

*) Duplex captivitas ecclesiae. **) Libertas Christiana. ***) Libertas a papatu.

hoc est, sine ullo praecedente merito, et sine p
peccati, quod Christum in omnibus concionib
aris blasphemavimus et crucifiximus, sicut a
hodie totus papatus facit sine poenitentia. Ç
necesse est eum ruere.

In Aegyptum descendit populus me

Exaggerat collatione tyrannidem Pharis
rum. Graviter afflictus est populus meus in Aeg
sub Pharaone, graviter ab Assyrio, sed nihil
si conferas ad tyrannidem exactorum legis, P
saeorum et Sadducaeorum, qui conscientias m
rime vexant. Perinde atque si hodie dicar
Magna est principum tyrannis, sed quid ea ad
pam? Illi enim corpora tantum et res, at papa
mas crudeliter perdit.

Dominatores ejus inique agunt.

Verte: Fecerunt ululare. Videmus autem
quam magnum peccatum sit male docere.
enim est docere, sed ululare et blasphemare.
mali doctores sunt obscoenae aves, quae in t
bris volant, et ululatibus suis turbant et te
conscientias, et fatigant miseros auditores vanis
ribus. Blasphemi etiam sunt, quod negant grat
et tribuunt justitiam operibus. Tales noctua
bubones hodie alit et habet papatus*). Vic
autem Paulus ad hunc locum allusisse Rom
Nomen Dei propter vos blasphematur in gentib

Propter hoc sciet populus meus no
meum.

Adimam his hypocritis et pseudoprop

*) Impii doctores in papatu ululae.

officium et congregabo populum ad me, ut me unum audiant. Sic abrogat officium docendi Mosi et veteri sacerdotio *), quod in certa familia erat, et dicit se fore pastorem **), quem unum oves audiant, et sequantur, reliquos autem omnes contemnant, sive sint episcopi, sive pontifices, sive Moses ipse. Haec libertas ab apostolis coepta est, et durat adhuc hodie in ecclesia, est autem libertas non carnis, sed spiritus ***). In carne enim nulla debet esse libertas, debemus enim subjecti esse parentibus, magistratibus, et in summa, omnium servi esse. Sed in spiritu et conscientia sumus liberrimi ab omni servitute, ibi nulli credimus, nulli confidimus, nullum timemus, nisi solum Christum, qui regnat inter medias afflictiones cum gaudio et laetitia, inter media peccata cum virtute et fortitudine. Porro si quis dubitet prophetam de regno, quod in verbo positum est, loqui, audiat sequentia.

Quam pulchri pedes super montes [1]).

Est collatio evangelii et legis ****), et commendatio Christi loquentis per apostolos suos. Qui docent legem, sunt tristes bubones, et terrent ululatu suo, sed nuncii evangelii habent amabiles pedes, afferunt enim laetissimum verbum pro conscientiis turbatis, id quod illi norunt, quorum conscientia aliquando periclitata est. Sunt autem hi nuncii in montibus. Neque enim evangelium sic est alligatum uni monti et populo, sicut lex, sed liberrime

---

*) Abrogatio sacerdotii Levitici. **) Sacerdotium Christi. ***) Libertas spiritus. ****) Collatio legis et evangelii.

1) In edit. 1532 legitur: super montes pedes.

spargitur in montes, id est, populos, et in omnem terram, et adfert eis pacem, id est, remissionem peccatorum. Adfert bona, id est, laetitiam et gaudium, et alios fructus spiritus. Adfert etiam salutem, id est, libertatem et redemptionem a peccatis, morte et inferno; et victoriam contra omnia mala etc. Contrarium lex in animis hominum efficit.

Zion Deus tuus regnat.

Haec est ratio, unde sint tanta dona in ecclesia, quod scilicet ipse Deus Christus est rex et doctor. Quomodo autem non possunt omnia bona istic esse, ubi Deus est et regnat, ubi non regnant mors et peccatum, sed Christus et ipsa salus? Sic continet hic locus manifestam prophetiam de novo verbo invulgando*). Abrogat enim omnia regna Mosis, sacerdotii, Pharisaeorum etc., et unum Christum regem constituit. Id quod diligenter notandum est, ut constituamus Christum in proprium suum officium, ne, sicut papatus fecit, judicem ex eo faciamus], et ex evangelio, pacem afferente, legem.

[Porro multa alia ex hoc loco possunt colligi, si diligenter sententias inter se conferas. Dicit enim alios seduxisse populum suum, ergo habet populum corporalem in hac vita**). Item, promittit se ejus populi fore doctorem, ergo Christus est verus homo, et regnum Christi tantum consistit in verbo. Quod autem addit, blasphemari nomen suum, item, Deus tuus regnabit, ergo simul Deus est, et eadem per-

*) Novum regnum et sacerdotium Christi. **) Ecclesia coetus visibilis.

sona est verus Deus et verus homo *). Hinc necesse est sequi, quod sit moriturus, tanquam homo, et quod sit resurrecturus ex morte, tanquam Deus. Hinc apparet regnum Christi **) esse spirituale et non corporale. Ergo non poterit regi legibus ex ratione sumptis, sed solo verbo spiritus, ubi cor in gratia et per gratiam.[1]) vivit et agit, liberum ab omnibus legibus, poenis et pavoribus.

Errant igitur, qui putant Christum***) esse legislatorem, qui formet mores, et sicut Socrates aliquis exempla perfecta morum proponat. Quamquam enim etiam externas actiones format, tamen primum internum hominem instituit, et renovat, deinde etiam corpus, manus et pedes gubernat. Fidem enim sequuntur opera, sicut umbra corpus sequitur.

Speculatores tui levaverunt vocem.

Speculatores vocat ministros verbi, qui uno ore laeta et jucunda loquuntur. Significat tamen proprie per speculatores successionem verbi. Per apostolos enim fundatum est regnum Christi, per speculatores autem propagatur. Porro in speculatore vox requiritur. Nostri episcopi hodie sunt speculatores sine voce, et vere muti canes. Pertinet autem haec quoque particula ad descriptionem regni Christi, ut id discernamus ab omnibus aliis regnis, quod non in armis, vi, legibus consistat, sed simpliciter in laeto verbo evangelii. Ne confundamus politicum et ecclesiasticum regnum.

*) Christus Deus et homo. **) Christi regnum spirituale. ***) Christus non est legislator.

1) In ed. 1532 legitur: in et per gratiam.

Gaudete et laudate simul deserta Hierusalem.

Sic vocat reliquias synagogae, et simul indicat, evangelium esse praedicationem pauperum, sicut Christus dicit: Pauperes evangelizantur, et Psalmus[1]: Pauper et inops laudabunt te, Domine*)]. Neque enim gaudere jubetur, nisi is qui afflictus est et in lacrimis ac doloribus versatur. Et addit: Gaudete, non vos culta et polita Hierusalem, sed deserta. Est enim regnum Christi regnum tribulatorum et omnibus modis afflictorum, et verbum est verbum salutis et pacis, quo ii tantum opus habent, qui sentiunt damnationem et vexantur peccatis. [Quod autem dicit, laudate, significat sacrificium eucharistias, quod unicum Christiani habent, ut agnoscant beneficia Dei, et sint grati, laudando et praedicando Deum, non abutendo donis ad suam gloriam contra proximum].

Paravit Dominus brachium etc.

Brachium, id est, potentiam suam, quasi dicat: Cum essetis seducti et afflicti peccatis et conscientia, videbamini vobis prorsus esse sine brachio, quia Deus semper est infirmus et stultus in speciem, alii dii et principes sunt potentes et sapientes. Hoc autem tempore, inquit, aperiet brachium, ut ex stultitia et infirmitate illa procedat sapientia et potentia major, quam sit hominum. Alludit totus hic locus ad Psal. 97.

---

*) Matth. 11. Psal. 73.

1) In ed. 1532 legitur: *sicut in Psal. quoque: Pauper etc.*

[Recedite, recedite.

Post tantas promissiones subjicit propheta exhortationem, qualis illa Pauli est 2. Cor. 6 et Rom. 13, Recedite, inquit, a regno mundi, peccatorum et conscientiae. Amplectimini evangelium et nolite tempus gratiae negligere.

Pollutum nolite tangere.

Figura sumpta ex lege, quam transfert ad spiritualem munditiam et immunditiam. Pollutum autem est, quidquid non simpliciter ex fide Christi et gratuita gratia pendet]. Quare non tantum intellige adulteria et caedes ac crassa alia peccata, sed quidquid optimum est in homine non illuminato per spiritum sanctum, scilicet sapientia, religio, justitia, et speciosa illa opera, quae homines abducunt a fiducia gratiae ad praesumptionem, et habent maximam speciem sanctitatis. Debet enim fides *), quae sola pura est, in mera gratia niti.

[Mundamini qui fertis vasa Domini.

Pertinet hoc proprie ad ministros verbi**) et doctores, hi enim ferunt vasa Domini, quasi dicat: Vos, qui estis doctores, videte ut sitis mundi, nolite cauponari verbum, sed docete in simplicitate. Est autem necessaria adhortatio, qua monemur primo, ut maneamus in vera fide, secundo, ut maneamus in puro verbo], sine quo fides non potest exsistere.

[Quoniam non in tumultu exibitis.

Respicit ad historiam exitus de Aegypto, inde

*) Fides nititur sola gratia. **) Exhortatio ad ministros verbi.

enim cum pavore et festinatione exiverunt. Quae figura bene convenit cum iustitiariis, illi festinant et pavent, cum paululum tentantur, et undique auxilia et praesidia conquirunt. Hinc tot regulae monachorum *), tot opera et cultus manarunt, quod crediderunt se talibus operibus conscientiam sublevare et quietam reddere posse.

Monet igitur propheta pios **). Vos pii, inquit, nolite imitari impios, neque enim cum tumultu exibitis. Jussi vos, ne tangeretis polluta, et ut mundi essetis, id non fiet tumultu et fuga, hoc est, viribus vestris. Alia ratio est, qua liberamini ab impietate, nempe quod Dominus praecedet vos, et quod vos congregabit Deus Israel. Hoc est, simpliciter audite verbum, quod Dominus vos praecedet. Abstinete a vestris studiis, et nolite ipsi fieri autores salutis vestrae, sed sinite, ut Dominus regat vos verbo et spiritu suo, ut in eo solo haereatis, et praeterea in nullius operis aut cultus fiducia.

Est igitur insignis exhortatio, ut simplici fide in solum Christum ***), ducem nostrum, respiciamus, qui nos colliget, ut maneamus in verbo, et simus tuti ab omnibus peccatis. Sic legimus de quadam sancta moniali. Ea cum tentaretur ob admissa peccata, nihil aliud respondit, quam se Christianam ****) esse. Sensit enim se nec suis malis operibus damnari, quod haberet Christum, nec bonis operibus salvari posse, sed Christum pro se traditam victimam etc. satisfecisse pro peccatis suis, et vitam

---

*) Regulae monachorum. **) Deus sequendus piis ministris. ***) In solum Christum respiciendum. ****) Christiana sum.

aeternam meruisse etc.] Caput, quod jam sequitur, modum redemptionis describit].

Caput quinquagesimum tertium.

[De Christi passione et glorificatione.

Hactenus descripsit propheta Christi regnum sub cruce, et multas ac magnificas ecclesiae et sanctorum consolationes addidit. In hoc autem capite principaliter de ipso capite regni et principe ecclesiae agit, de Christo *). Et describit etiam modum **), quo paravit redemptionem suorum. Est igitur vix alius locus in tota scriptura apertior, tum de passione Christi, tum etiam de resurrectione. Quare etiam ediscendus erat ad confirmationem fidei nostrae contra Judaeos, qui illo crucis scandalo offensi nostrum Christum pro Messia non agnoscunt. Hoc enim negari non potest, quin propheta de Christo seu Messia hoc capite agat, quem dicit sublimiter exaltandum, et simul humiliationem ejus describit. Non igitur potest intelligi corporale Christi regnum. Observandum hoc quoque est, quod dicit aperte, Messiae regnum gloriosissimum simul et potentissimum fore, sed post ejus mortem. Inde enim certo colligitur, Christi regnum ***) non corporale, sicut Judaei somniant, sed spirituale esse. Porro voluimus hoc capite, quia prae reliquis insigne est, magis sententiam quam verba reddere, nam latinus textus paulo est obscurior.

---

*) Summa Cap. 53. **) Modus redemptionis nostrae. ***) Christi regnum spirituale.

Ecce servus meus prudenter aget*).

Servus dicitur, non qualis fuit Moses, aut hodie sunt justitiarii, et monachi, qui jactant se Deo servire, sed quod sit in ministerio verbi, et quod publicum docendi officium habeat. Quod autem addit, prudenter aget, commendat nobis ministerium verbi, quod Christus, cum in carne esset, habuit]. Et complectitur hoc vocabulum simul consilium et successum. [Christus enim cum invenisset omnia impeditissima et intricatissima propter malos doctores, tanta tamen prudentia rem gessit, ut omnia felicissime succederent, et cum summa tranquillitate vitaret pericula, et sine ullius incommodo, id quod voluit, efficeret], nec se admisceret politicis negotiis. [Est autem antithesis in vocabulo, prudenter aget, quasi dicat, Moses**) non ita prudenter, neque adeo moderate omnia gessit, sed est violentus doctor. Christus autem a morte, peccato et inferno nos liberat, non violentia aliqua, sed quia prudenter agit, quia verbum vitae dat, quo consolatur, servat et defendit nos etc.

Ipse exaltabitur, et sublimis erit valde.

Ministerium descripsit, jam gloriam***) quoque describit: post ministerium fore eum in gloria super omnes reges. Quamquam autem possit intelligi de gloria, quam habuit in vita apud bonos ex miraculis, tamen ego alteram sententiam malo, quod tempore servitutis rem gesturus sit gnaviter, et post mortem in summa gloria erit[1]).

---

*) Enarrat. cap. 53. **) Collatio Christi et Mose. ***) Gloria Christi.

1) *In ed.* 1532 legitur: in summa sit gloria.

Ita ut multi offendantur in te[1]).

Erit Christus in gloria, sed ita[2])], ut majori parti synagogae sit scandalo *), et paucissimi sint, qui credant [eum esse aut Christum, aut regem. Verbum quod hic est, offendantur[3]), significat abominantis et nauseabundi gestum.

Quoniam deformior est aspectus ejus quam aliorum hominum, et forma ejus deformior quam filiorum hominum.

Hic describit gloriosum illum regem in summa humilitate **). Species ejus, inquit, turpior est quam omnium aliorum. Ergo Messias non erit in corporali regno exspectandus, sed in specie contemptissima et turpissima[4]). Non enim de carnis specie loquitur, sed de specie gerentis rem, quod scilicet nulla in eo sit species regis, sed ministri, atque ejus quidem contemptissimi. Et haec quidem est scandali, de quo supra dixit, causa, sicut Paulus quoque dicit ***), Christum crucifixum Judaeis scandalo esse etc.

Verum sic multas gentes asperget, ut etiam reges contineant os suum coram eo. Quoniam ii, quibus non est annunciatum, videbunt, et qui non audierunt, intelligent.

Hic redit ad gloriam Christi ****), quod omnes

---

*) Christus lapis scandali. **) Descriptio humilitatis Christi. ***) 1. Cor. 1. ****) Gloria Christi.

1) In ed. 1532 legitur: Ita ut multi obstupescant super te. 2) Ed. 1532 sic pergit: ut omnibus sit scandalo, nemo credit eum esse etc. 3) In ed. 1532 est: obstupescant. 4) In ed. 1532 legitur: contemptissimus et turpissimus.

reges alios superabit gloria. Est igitur Christus et rex regum, et quoque deformis prae filiis hominum, necessario igitur consequitur, Christi regnum spirituale esse. Aspergere praedicare significat. Cum igitur passus fuerit, inquit, praedicabitur non solum apud Judaeos, sed et apud gentes. Porro Christus crucifixus est praedicandus, sicut Paulus quoque ait, et is tamen credendus est dominus dominorum. Hoc autem nulli suorum regum, qui unquam fuerunt, tribuere Judaei possunt, quod reges gentium continuerint os coram eo, id quod de Christo dicit.

Porro propagationem hujus praedicationis de crucifixo Christo*) describit, cum ait: Quibus non est annunciatum, il videbunt, hoc est, ubicunque ante non est auditus Christus, ibi audietur. Propagabitur illa praedicatio non solum in Judaeos, qui promissiones de Christo audierunt, sed in gentes quoque, qui illas promissiones prorsus ignorant. Significat etiam spirituale regnum, cum dicit: Quibus non est annunciatum, quod hic rex cognoscetur, non ex specie externa, non ex apparatu armorum, et insignibus regalibus, sed verbo audietur et videbitur etc. Est igitur haec confirmatio fidei nostrae, qui talem Christum praedicamus, passum scilicet et glorificatum, et per verbum propagatum.

Sed quis credit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatur?

Propheta**) videns magnitudinem et gloriam Christi, item mirabile hoc Christi regnum in spiritu

---

*) Propagatio doctrinae de Christo crucifixo. **) Praemunitio contra scandalum infirmitatis in Christo.

plenum scandalis, praesertim autem considerans suos Judaeos exclamat: Ah quis ista tum, cum fient, credet? Nam et ii qui hodie sunt Judaei, omnia facilius credunt, quam nostrum Christum. Et in evangelio quoque videmus, quanta Judaeorum fuerit incredulitas. Offendit enim eos illa infirma species. Et oportet illam fidem per spiritum sanctum mentibus imprimi. Ratio omnino ista assequi non potest. Dicit igitur: Quis credet sub hac specie tantam esse gloriam etc.

Ascendit enim sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra arida. Non forma ei est, nec decor. Vidimus eum, verum nulla erat forma, quae faceret, ut eum desideraremus.

Pergit in prophetia de passione. Perinde est, inquit, cum hoc Christo*), atque si quis elegans surculus ex arido quodam loco proveniret. Est igitur Christus surculus, et crescit non coram mundo, neque enim habet speciem ullam, sicut jam dicit, sed coram Eo. Hic enim latet emphasis, quod illa gloria Christi sit spiritualis. Ita fit, ut Christus in nulla specie sit tamen speciosissimus, in humilitate gloriosissimus, in paupertate opulentissimus. Terra sitiens est ejus passio: Quod igitur a morte resurgit, simile est surculo crescenti in loco arido. Non est ei species etc. In furibus, in latronibus, et aliis sceleratis hominibus est quaedam species, moventur enim homines ad commiserationem tum, cum ad supplicium rapiuntur. in Christo autem sunt om-

*) Narratio de futura Christi humiliatione.

nia [1]) abominabilia et horribilia. Maximis enim cruciatibus affectum etiam conviciis afficiunt, et acerbe rident Judaei etc.

Despectus et novissimus virorum, plenus doloribus et infirmitatibus. Adeo contemptus ut averterentur vultus ab eo, atque ideo eum non reputavimus.

Concluditur ex his manifeste, quod Messiam*) oportuerit pati, et turpissime pati. Neque enim, quae hic dicit, de gloria, sed de extrema ignominia [2]) et passione intelligi possunt. Coegit autem hic locus Judaeos, ut duos Messias**) fingerent, alterum, qui jam olim venerit et etiamnum in terris obambulet in mendici specie, ut satisfaciat pro peccatis Judaeorum, alterum autem regem gloriosum, quem adhuc exspectant.

Profecto languores nostros ipse portavit, et nostros dolores in se recepit, et tamen nos reputavimus eum tanquam plaga percussum a Deo et infirmatum.

Hactenus passionem et glorificationem Christi descripsit, jam addit, quid misera illa et laboriosa specie effecerit***). Atque hic est articulus justificationis, credere Christum Pro nobis passum, sicut Paulus quoque dicit****): Christus est factus maledictum pro nobis. Neque enim satis est, nosse

---

*) Messiam oportuit pati. **) Duo Messiae a Judaeis conficti. ***) Causa et fructus passionis Christi. ****) Galat. 3.

1) In ed. 1532 legitur: omnia sunt. 2) In ed. 1532 est: turpitudine.

quod Christus sit passus, sed sicut hic dicit, credendum etiam est, quod nostros languores tulerit, quod non pro se, neque pro suis peccatis sit passus, sed pro nobis, quod illos morbos tulerit, illos dolores in se receperit, quos non[1]) oportuit pati. Atque hunc locum, qui recte tenet, ille summam Christianismi tenet. Ex hoc enim loco Paulus tot epistolas, tot sententiarum et consolationum flumina hausit.

Porro consequentiae, quae inde colliguntur, damnant universa omnium hominum studia, omnem sapientiam, justitiam, religionem, opera, et merita omnia, quibus salus quaeritur] extra Christum. [Tolluntur enim omnia haec unica illa sententia, Christum Pro nobis passum. Si enim hoc verum est, tunc omnia opera et merita omnia, in quae impie confiditur, sunt abjicienda, et discedendum est etiam ex nobis ipsis, et simpliciter ex toto corde in alienam justitiam est confidendum, ut quasi inter coelum et terram haereamus, et credamus eam justitiam, quam nullo sensu accipimus, quae per verbum[2]) nobis offertur. Atque hinc est, quod haec doctrina non discitur, nisi spiritu sancto magistro. Judaei enim, quia nolebant suam sibi justitiam eripi et damnari opera legis, ideo Christum non accipiebant, quia[3]) ideo apparuit in carne, ut nos, qui irae filii eramus, et deputati ad aeternas poenas, sua justitia defensi et tecti, salvaremur.

In primis igitur observandum est pronomen, Nostros dolores, nostros languores ipse portavit.

---

1) In ed. 1532: nos. 2) In ed. 1532 additum est: tantum. 3) In ed. 1532 legitur: qui.

Communicatur enim nobis per hoc pronomen passio Christi, et fit proprie nostra. Si enim ipse tulit meos dolores et languores, hoc est, peccata mea et poenam meorum peccatorum, ergo ego liber sum tam a culpa, quam a poena, nec est quod metuam judicium Dei etc.

Reputavimus eum, tanquam percussum a Deo.

Id est, putabamus eum a Deo propter sua delicta punitum. Sic enim mundus et ratio judicant, unumquemque sui peccati poenas dare debere. Hic autem diversum fit contra humanas et divinas leges, quae poenam vertunt in autorem peccati. Christus enim propter nos punitur, id quod ratio nunquam potest assequi. Jam se exponet latius, quidnam sit, quod dixit, portasse eum nostros labores. Est autem clarissimus locus contra Judaeos, quod Messias sit homo, minister verbi, passus etc.

Verum propter iniquitates nostras est vulneratus, et propter peccata nostra percussus.

Est haec quasi definitio Christi, quam omnibus aliis religionibus opponere convenit. Propter nostras iniquitates est vulneratus, quasi dicat: Nos non potuimus nostris operibus justificari, infirmitates nostrae manebant super nos, manebat reatus et poena inevitabilis. Solus autem Christus portat eos. Sicut Joannes quoque dicit: Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Quod agnum appellat, significat eum victimam esse. Quod addit, tollere eum peccata, idem dicit quod hic Esaias. Atque ex hoc loco

omnem suam sapientiam apostoli hauserunt. Et nos hodie papatum uno hoc articulo apud nos evertimus. Si enim Christus*) propter peccata nostra est vulneratus, ergo papa est antichristus, qui vult, ut nostris satisfactionibus peccata nostra expiemus, ergo monachorum opera sunt damnata et impia, ergo nulla sunt merita] remissionis peccatorum et gratiae [etc. Mirum autem est, insignem hunc locum adeo non observatum esse, cum tamen in ecclesia[1]) sit tam saepe decantatus. Gravissime enim contra meritoria opera pugnat. Quare etiam diligentius a nobis est tractandus.

Praeterquam enim quod unusquisque privatim fiducia operum tentatur, multae quoque in sacris literis sententiae exstant, quae hoc fere operibus tribuere videntur, quod alias fidei tribuitur. Difficile igitur est illis sententiis non moveri, cum natura quoque eo nos trahat. Ad quam accedit etiam prava institutio et consuetudo perversissima. Magna**) igitur res est et omnino impossibilis carni et sanguini, in fide simplici consistere, ut non desperes in peccatis tuis, sed te erigas, et dicas: Sive bene sive male egerim, nihil ad me, habeo hic Christum pro me passum. Objiciuntur enim et ab adversariis nostris et a conscientia nostra contrariae sententiae, quae peccata nostra arguunt, et poenam minantur, ut dubii de voluntate Dei trepidemus.

Sola autem Christi passione omnia illa argu-

---

*) Si Christi passione justitia contingit, sequitur papam antichristum, et omnes diversum docentes blasphemos esse.
**) Arduum, sola fide niti.

1) In ed. 1532 est: ecclesiis.

menta solvere possumus, sive privatim tentemur, sive sententiae de operibus nobis opponantur. Si enim Christus talis est persona, quae nostra peccata tulit, sequitur igitur, quod nostris meritis peccata*) non tulimus, quia jam ante sublata sunt. Neque enim nostra opera sunt Christus, et nos non percutimur propter nostra peccata, neque ea portamus, imo neque portare possumus. Neque enim venisset Christus, si ipsi nobis potuissemus mederi. Sic apparet, quam nihil ad justificationem et remissionem peccatorum omnia opera humana, quantumvis in speciem bona et splendida sint, faciant.

Est autem nulla religio in orbe terrarum, quae hanc sententiam de justificatióne**) admittat, et nos ipsi privatim aegre eam credimus, quamquam publice eam doceamus. Ideo quoque diligentius hic locus cognosci debet, quod sit ceu fundamentum, quo novum Testamentum seu evangelium nititur, qui solus nos et religionem nostram ab omnibus aliis religionibus distinguit. Soli enim Christiani hunc locum credunt, et sunt justi, non quia ipsi operantur, sed quia alterius opera apprehendunt, nempe passionem Christi. Qui igitur hunc articulum credit, ille tutus est ab omnibus erroribus, et necessario ei aderit spiritus sanctus, neque enim sine spiritu sancto doceri aut cognosci potest. Qui autem ab hoc articulo exciderunt, illi expositi sunt omni vento falsae doctrinae.

Oportet igitur in Christiano singularem quan-

---

*) Nostris operibus peccata non tolluntur etc. **) Doctrina justificationis, quod sola fide justificemur, tantum Christianorum est.

dam prudentiam esse, ut leges et opera in suum ordinem et usum reponere norit. Hunc autem locum tam longe supra leges omnes et opera omnia collocet, quam longe inter se coelum et terra sunt dissita. Christianus enim quasi in alio mundo collocatus neque peccata neque merita aliqua nosse debet]. Quod si peccata se habere sentit[1]), aspiciat ea non qualia sint in sua persona, sed qualia sint in illa persona, in quam a Deo sunt conjecta, hoc est, videat, qualia sint non in se, nec in conscientia sua, sed in Christo, in quo expiata et devicta sunt. Sic fiet, ut habeat purum et mundum cor[2]) ab omni peccato per fidem, quae credit peccata sua in Christo victa et prostrata esse, et sit quoque tutus contra mortem, quia credit sibi per Christi passionem et meritum oblatam et donatam justitiam et salutem perpetuam. Haec enim omnia locus hic Esaiae secum affert.

Sacrilegus igitur peccati aspectus is est, cum peccatum in tuo corde aspicis. Diabolus enim istuc peccatum reponit, non Deus. Sed Christus spectandus est, in quo cum peccata tua haerere videbis, securus eris a peccatis, morte et inferno. Dices enim, peccata mea*) non sunt mea, quia non sunt in me, sed sunt aliena, Christi videlicit, non ergo me laedere poterunt.

Est autem maximus labor, posse haec ita fide

---

*) Nostra peccata non nostra, sed Christi sunt.

1) In ed. 1532 haec enuntiatio sic legitur: Quod si peccata habeat, respiciat ea in illo loco, in quem a Deo conjecta, hoc est, non in se, nec in conscientia sua, sed in Christo, in quo expiata et devicta sunt. 2) In ed. 1532 legitur: ut cor habeat purum et mundum.

apprehendere et credere, ut dicas*): Peccavi et non peccavi, ut sic vincatur conscientia potentissima domina, quae saepe ad desperationem, ad gladium et ad laqueum homines adigit. Notum est exemplum illius, qui tentatus conscientia dicebat, non peccavi, neque enim potest conscientia secura esse, si non peccata procul e conspectu remota sint. Sic autem removenda sunt e conspectu, ut non factum tuum, non vitam, non conscientiam tuam, sed Christum inspicias, ita fiet ut transferaris extra te in Christum, et transplanteris ex oleastro, ut cum Paulo**) loquar, et ex mundo in Christum.

Non autem sum frustra in hoc loco verbosus, scio quantum mihi profuerit. Neque enim[1]) Christianismus***) aliud quam perpetuum hujus loci exercitium, nempe sentire te non habere peccatum, quamvis peccaris, sed peccata tua in Christo haerere, qui est salvator in aeternum a peccato, morte et inferno[2])], secundum illud****): Agnus Dei qui tollit peccata mundi.

Jam vero cum hoc clarum sit, remissionem peccatorum non aliunde contingere quam per Christum, qui sanguine suo pro nobis satisfecit, sequitur primum, quod opera liberare a morte et peccato non possunt, deinde quod operum alius quidam usus sit, quam justificare, de qua re supra abunde di-

*) Christianus non habet peccatum damnans.
) Rom. 11. *) Christianismus. ****) Joh. 1.

1) In ed. 1532 deest: enim. 2) Ed. 1532 sic pergit: Quoniam autem opera liberare a morte et peccato non possunt, necessario sequitur, alium quendam operum esse usum, quam justificare, de qua re supra abunde disputavimus. Videmus igitur etc.

spatiavimus. [Videmus igitur, quam disertum hic locus Paulum fecerit. Comprehendit enim alios theologicos locos fere omnes, peccatum, mortem, vitam, opera etc.

Non autem ideo desperandum est de salute, si qui in corde haec non sic sentiunt, et sunt infirmi in fide. Solet enim satan nonnunquam sic tentare nos, et vere ex antidoto venenum, ex summa justitia peccatum facere. Verum consolari infirmos hoc debet, quod nemo hominum perfecte hunc locum teneat, neque enim ideo ista praedicantur, ut statim perdiscas, et non amplius peccatum sentias, imo hoc summo studio cavendum est. Id enim proprie est haereticorum, semel totum Christianismum perdiscere. Christiani autem et sentiunt infirmitatem fidei et tentantur desperatione ob sensum peccati. Quia autem nihil est pestilentius securitate, erigere te debes, cum fidei infirmitatem sentis *). Est enim signum boni animi et timentis Deum. Haeres enim in Christo, quantumvis infirmiter haereas. Et est quoque mandatum divinitus, quod infirmi non sunt rejiciendi, ergo Deus non odit infirmos. Manet enim in piis quoque mortis timor, animi imbecillitas, peccatum etc.

Quare ii [1]), qui haec comprehendere aut intelligere non possunt, illi admonendi sunt **), ne terreantur illa sua infirmitate, sed orent una cum apostolis: Domine, adauge nobis fidem. Neque enim ideo es extra hanc doctrinam, quia non perfecte eam tenes. Nam et Paulus ***) confitetur se nondum apprehen-

*) Infirmis fide non desperandum. **) Consolatio contra sensum infirmitatis fidei. ***) Philip. 3.

1) In ed. 1532 est: Quare si.

disse. Et est Christianus *), non qui absolute illa intelligit, sed qui quoquo modo in Christo haeret. Is enim justitiam Christi jam habet, quia eam incipit habere. In evangelio ubique scriptum est, et dixit Jesus Discipulis suis, *Μαθητάς* enim vocat, non magistros. Habent autem nomen a discendo, quia discunt Christum, non quia perfecte eum norint. Quamquam enim imperfecta illa notitia sit, tamen est notitia Christi, si maneant discipuli in verbo. Doctrina igitur absoluta et perfecta est, illi autem, qui eam discunt, non sunt absoluti nec perfecti, sed [1]) habemus tantum primitias spiritus, non decimas, ac tendimus ad ulteriora.

Christiani **) ergo illi sunt, qui vehementer sentiunt mortem et vim peccati, ii autem quid faciunt? In ipso sensu peccati et mortis, utcunque tamen in Christo haerent, non negant verbum, patiuntur, et manent in Christo. Non quaerunt aliunde salutem et pacem. Id quod diligenter discendum est, ne ex Christiano faciamus truncum aliquem, qui peccatum non sentiat. Habet enim adhuc carnem et sanguinem, ideo necessario sentit peccatum et infirmitatem fidei etc. Haec copiosius a me sunt dicta, ut commendarem studiosis theologis [2]) hunc locum, qui est ceu fundamentum novi Testamenti, ex quo tanqnam ex vivo [3]) fonte omnes thesauri divinae sapientiae ***) profluunt.

---

*) Christianus in Christo haeret. **) Christiani qui sint. ***) Coloss. 2.

1) Edit. 1532 sic pergit: sed sumus primitiae et tendimus ad ulteriora. 2) In ed. 1532 legitur: ut commendarem vobis hunc locum etc. 3) In ed. 1532 legitur: patenti.

Correctio super eum, ut nos haberemus pacem.

Est citata sententia a Petro. Voluit autem propheta in hoc loco copiosus esse ad confirmandos nos, ut certo sciremus Christum non judicem esse, sed talem qui portet nos *). Naturaliter enim metuimus nobis a Deo tanquam a judice, non agnoscimus eum salvatorem. Sic papistae alios salvatores et intercessores fecerunt, Mariam et reliquos sanctos. Sic accidit, ut ad malam naturam etiam impia doctrina accederet. Felices igitur jam illi sunt, qui juvenes hanc doctrinam audiunt, quorum corda impiis doctrinis nondum sunt commaculata. Quando igitur Christi nomen audietis, cogitabit unusquisque non de judice, sed de bajulo sui peccati, neque admittet aliam cogitationem, ut sic corda assuefiant ad fidem, et in tribulatione habeant consolationem.

Sic enim propheta dicit, Castigatus ipse est, ut nos haberemus pacem, id est, remissionem peccatorum, et conscientiam sedatam. Si igitur habere pacem **) volumus, necesse est id fieri per disciplinam ipsius. Ipse merito pacem, nos nostrorum peccatorum poenas habere debebamus, sed sunt hic inversa omnia. Alius peccat, et alius plectitur. Ego sectariis, qui jam tumultuantur, hoc unicum imprecor, ut aliquamdiu desperationibus et pavoribus mortis tententur, ut vel sic cognoscant, quaenam vis sit in his verbis: Iesus Christus pro nobis est mortuus]. Hoc enim si fieret, facile cessarent ab otiosis illis cogitationibus et plenis scandalorum.

*) Repetit causam et fructum passionis Christi. **) Quid sit pax.

[Livore ejus sanati sumus.

Est jucundissima consolatio: Livores ipsius sunt nostrum emplastrum. Atqui nos meriti eramus livores, et ipsi debebatur sanitas. Si quis ergo sanitatem optat, ille non suam castigationem et crucem consideret, sed tantum respiciat in Christum et credat, tum sanabitur, hoc est, habebit justitiam aeternam.

Omnes nos sicut oves erravimus, unusquisque in viam suam, verum Dominus omnium nostrum peccata in illum rejecit.

Hic de vi et usu passionis dicere incipit. Est autem confutatio, quod dicit nos errasse, quasi dicant adversarii, qui fatigant se operibus pro justitia assequenda, quid ergo sunt nostrae religiones? Respondet; errores sunt. Et sic damnat universam justitiam legis, et omnes religiones, etiam illam divinitus institutam in lege Mosi. Atque hic textus Paulum ad abrogationem legis animavit. Hic nos quoque confirmavit, ut pronunciaremus omnia monasteria, omnia collegia, omnes cultus Dei esse errores. Propterea quod quaerant[1]) per ista opera justificari. Propheta autem hic omnia talia opera et studia errores*) appellat.

Sunt autem diligenter observandae voculae: omnium nostrum, et in illum. Est enim summus articulus, huic prophetiae credere, quod peccata nostra non sint nostra, sed posita super Christum. Hic unicus articulus est fundamentum totius

*) Qui sine Christo justificari volunt, errant.

1) *In ed.* 1532 *legitur:* velint.

ecclesiae et Christianismi*), qui si salvus manserit, nullae haereses laedere nos possunt. Neque satanas alia re magis offenditur, ideo tot tentationes privatim, tot haereticos, ac[1]) tot sectas publice contra hanc doctrinam excitat. Et mundus quoque omnes alias religiones potest ferre, hanc solam doctrinam ferre nec vult, nec potest. Tulit, quod quidam docuerunt, nos salvari per Franciscani cucullum, et multa alia stultissima, amplectitur enim talia, quae confirmant nostras vires et sapientiam, hanc autem unam doctrinam, quae tamen innoxia, imo salutaris est, ferre non potest, sed immerito eam accusat, tanquam prohibeat bona opera, cum tamen facultatem bonorum operum faciendorum praebeat, et doceat etiam, quod nostra opera vere bona esse debent. Hoc tantum operibus derogat, quod justitia nostra extra nos sit in Christo. Haec quoniam nos docemus et praedicamus, ideo persequitur nos mundus[2])].

Neque enim evangelium**) nostrum dat licentiam faciendi omnia, sicut impudenter de nobis mentiuntur adversarii, sed magistratui suum honorem tribuit, et publicam tranquillitatem conservat, prohibet scortationem, castitatem conjugalem juvat et commendat, prohibet alia peccata, et ad fidei

*) Fundamentum totius ecclesiae et Christianismi Christus justificans. **) Quae de bonis operibus doceat evangelium.

1) In ed. 1532 legitur: tot haereticos, tot sectas contra hanc doctrinam excitat. 2) Ed. 1532 sic pergit: cum tamen soli nos magistratui suum honorem tribuamus et publicae tranquillitati consulamus, prohibemus scortationem, castitatem *conjugalem juvamus et suademus*. Sed sinamus etc.

fructus sedulo excitat et cohortatur. [Sed sinamus ingratum et impium mundum suo more facere, nos autem hanc doctrinam, quae non nostram, sed Christi aeternam justitiam docet[1]), retineamus. Ea enim sola bona opera gignit, extra hanc quidquid est est impietas et hypocrisis.

Est autem omnino incomprehensibile, quod addit propheta: Omnium nostrum. Quid igitur Christus*) a nobis habet? nihil scilicet quam iniquitates. Nos neque justitiam, nec sapientiam, neque solatium ullum habemus, rursus ab et in Christo habemus illa omnia copiosissime. Haec] est illa magnifica societas**), quam Joannes in sua canonica jactat, quam [Rottenses nostri prorsus ignorant.

Est et hoc emphaticum, quod dicit: Dominus posuit, ut scilicet conscientia certior et confirmatior esset, neque ab ullius facie paveret, quasi dicat: Est beneplacitum patris, ne metuas forte alium esse patris animum***), et alium filii. Cum autem idem patris et filii sit animus, ut velint te[2]) redemptum, et omnibus peccatis liberatum, quis alius Deus accusare te[2]) poterit? Reposita enim sunt peccata tua[3]) in illum, non super te[3]), contra Mosi et omnes alias politicas leges. Sic enim Moses****) minatur: Unusquisque morietur in suo peccato. Et in politia nostra peccata sunt nostra, in justificatione autem peccata nostra non sunt nostra. Sic Abra-

*) Christus a nobis peccata, nos ab eo justitiam. **) I. Ioha. I. ***) Patris idem animus in nos, qui filii. ****) Deut. 24. Ezech. 18.

1) In ed. 1532 pro his legitur: quae alienae justitiae innititur. 2) In ed. 1532 est: me. 3) In ed. 1532: *nostra ... nos.*

ham*) et Isaac conscendunt montem], hoc est, fides cum Deo agit, et apprehendit misericordiam in verbo promissum. [Servi autem et jumenta, id est, nostra opera ad montis radices manent], nec admittuntur ad illam gloriam remissionis peccatorum. [Adeo scilicet magno intervallo civilis justitia a justitia Dei abest.

Cum mulctaretur et infirmaretur, non aperuit os suum, sicut ovis, quae ducitur ad victimam, et agnus, qui, cum tondetur, obmutescit nec aperit os suum.

Aliter legerunt hunc textum in ecclesia, eoque sunt abusi contra scandalum crucis. Dicunt: passus est, sed sua sponte, alias satis erat virium ad vitam suam defendendam. Est quidem pia et bona sententia, sed nos Hebraicam lectionem sequimur. Hactenus enim passionem et passionis usum descripsit, jam gestum describit et summam patientiam, quam Christus in sua passione**) habuit. Convenit autem plane propheta cum Petro***), qui ait: Tradebat vindictam judicanti juste. Ita hic affectus gestum Christi describit: quanta patientia sit passus, quasi dicat: Cum tam gravia pateretur, non minabatur, non cogitabat de vindicta etc. Ac talis quidem omnium Christianorum passio esse debet, mundus si nihil aliud, tamen de vindicta cogitat, sed Christus non sic. Maledicentibus potius benedixit, deprecatus est Patrem pro crucifixoribus suis.

Voluit autem nobis propheta insignem hunc patientis affectum, quomodo se erga crucifixores suos habuerit, apta similitudine significare. Ovis

*) Gene. 22. **) Modus passionis Christi. ***) 1. Pet. 2.

jam mactanda tacet, neque ullum edit gemitum, aliae bestiae omnes horribiliter vociferantur, sic Christus fuit patientissimus. Atque haec hujus passionis epitasis est, jam ad glorificationem accedit et ad resurrectionem Christi, qua pater remuneravit passionis meritum.

De angustia et de judicio sublatus est.

Confitetur propheta*) hic eum resuscitatum, quia ante dixit eum sicut victimam mactatum esse. Hactenus mortis verba tantum fuerunt, jam in contrariam partem vertitur, et dicit: Christus non est mortuus, est susceptus a Deo: Sic autem non loqueretur de mortuo homine, manente in sepulcro. Necesse igitur est, ut de resurrectione haec intelligamus. Per Pilatum est judicatus, sed rursus sublatus de judicio est.

Generationem ejus quis enarrabit.

Generatio hic significat aetatem, seu durationem, vel seculum, sicut in Eccles.**): Generatio praeterit. Dicit igitur propheta: Hic Christus quoque aetatem habet et durationem, quis autem eam explicare poterit? Vita enim Christi***) est aeterna vita, Deus eum constituit in aetatem, quam nemo verbis potest consequi, est enim aeterna. Sic Petrus in Actis****) dicit eum solutum doloribus mortis. Nisi igitur fide credamus, aeternitas illa est incomprehensibilis.

---

*) Propheta de resurrectione et glorificatione Christi.
) Eccles. 1. *) Ecclesia aeterna. ****) Acta. 2.

De terra enim viventium abscissus est, cum affligeretur propter transgressiones populi mei.

Pertinent et haec ad resurrectionem. Non autem frustra est, quod[1]) repetit tum passionem Christi, tum finem passionis, quod propter nos passus est. Vult enim hunc articulum alte nostris animis impressum, ut[2]) non sic audiamus Christi passionem sicut aliam historiam audimus, sed potius ut usum] ac finem [spectemus, quod propter nostra peccata sit passus. Quod autem dicit, eum abscissum de terra viventium, significat duplicem esse vitam*), aliam eorum, qui hic vivunt in terra, et aliam Christi, aeternam scilicet, et novam. Ergo Judaei frustra eum exspectant, est] enim de hac vita abscissus, cum supplicio crucis afficeretur. Inde transivit in aliam vitam, sicut dicit: Vado ad patrem meum. Sic Christi passio nihil fuit aliud, quam acceptio de angustia, et via ad immortalem vitam, in qua nunc est constitutus rex, et caput ecclesiae suae, quam per verbum et spiritum suum regit et servat. Errant igitur Judaei, qui[3]) corporale regnum exspectant.

Et sepultus est sicut impii, et mortuus sicut divites, quamquam neminem injuria affecerit, neque fuerit dolus in ore ejus

Etiamsi cavillari priora Iudaei possint, tamen

---

*) Duplex vita.

1) Ed. 1532 sic pergit: Quod tum passionem Christi, tum quod propter nos passus est repetit. 2) Ed. 1532 sic pergit: ut non credamus Christi passionem sicut aliam historiam, sed potius etc. 3) In ed. 1532 est: quod.

haec clarissima sunt testimonia, quod Christus fuerit homo, et vere mortuus. Concludimus igitur ex hoc loco, si Christum mori oportuit, ergo regnum ejus non regnum corporale*) potest esse in hoc mundo, sicut somniant Judaei.

Sicut divites.

Est obscurus Hebraismus, quod divitem ponit pro impio. Fortasse autem inde natus tropus est, quod divites plerumque sint impii, sicut in evangelio**) Christus vocat Mammona iniquitatis, item, Difficile est divitem ingredi regnum coelorum. Significat igitur propheta Christum mortuum esse sicut seditiosum et seductorem. Cum autem talis mors per prophetam sit praedicta, certum argumentum est, nostrum Christum esse verum Messiam***).

Quamquam neminem injuria etc.

Est citata a Petro sententia, 1. Pet. 3: Christus****) tulit peccata et tamen nulla fecit, sed accepit ea a nobis. Excusat igitur jam Christum, et dicit fuisse innocentissimum, qui nec verbo, nec vita quemquam laeserit. Haec enim summa innocentia est, neminem laesisse, neque dicto, neque facto. Innocentissimus igitur pro nocentissimo est judicatus[1]).

Ubi dederit animam suam pro hostia pec-

*) Christi regnum spirituale. **) Lucae 16. ***) Christus verus Messias. ****) Christus justus pro injustis passus.

1) Edit. 1532 sic pergit: Atque ideo etiam factum est, quod mors eum tenere non potuerit.

cati, tum posteritatem habebit, et erit longaevus.

Ergo nos nostris operibus peccata non poterimus expiare, siquidem Christi passio est passio pro delictis et peccatis nostris. Posteritas, de qua dicit, est ecclesia*). Videbit semen, inquit, habebit regnum, et regios quoque liberos.

Et habebit dies longos, id est, aeternos. Est antithesis: Vestri reges relinquunt successores filios suos, ipsi non diu manent superstites, sed Christus ille una cum filiis suis durat in aeternum et regnat, non moritur, sicut reges mundi.

Et voluntas Domini per manum ejus dirigetur.

Id est, habebit spiritum sanctum, per illum diriget evangelium. Porro voluntas Domini est, quod posuit omnium iniquitates super Christum.

Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit, et saturabitur.

Laborem hic vocat calamitatem. [illegible] Labor ejus, inquit, remunerabitur. Habebit [illegible] ecclesiam, quae pura fide eum colet et [illegible]. Porro verbum videndi Hebraeis significat [illegible] gaudio et voluptate videre, Sein Lust [illegible] sehen.

Saturabitur, id est, replebitur [illegible] habebit potestatem in diabolum [illegible] modum describit, quo ille [illegible]. Sic generabit semen.

*) Posteritas Christi ecclesia.

Et notitia sui servus meus justus, multos justificabit, ipse enim portat peccata ipsorum.

Est insignis locus: Notitia sui multos justificabit, hoc est, quod ii, quorum peccata Christus portat, quique credunt et sciunt sua peccata a Christo portari, illi sunt justi. Est brevis justitiae Christianae definitio *), quae nihil est, quam cognoscere Christum. Hoc autem quid sit, nullus sophista intelligit. Illi enim sic cogitant, notitiam in intellectu esse, justitia autem est in voluntate. Inde concludunt: Ergo notitia Christi non potest esse justitia. Verum propheta contrarium dicit, Christum scilicet solum esse justum, et per sui notitiam alios quoque justificare, ergo justitia Christiana non accipitur, nisi ante cognoscatur Christus. Porro Christus **) non cognoscitur, nisi per doctrinam et externum verbum. Evangelium igitur est ceu vehiculum quoddam, per quod ad nos defertur Christus cum justitia sua et omnibus donis[1]). Sicut Aristoteles quoque dicit, cognitionem intellectivam requirere ante sensitivam. Necesse igitur est prius audiri verbum, quam credere illud possimus, et justificemur.

Jam quod dicit notitiam Christi ***) justificare, manifeste sequitur, ergo neque regula Francisci vel Dominici etc., ergo neque cucullus, nec missa, ergo nullum electitium opus, imo ne quidem legis divinae opera cum omnibus aliis legibus et operi-

*) Definitio justitiae christianae. **) Verbo Christus cognoscitur. ***) Sola notitia Christi justificat, ergo nulla opera hominum.

1) In ed. 1532 additum est: suis.

bus justificant. Ratio haec est, quia non sunt cognitio seu notitia Christi. Ergo sunt frustra, imo etiam damnata et damnantia, cum servantur cum opinione justitiae, tanquam cultus Dei et bona opera. Sic simpliciter omnes regulas, omnes leges et opera omnia damnat et abjicit propheta. Haec autem quis audeat profiteri inter papistas? Atque hinc est, quod Paulus et Petrus*) tam multa de hac cognitione dicant: Crescite in cognitione Jesu Christi etc.; nondum estis perfecti, crescite etc. et similes alii loci.

Ad liberationem igitur a morte et a peccatis nulla alia ratio est, quam nosse et scire Christum. Haec cognitio sola nos liberabit, neque est aliud ullum solatium. Falsi igitur illi sunt, qui notitiam active acceperunt. Dicit enim de cognitione, qua Christus cognoscitur et scitur per praedicationem, nempe, quod Christus filius Dei conceptus e spiritu sancto, natus ex Maria virgine, sub Pontio Pilato sit passus, non propter suum aliquod peccatum (summa enim in eo fuit innocentia), sed propter totius mundi peccata, quae in se recepit, ut nos a peccatis liberati in aeterna justitia cum ipso viveremus.

Sunt igitur haec verba non oscitanter legenda, sed quia vigilanter posita sunt, a nobis diligentissime legi et observari debent, ut scilicet cogitemus, et quid illa notitia sit, et contra quid ponatur, nempe contra omnia humana studia, opera et notitias. Sic enim solet scriptura, fere semper ad antitheses respicit.

*) 2. Pet. 3.

Est autem mirabilis justitiae definitio*), quod sit notitia Dei, ut cor tantum nitatur in notitia Christi crucifixi, sicut Hieremias quoque dicit**): In hoc glorietur vir nosse me etc. Ratio humana hanc justitiam neque invenire, neque inventam capere et intelligere potest, quae secundum substantiam nihil aliud est, quam notitia Christi, hoc est, fides qua apprehenditur Christus in corde, quod dederit se ἀντίλυτρον pro nobis et peccatis nostris, sicut Paulus dicit 1. Timo. 2. Verbum quidem praedicat et offert omnibus Christum, tanquam victimam pro nostris peccatis. Nisi autem spiritus sanctus corda illuminet, huic verbo assentiri nemo potest. Assentimur autem, cum apprehendimus promissionem, quod in semine illius sit benedictio gentium.

Haec igitur gloria Christiani est, scire quod sua justitia sit, credere in hunc Christum, divina misericordia sic reputante et promittente. Sic Christianorum justitia reputativa tantum justitia est, non formaliter. Sunt autem haec diligenter discenda et inculcanda in concionibus, ut sciamus nos nulla alia re justos et justificandos esse, quam illa notitia, non per nostra opera, non per decalogum, non per alias leges, non per jura, non per judicia, non per poenas, quantumvis acerbas, quas vel ipsi nobis sponte imponimus, vel alii invitis imponunt. Haec enim omnia antithesis excludit a justitia, quia non sunt notitia Christi. Ergo monachatus, et Pharisaismus, ergo alii vitae ordines non justificant, quia hoc solum justificat, scire et nosse Christum, quod

*) Justitiae christianae definitio. **) Jerem. 9.

Christus sit servus Dei, qui portat iniquitates nostras.

Atque in hac definitione nobis est consistendum, ne scilicet cogitemus eum esse judicem *) aut tortorem. Nam cor sine fide et verbo non potest aliter de Deo judicare, quam quod sit severus judex. Est quidem judex, sed in futurum[1])], hoc est, judicabit in novissimo die, et damnabit impios, justis autem dabit vitam aeternam. [Jam autem agnus praedicatur, cujus officium est portare nostra peccata. Haec qui novit, is plenus est sapientia, et poterit judicare de omnibus doctrinis[2]). Praesertim autem haec inde colligere potest, quod nos non portamus nostra peccata, quod Christianus baptizatus non habet peccata, quia habet Christum.

Item, quod omnes illae cogitationes, quae contristant conscientiam, sunt diaboli et blasphemae cogitationes **)] quia Christus peccata a nobis abstulit per mortem, quae satan iterum in nos congerere cupit. [Item quod omnes doctrinae, quidquid item vivitur, quidquid docetur ubique pro remissione peccatorum] extra Christum, [sunt contra Christum et impia, et quod pereunt unico hoc verbo omnes ordines, omnia genera vitae, quae justitiam quaerunt, sicut Paulus dicit: Circumcisio ad justitiam non pervenit, gentes autem pervenerunt etc.

*) Christus non judex sed agnus. **) Blasphemiae sunt, quaecunque de remissione peccatorum extra Christum docentur.

1) Ed. 1532 sic pergit: ad damnandos impios et liberandos pios. Jam autem etc. 2) In ed. 1532 legitur: omnibus de rebus.

Hic igitur articulus inprimis est discendus et urgendus*), qui tamen negligentissime tractatur a multis. Si quis autem hunc locum non penitus perspexerit, similis est viro consideranti vultum suum in unda, sicut Jacob ait], simul enim ac abiit, evanescit imago. [Sic Schwermerii quasi in speculum intuentur, quamdiu hanc doctrinam audiunt, cum autem in tentationem veniunt, in alias doctrinas, in alia opera, tunc obruuntur et obliviscuntur hujus loci. Evanuit enim imago, postquam recesserunt a speculo, est igitur res maxima et difficillima in hac notitia persistere.

Ego igitur magnam multitudinem ei dabo pro spoliis, et fortes erunt ei pro praeda, propterea quod tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est, et multorum peccata portavit, et pro transgressoribus rogavit.

Repetit idem quasi per epiphonema, quia ergo tradidit in mortem animam suam, ideo dabo ei magnam posteritatem. Sic et passionem et passionis usum repetit. Hoc enim maximum est, agnoscere hunc Christum contra opinionem Judaeorum, qui exspectabant eum tanquam regem corporalem. Dicit autem eum moriturum.

Cum sceleratis reputatus est etc.

Non solum mortalis erit, sed turpissime quoque morietur, sicut pessimus aliquis nebulo, quasi dicat: Si vultis Christum vestrum nosse, diligenter

---

*) In notitia Christi perseverandum.

observate eum, apparebit enim non gloriosus, sed occidendus inter latrones. Sed frustra fuit haec prophetae admonitio. Cum enim Christus occideretur, nemini hic textus in mentem venit. Exspectant igitur adhuc gloriosum Christum, potius quam[1]) credant in eum crucifixum.

Multorum peccata portavit.

Repetit quoque passionis usum. Videt enim hunc articulum omnium esse difficillimum. Non hoc geritur illa morte, inquit, ut ipse pereat, sed ut alii salventur, et satisfiat promissionibus. Nam neque promissiones impleri, nec nos redimi poteramus, nisi ipse peccata nostra portaret. Ipse, inquit, non nos.

Pro transgressoribus rogavit.

Commendat hic nimiam Christi patientiam*), quod cum summa caritate sit passus, non remaledixerit, non cogitaverit de vindicta, sed quod arserit ardentissimo caritatis igni, ita ut oblitus passionis etiam pro transgressoribus rogaret, imo etiam pro crucifixoribus suis. Ubi autem jam sunt corda, quae haec ita, ut merebantur, ponderare queant? Quod si id possemus, tum salvi essemus. Sic nihil in hoc Christo est, nisi profusa liberalitas misericordiae et remissionis peccatorum.

Atque haec pro explicatione hujus capitis sufficiant, quod dignissimum erat saepius legi, atque etiam in publico carmine cantari, ut sedula inspectione quasi incorporetur nobis, ut nihil audire-

*) Christi patientia et amor erga hostes suos.

1) In ed. 1532 legitur: priusquam.

mus, quam intercedentem pro nobis, portantem, consolantem, et ardentissime nos amantem Christum. Impii haec legunt, perinde atque somniantes, volunt autem habere viligantem lectorem].

Caput quinquagesimum quartum.

[Sicut in praecedenti capite Christum caput regni descripsit, ita hic*) corpus ejus, hoc est, ecclesiam describet oppressam sub cruce, sterilem et derelictam. Consolatur autem eam, et promittit magnam posteritatem.

Lauda sterilis, quae non paris**).

Ecclesiam vocat sterilem***) collatione synagogae, quae est populus foecundus, abundans discipulis, et celebris propter doctrinam legis et operum. Est igitur quasi florentissimum regnum. Contra ecclesia contempta est, sterilis, sine discipulis. Ratio autem haec est[1])], quia evangelium****) est ejusmodi doctrina, quae non, sicut doctrina legis, a ratione intelligitur, sed plane dissidet a ratione, nam remissionem peccatorum propter alienum meritum, item justitiam alienam ratio capere non potest, ac ne in sanctis quidem haec cognitio satis firma est. Quamquam enim [fiduciam operum et

---

*) Summa Cap. 54. **) Enarratio cap. 54. ***) Qua ratione ecclesia sterilis. ****) Evangelium ratione non comprehenditur.

1) Ed. 1532 sic pergit: quod doctrina legis est ejusmodi, ut eam humanus intellectus capere possit, quamquam igitur nos fiduciam operum etc.

superstitionem *) damnamus, tamen non possumus eam penitus ejicere animo, sed est [1]) quasi innata carni pestis, quae vehementius spiritum vexat, quam ulla libido carnem. Huc accedunt consuetudo et institutio, quod non solum nati, sed facti et instituti ad superstitionem sub papa sumus. Huic quia adversatur evangelium, et damnat omnem fiduciam extra Christum, ideo paucissimos invenit discipulos et contradicitur ei a toto mundo. Haec est causa sterilitatis, de qua propheta hic dicit.

Porro hic totus locus est accipiendus de abrogatione veteris Testamenti **), ut sit confirmatio novi populi sine lege, in fide Christi viventis, sicut citatur a Paulo in Galatis ***). Nam populus veteris Testamenti ****) erat ligatus intus in conscientia, et servus peccati, foris autem videbatur liberrimus et speciosus in variis munditiis. Contra novus populus intus in spiritu est liber, et rex super omnes leges et opera omnia, foris autem nihil eo est infirmius et contemptius, in spiritu habet libertatem, in carne persecutionem. Opus igitur est magnificis consolationibus et exhortationibus, ne externa specie offensus desperet, aut se abjectum esse credat.

Quoniam multi filii desertae.

Est insignis promissio †) et magnifica, quam propheta nobis valde commendatam vult esse,

---

*) Fiducia operum et superstitio innata hominum animis pestis. **) Abrogatio veteris Testamenti. ***) Galat. 4. ****) Collatio populi veteris et novi Testamenti. †) Promissio de propagando evangelio.

1) In ed. 1532 pro vocabulis: sed est, legitur: quod sit.

quod addit: Dicit Dominus. Non autem pro apostolorum tempore tantum valet, sed durat omnibus seculis. Nam Dei verbum stat in aeternum, quare nihil moveat nos hodie nostra paucitas, et adversariorum multitudo et potentia]. Nihil etiam moveat illa facies ecclesiae misera, quod in tanta opinionum varietate, in tanto dissidio principum et optimatum nulla concordiae spes videtur reliqua. Etsi enim haec pius animus sine summo dolore spectare non possit, tamen non ideo abjicienda omnis spes est. [Habet enim ecclesia hic promissionem, fore ut latissime propagetur.

Dilata locum tentorii.

Sunt figurae, quibus amplificat promissionem. Significat autem evangelium in fines orbis terrae extendendum esse], nec, sicut synagogam, in uno illo Judaeorum angelo latiturum.

[Semen tuum gentes hereditabit.

Non corporali hereditate (est enim sterilis), sed spirituali, nempe per verbum. Est clarus locus de vocatione gentium.

Noli timere, quia non confunderis.

Significat eam proximam esse confusioni. In eo enim periculo ecclesia debet versari[1])], ut paucissimos habeat filios, et omnia minentur ruinam. Quamquam autem timor adest, tamen non debet timere, quia sequitur,

[Oblivisceris confusionis adolescentiae tuae.

Confusionem adolescentiae vocat, quod sit sine

1) Edit. 1532 sic pergit: sed non manebit.

marito, et ideo sine liberis quoque. Hujus confusionis obliviisceris, quia dominabitur tui etc. Hunc locum sic verte: Quia maritus tuus factor tuus *) etc., hoc est, habebis maritum, non Mosen, non Petrum, non Paulum, non papam etc., sed Dominum, qui fecit te]. Sequetur igitur has nuptias innumerabilis multitudo posteritatis.

[Quia mulierem ut derelictam etc.

Haec est facies ecclesiae, et sic implentur magnificae promissiones, quod Christus sit ecclesiae maritus. Quare opus est fide, quae nitatur rebus non apparentibus, hoc est, solo verbo.

Moerentem spiritu, idem est, quod Germanice dicimus: Von Herzen betrübt. Sic saepe in evangelio Christus gavisus est spiritu etc.

Ad punctum in modico reliqui te.

Insignis consolatio, qua promittit brevem et momentaneam afflictionem fore, quae magnum gloriae pondus in futurum operetur[1]). Sed memineris hic spiritum loqui. Ratio enim non potest credere momentum et punctum esse tentationem, sed putat aeternam et infinitam esse, quia tantum in praesenti sensu haeret, nihil sentit, videt, audit, cogitat, intelligit, quam praesentem dolorem, et praesens malum. Quare spiritualis haec est practica, omnia apparentia spectra relinquere, et assuefacere cor ad non apparentia, hoc est, fide in verbo haerere. Solum enim verbum contra sensum nostrum docet

*) Deus maritus ecclesiae.

1) In ed. 1532 legitur: operatur.

et promittit, non aeternum fore malum, sed momentaneum et punctuale, ut sic dicam.

In miserationibus magnis congregabo te.

Sensus irae divinae in tentatione, sensus afflictionis, est quasi centrum. Miseratio autem mea est quasi sphaera. Ira est minutum temporis, contra quam misericordia est sicut totum tempus aeternitatis *). Sed hic quoque memineris, hanc non esse sphaeram materialem, sed spiritualem, hoc est, esse verba fidei, ut, si rationem et judicium sensuum sequaris, contrarium appareat verum esse, et misericordia videatur esse centrum, contra ira et sensus mali sit infinita sphaera. Sunt autem haec accommodanda etiam ad alias res. Turca, papa, quid sunt ad Christum? Hoc scilicet, quod est punctum temporis ad aeternitatem. Haeretici nostri quid sunt ad ecclesiam? Hoc scilicet, quod est centrum ad circumferentiam.

Sicut in diebus Noe.

Confirmatio a simili. Sicut fidem Noe datam non fefelli, ita haec quoque, quae nunc promitto, rata et firma erunt. Species quaedam irae tibi videbitur, sed re vera non erit ira, sicut nonnunquam pluit, ut sit species aliqua futuri diluvii, non tamen redit diluvium. Porro haec copia consolationum ostendit nobis, quam difficile sit, animum ira Dei territum consolari et erigere]. Quoties enim cernunt unam nubeculam ascendentem, tum putant rediturum diluvium, hoc est, levis quaedam tentatio

*) Tristitia erit brevissima, gaudium aeternum.

frangit animum, sed oportet, ut sic ex fide in fidem proficiamus, et una experientia post aliam confirmati animemur ad alia pericula contemnenda. Nisi enim nonnunquam desperatio incideret, non disceremus vere credere. Avertere faciem est indignari, hoc est, momentum inquit etc. Sicut intueri est propitium esse et favere.

[Montes enim commovebuntur.

Adversarii tui, tam spirituales quam corporales, quos tu tanquam invictos montes formidas, contremiscent. Tu autem, qui tibi videris tremulus, nutans, incertus, stabis sicut Marpesia cautes]. Ratio est, quia misericordia, qua te suscepi, non recedit a te, sed immota super te stabit. Quare crede tantum verbo meo, et discede extra sensum tuum, et sic esse experieris etc. Videmus ex hac prophetiae copia, tam esse difficile turbatum animum erigere, quam difficile est duros et infractos mollire.

[Paupercula, tempestate confulsa etc.]

Sic vocat eam, quod omni genere calamitatum obruitur ecclesia, et sicut Christus est signum contradictionis, sic ecclesia quoque. Aliae enim doctrinae et religiones, quantumcunque sint absurdae, tamen inveniunt suos discipulos, et sunt in bona pace. Sola haec religio objecta est odio et furori mundi, et omnibus peccatis exposita. Consolatur igitur eam*): [Non solum momentanea tribulatio erit, sed proderit ad multiplicationem ecclesiae, ut, quo plus premitur, eo plus fructificet, et quo plus arctatur, eo magis propagetur. Ideo

*) Consolatio afflictae et oppressae ecclesiae.

etiam palmae comparatur, quae non cedit ponderi, sed insurgit[1]) contra pondus.

Ecce ego struam per ordinem lapides.

Magna promissio *), quod Deus velit aedificare ecclesiam tanquam regnum quoddam ex pretiosis lapidibus et gemmis. Sunt autem pretiosi lapides, quos jam dicet a Deo doctos. Ponit varia gemmarum genera, propter varia dona, quae sunt in ecclesia, de quibus vide Paulum 1. Cor. 12. et Ephe. 4. etc.

Universos tuos filios doctos a Domino.

Hi sunt pretiosi lapides. Porro citatur sententia Joannis 6. Ideo autem dicit a Deo doctos, quia doctrina Christianorum **) talis est, quam ratio non solum non potest invenire, sed inventam et traditam quoque non potest intelligere. Et quod majus est, necessario cogitur eam odisse] et damnare. Idque ideo, quia est doctrina de rebus non apparentibus contra rationis judicium et sensum. Quare Christiani tanquam asini ridentur, quod doceant de rebus, quae nusquam sunt, et avocent ab iis, quae sunt, contra philosophia ***); studium juris, et omnes aliae artes, quae versantur circa actiones, docent de rebus praesentibus et apparentibus. Ideo praeferuntur apud rationem evangelio. Quia igitur ratio offenditur evangelio, impossibile est Christianum humanitus edoctum esse, et qui adhaerent

*) Promissio de aedificanda ecclesia. **) Coelestis doctrina de rebus non apparentibus. ***) Philosophia de rebus apparentibus.

1) In ed. 1532 est: assurgit.

verbo, faciunt id non propriis viribus, sed dono Dei, et quod sunt divinitus docti.

Odiosi isti homines sunt, qui insigni hac sententia abutuntur contra verbum vocale. Quod si verbum vocale inefficax est, cur ipsi non cessant docere? cur non cessant libros scribere? Aut unde ipsi ea habent, quae docent? Propheta rectius facit, qui utraque conjungit, et verbum vocale, et spiritum. Ecclesiam vocat matrem, quae parit filios, et tamen constat, ecclesiam non posse dare spiritum sanctum. Parit igitur per ministerium externum verbi, cui adest Dominus, sicut est in Actis: cooperante Domino, et sermonem confirmante per miracula. Ergo quia dicit esse filios ecclesiae, significat adesse verbum vocale. Rursus, quia dicit filios a Deo doctos, significat adesse quoque spirituale verbum.

Sic igitur haec distinguenda sunt. Audire habemus ab ecclesia, credere a Domino, verbum a matre, spiritum a patre, vocem a praedicatoribus, vim et efficaciam a spiritu sancto. Vox nos congregat, spiritus illuminat et copulat nos Deo etc. Qui igitur habuerit verbum, et crediderit verbo, est filius Dei, et habet utrumque verbum, scilicet vocale et spirituale. Neque potest alterum sine altero esse, quia Deus sic ordinavit.

Multitudinem pacis filiis tuis.

Sicut Roma. 5: Justificati fide *) pacem habemus erga Deum per Jesum Christum. Quando ergo confirmatus est animus fide, quod Deus sit pro nobis,

---

*) Effectus fidei.

dicit: Quis ergo contra nos? Quem timebo? Num [1]) mundum? At quid mundus erga Deum? quid creatura ad [2]) creatorem? Num [1]) mortem? at quid mors ad vitam, quae in Christo est? Num [1]) peccatum? at quid peccatum ad aeternum justitiam, quae in nobis est etc.? Verum haec certitudo non potest esse in animo, nisi Deus prius doceat verbum, et creet per verbum pacem in corde.

In justitia praeparaberis.

Fidem haec sequuntur, pax cordis, et bona opera. Qui enim credunt ultra hoc, quod pacem habent, offertur etiam eis materia benefaciendi, ut possint docere, consolari, respondere ad dubias causas, civitatibus et oeconomiis servire, orare, largiri aliis, regere etc.

Recede procul a calumnia.

Verte: Longe eris a calumnia. Non quod calumnia et injuriae non adsint, haerent enim in dorso Christianorum, sed procul erunt a conscientia tua. Malum enim accedit in carnem, et non in conscientiam, sed spiritus etiam malis bene potest uti, et per patientiam vincit malum]. Sic pavor, inquit, non appropinquabit ad te. Non quod sint Christiani *) extra metum et pericula, sed quod nemo eis nocebit. Habent enim praeceptorem et patrem Deum, et matrem ecclesiam, hi non patiuntur nobis eripi pacem.

[Ecce acoola veniet, qui etc.

Grammatica hic obscura est. Sentenția tamen

---

*) Piis cooperantur omnia in bonum.

1) In ed. 1532 deest: Num. 2) In ed. 1532 legitur: erga.

sic potest reddi: Ecce quis accola contra te veniet, ut te obruat, cum absque me veniet.

Consolatur ecclesiam contra vim tyrannorum. Quod autem addit: absque me, tollit illam intolerabilem jactantiam adversariorum, quod jactant se Deo obsequium praestare, cum persequuntur pios, se pugnare pro ecclesia et pro fide contra haereticos. Sic enim solent, ornant vim, quam piis afferunt, titulo nominis divini et ecclesiae. Verum Christus confirmat hic nos, et dicit, quod faciunt[1]) id, sed absque me.

Ecce ego creavi fabrum.

Promittit futurum quoque, ut haeretici pereant, qui vehementius multo concutiunt et convellunt ecclesiam, quam externa vis tyrannorum. Vocat igitur eos fabros, qui sufflent ignem ad inflammandum totum orbem. Ego eos creo, inquit, ad opus suum, id est, ad perniciem], ut pereant, [erunt sibi ipsis exitio etc. Hujusmodi multos fabros nostrum seculum protulit, sed videmus eos quoque ad opus suum creatos.

Omne vas, quod fictum est contra te.

Fatetur parari contra nos vasa, et esse contra nos linguas. Sed addit, non dirigentur, hoc est, carebunt successu et benedictione, ac peribunt. Sic quamquam multa in nos adversarii statuerint, quamquam multa in nos sectarii scripserint, tamen nihil effecerunt, sed evanuerunt sicut ventus.

Justitia eorum apud me.

Mundus enim eam non videt, sed damnat pro

1) In ed 1532: faciant.

haeresi et seditiosa doctrina]. Ego autem eorum justitiam et vitam probo.

Caput quinquagesimum quintum.

[Omnes sitientes venite ad aquas.

[Docuit*) hactenus multis capitibus, quid sit Christus, item quid ecclesia**), nempe congregatio eorum, qui haerent in verbo, et non in rebus apparentibus. Hanc consolatus est variis promissionibus contra scandalum crucis. Nunc cohortatur [1]) quoque, ut sit aussidua in verbo***), ne in contemptum aut fastidium verbi incidatqua, tentatione haud alia pestilentior et communior est, unde natae sunt omnes haereses. Quare opus est, ut retineamur in assiduo usu verbi, et fugiamus persuasionem illam nocentissimam, nos satis intelligere et nosse verbum, sicut hodie multi sibi persuadent. Pii autem animi, quia credunt Dei verbum esse et divinitus inspiratum esse per spiritum sanctum, ideo venerantur majestatem, et cupiunt perpetuo discipuli esse, non fatigantur lectione assidua. Hinc fit, ut et a fastidio longissime absint, et quotidie novum ardorem ad verbum afferant, quod alii ceu saturi ventres nauseant. Quare necesseria haec prophetae exhortatio est post doctrinam, quam supra tradidit.

Prima autem pars exhortationis haec est: Sequimini evangelium****), quod gratis vobis offertur,

---

*) Summa et ennarratio Cap. 55. **) Ecclesia. ***) Exhortatio ad verbum assidue tractandum. ****) Evangelium sequendum.

1) In ed. 1532 legitur: exhortatur.

et offert gratis justitiam aeternam. Omnes aliae doctrinae, omnis alia justitia labore et sumptibus parantur, et tamen nihil valent.

Vinum et Lac.

Secunda commendatio verbi, qua exhortatur nos, quod scilicet evangelium*) sit doctrina, quae valet in omnes partes, ut unusquisque inveniat remedium suae necessitatis. Quia enim in ecclesia sunt infirmi et robusti, robustis, qui tentationibus peccati et mortis exercentur, datur vinum ad consolationem, rudibus autem et infirmis datur lac ad alimentum, quo instituuntur et docentur.

Quare appenditis argentum non etc.

Est confutatio et abrogatio omnium aliarum religionum, doctrinarum et operum, quod omnes religiones, omnes doctrinae, et studia omnia extra hanc gratiae doctrinam sint frustranea **), et tamen laboriosa, quae non tranquillum faciant animum [1]), sed affligant. Diligenter autem notabis hoc praedicatum, quod tribuit omnibus justitiis, quae sunt extra gratiam, quod scilicet sint laboriosae, et tamen frustraneae, sicut sub papa experti sumus.

Inclinate aurem vestram.

Tertia commendatio, quod sola evangelii***) doctrina vivificet [2])], quia dicit: Nisi me audieritis

---

*) Evangelii usus. **) Omnes aliae religiones praeter evangelium sunt frustraneae. ***) Solum evangelium vivificat.

1) In ed. 1532 legitur: quae non quietent animum.
2) In ed. 1532 additum est: et saturat.

anima vestra non vivet. [Omnes aliae doctrinae, omnia alia studia occidunt. Ergo justitia Mosi, justitia omnium monachorum, sacerdotum etc. est mors et interitus.

Et feriam vobiscum pactum sempit.

Abrogat manifeste vetus pactum, et promittit novum, nempe,

Misericordias David fideles.

Hoc est, pactum gratiae et remissionis peccatorum*). Est enim emphasis in nomine misericordiae, quam opponit omnibus meritis et operibus, ut intelligamus justitiam nostram esse gratuitum donum. Quod autem addit, fideles, acuit exhortationem. Pavidae enim et infirmae mentes semper metuunt, ne tantae promissiones (quia in nudo verbo offeruntur) irritae sint et fallant credentes. Ut igitur infirmitati nostrae consulat, vocat fideles misericordias, hoc est veraces, quas velit vere praestare et exhibere, sicut creduntur. Huc affer antithesi et hoc praedicatum, fideles, adime[1]) omnibus ali doctrinis et justitiis, quod non sint fideles, s fallant.

Porro ne intelligantur promissiones corpor de terra Canaan, ideo addit misericordias fi David**), ut distinguat novi pacti misérico a misericordiis veteris pacti, quo[2]) promisit t Canaan patribus.

---

*) Pactum gratiae et remissionis peccatorum.

Reg. 13.

1) In ed. 1532 est: aufer. 2) In ed. 1532:

In testem populis dedi eum.

Hactenus Judaeos exhortatus est. Jam dicit propagandam misericordiam hanc in fines terrae. Non solum vos Judaei impinguabimini, sed gentes etiam, ergo latius patebit hoc pactum novum, quam vetus. Est autem emphasis in vocabulo, testis. Testis enim est qui loquitur, ergo Christus, quia regnabit in populis, positus in testem, regnabit per testimonium, id est, per praedicationem evangelii. Ita omnia colliguntur in verbum, et non in res praesentes.

Quaerite Dominum, dum inveniri potest.

Quarta pars exhortationis minas continet, quasi dicat: Praedicavi vobis commoda evangelii, jam si vos non movet vestra utilitas, moveat saltem periculum et incommoda, quae in vos ingruent. Si enim verbum jam non susceperitis, fiet ut a vobis auferatur, post frustra erunt omnia vestra studia. Quaeretis et non invenietis, invocabitis et nemo exaudiet vos etc.]. Sic nos hodie monemus homines, ut praesentem lucem amplectantur. Periculum enim est, ne brevi futurum sit, ut verbum iterum eripiatur, et nusquam sit certa aliqua doctrina, qua institui homines possint. Ad eam rem jam sternunt quasi viam Anabaptistae et alii, neque enim satan dormit, et in summa ingratitudine vivimus.

[Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus, et ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.

Impii et viri iniqui sunt speciosissimi sancti, et in summa, omnes illi, qui non haerent in hac gratuita misericordia et justitia Christi. Quamquam igitur sit suavissima promissio, qua exhortatur impios, tamen frustra fere est apud impios, quod misericordiam et ignoscentiam nolunt, sed volunt justi esse. Quare hoc primo faciendum est, ut agnoscamus peccata. Hoc si fecerimus, non destituet nos misericordia.

Non enim cogitationes meae etc.

Est confutatio adversariorum, qui, cum audiunt has promissiones et exhortationes, opponunt merita et opera sua, quae faciunt, sicut ille in evangelio, Lucae 18: Jejuno bis in sabbato, decimas do etc. Hic inflati objiciunt, an non haec sunt bona opera? Respondet igitur hic Deus: Hae tuae cogitationes sunt, inquit, Ego autem prorsus diversum cogito. Cessa igitur a tuis cogitationibus, et despera de viribus[1]), respice in gratuitam misericordiam, tum attinges cogitationes meas, id est, justitiam meam, qua te gratis justifico. Emphasis enim est in pronomine, vestrae, scilicet, quas spiritus sanctus non creavit[2])] in vobis, per verbum, sed vos excogitastis, [quantumvis in speciem sint bonae.

Est fortissima confutatio, qua damnat omnes humanas cogitationes de Deo, de justitia Dei*). Non enim loquitur de cogitationibus adulteri, scortatoris, furis etc. Quid enim opus esset illa damnare,

---

*) Damnantur cogitationes hominum de Deo et de justitia.

1) In ed. 1532 legitur: et despera de tuis viribus.
2) *In ed.* 1532 est: non inculpsit.

quae alioqui totus mundus damnat? Quare inepta est distinctio illa, quod Deus malas tantum cogitationes damnet, et non bonas. Nam cogitationes de propria justitia sanctissimae cogitationes sunt, secundum rationem. Hinc etiam patet, quam belle statuant suum liberum arbitrium adversarii]. Dicit enim sine distinctione, Vestrae cogitationes, sive bonae sive malae sunt, non sunt meae cogitationes.

[Quia sicut exaltantur coeli a terra], sic exaltatae sunt viae meae a viis vestris, et cogitationes meae a cogitationibus vestris.

[Damnat omnes nostras vias, studia, religiones et opera, quod sint terrena, et exigit pro iis coelestia, hoc est, misericordiam et gratuitam justitiam Christi], qua sola salvamur, cum eam fide apprehendimus. Porro [vias suas non dicit praedestinationis viam, sed justitiae, qua debemus justificari. Est enim duplex via[*]), una nostra, quam affectat et parat sibi homo propriis viribus et studiis, altera Dei, quam non nos, sed Johannes Baptista per verbum parat[1]), ut Dominus omnia in nobis faciat et operetur. Haec via est, credere ex toto corde Jesum Christum pro nobis in cruce satisfecisse, et suum meritum nobis donasse. Hanc fidem deinde sequuntur digni fructus. Facit autem haec in nobis spiritus sanctus, quare, cui non sunt divinitus per spiritum sanctum impressa, ille perdurare non poterit]. Sic ultra politicas et oeconomicas virtutes

---

*) Duplex via, Dei et nostra.

1) In ed. 1532 legitur: Johannes Baptista etiam per verbum *praeparat*.

requirit coelestem virtutem, nempe, ut apprehendamus gratiam gratuitam.

[Et quomodo descendit nubes de coelo.

Hactenus exhortatio, nunc erigit*) infirmos, ne offendantur exilitate et stultitia Christi, qui tantas res praesumit gerere per vocem humanam. Si enim verbum consideres, nulla apparet ejus virtus. Os enim hominis, non vires, non arma hoc regnum conservat. Offenduntur igitur animi, cum audiunt tantas res per verbum efficiendas esse. Quare necessaria fuit haec commendatio, quam apta similitudine tractat, qua omnia tribuit verbo. Quod terra profert fructum, ea non terrae, sed pluviae et nivis est gloria, ita etiam verbum efficit in nobis, ut germinemus, et bene operemur, postquam justificati sumus[1]] fiducia misericordiae, quam verbum nobis proponit.

[Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed faciet quaecunque volui, et prosperabitur in his, ad quae misi illud.

Sequamur igitur hoc verbum**), et dabitur nobis Spiritus, qui erit efficax in nobis[2]). Porro os accipiendum est non pro invisibili ore, sed os Christi est os Petri, Pauli, et omnium, qui verbum Dei loquuntur. Impossibile[3]) est, ecclesiam sine verbo, et verbum sine ecclesia esse.

---

*) Confirmatio contra offendiculum praedicati verbi.
**) Adhortatio ad apprehendendum verbum.

1) Edit. 1532 sic pergit: fide in verbum. 2) In ed. 1532 legitur: qui operetur in nobis. 3) In ed. 1532 additum est: igitur.

Quod dicit, prosperabitur in his, ad quae misi illud, significat fore, ut afferat verbum*) ad nos justitiam et salutem. Sed hoc non fit sine tentatione et cruce. Ideo bene addidit, prosperabitur, quasi dicat: Quantumvis resistatur a mundo, satana et vestra conscientia, tamen prosperabitur.

Quia in laetitia egrediemini.

Alludit ad exitum de Aegypto. Educam vos in laetitia de nova Aegypto, de morte, inferno, peccato et de laboriosa justitia in regnum gratiae et remissionis peccatorum, ut habeatis perpetuum gaudium in spiritu. Ante, cum sub lege eratis, omnia erant plena luctu et labore, quia cor non erat quietum. Nunc autem per fidem in Christum pacem et gaudium habebitis. Possumus autem ex gaudio intelligere defectum fidei nostrae, quantum enim credimus, tantum necesse est gaudere. Est tamen gaudium hoc in tribulatione, ut, quamvis sentiamus peccata, inopiam, persecutionem etc., tamen dicamus, quid ad me? Habeo Christum, qui unus mihi est pro omnibus thesauris mundi, sicut de quodam Romano cive legimus, qui cum propter fidem Christi exutus facultatibus in exilium ageretur, Saltem Christum, inquit, relinquetis mihi. Huic in corporali tentatione montes et colles omnes cantare et ridere videbantur.

Pro saliuncula ascendet abies.

Non relinquentur in ecclesia**) tristes et steriles frutices, hoc est, steriles et noxiae traditiones

*) Effectus verbi. **) Fructus ecclesiae.

humanae eradicabuntur, non erunt amplius perturbatae conscientiae, sed utiles, fructuosae et procerae arbores succrescent. Erunt in ecclesia frugi homines, et multa bona opera. Porro haec omnia fiunt per imbrem, hoc est, per verbum.

Et erit Domino nomen et signum aeternum, quod non auferetur.

Nomen Christi est, quod sit salvator, qui gratis justificet, et damnet omnia opera nostra, et donet nobis opera sua. Ubi hoc nomen et haec doctrina est, ibi est signum praesentiae Christi. Augustiniani, Franciscani, Dominicastri, et alii amiserunt hoc nomen etc., quia habent aliud, per quod[1]) volunt salvari, nempe regulam et vota sua. Debet autem hoc nomen Christi*) aeternum esse, quod non eradicabunt portae inferi, sicut est in Symbolo: Credo Ecclesiam sanctam etc.].

Caput quinquagesimum sextum.

Principio capitis **) ministrum legis agit Esaias, et exhortatur populum ad justitiam illam legalem, ut per legem ceu per paedagogum paretur ad futurum Christi regnum. In reliqua parte consolatur proselytos sui temporis, ne se putent alienos a populo Dei, et promittit, quamquam non sint de semine Abraham, tamen illorum sacrificia accepturum Deum, et plures vocaturum.

Custodite judicium***).

Sunt legis verba. Estote, inquit, in illa legis

*) Nomen Christi aeternum. **) Summa cap. 56.
***) Enarratio cap. 56.

1) In ed. 1532 legitur: quo volunt servari.

paedagogia boni et justi, donec veniat Christus. Tangit autem duas partes justitiae, et servare innocentem, et nocentem damnare.

Quia juxta est salus Mea.

Promittit adventum Christi *). Notabis autem quod distinguit justitiam et salutem suam a justitia et salute legali **). Est enim emphasis in pronomine Mea. Nam legis justitia puerilis et servilis quaedam est justitia, qua discimus esurire justitiam Dei. Sic conjungit fidem et timorem. Ut enim a fiducia operum retrahat populum, Dei justitiam promittit, et simul, ne licentia deteriores reddantur, in legis justitia eos retinet.

Custodiens Sabbatum.

In Sabbato vacabant cultui Dei. Comprehendit igitur nomine Sabbati omnia ea, quae nos Deo debemus, hoc est, primam tabulam. Rursus cum dicit: Custodiens manus suas etc., omnia caritatis opera complectitur, hoc est, secundam tabulam.

Non dicat filius advenae.

Hic principalis hujus capitis est locus. Fluctuabant enim proselyti, et se frustra in Judaeorum religione laborare judicabant, quia non haberent promissiones nec essent de semine Abraham. Has desperationis cogitationes pulchre indicat propheta: quis scit, an placeam Deo? Separatione dividet me Dominus a populo suo etc. Ea enim vox est vox

---

*) Promittit adventum Christi. **) Discrimen inter Christi et legis justitiam.

conscientiae sentientis peccatum, mortem et da
tionem. Praeoccupat igitur eos spiritus sanctu
dicit*): Non es separatus, crede te conjur
huic populo etc. Particula, Non, erat scribend
reis literis, et infigenda cordibus nostris dubi
bus de gratia. Sunt enim tales desperationis
tationes, non Dei cogitationes, sed satanae.
autem ille est, qui tempore tentationis hoc, Non
prehendere in suo corde potest.

Eunuchus.

Potest intelligi de eunuchis ad literam, ve
allegoriam, ut significet proselytos steriles ir
pulo[1])]. Illa enim erat maledictio legis, si qui
relinquebant semen.

[Sum lignum aridum.

Quamquam multa in hac religione facian
men conscientia mea mihi dicit, esse me aridun
num paratum ad ignem.

Tenuerunt foedus meum.

Scilicet de promisso Christo.

Et nomen melius.

Tales eunuchos, quamquam non sint de se
Abrahae corporaliter, praeferam tamen incre
Judaeis, qui sunt de populo, quasi dicat: Mal
vum fidelem, quam filium infidelem, juxta illuc
Provocabo eos in populo non populo, etc.

---

*) Nullum discrimen inter Judaeos et G
**) Deut. 32.

1) Ed. 1532 sic pergit: In lege enim maledicti
qui non relinquebant semen.

Stulti papistae hoc loco abusi sunt ad laudem castitatis, sed castae sunt non solum viduae et virgines, sed habent[1]) suam castitatem quoque, et eam quidem purissimam, conjuges*)[1]). Et quod ad justitiam aut meritum attinet, neque conjuges virginibus neque virgines conjugibus sunt praeferendae. Sunt enim ordines vitae laudabiles, sed justitia in solo Christo, non in generibus vitae sita est. Secundo propheta hic non versatur in laude virginitatis, sed consolatur steriles eunuchos, ne desperent de sua vocatione, et diserte dicit de eunuchis servantibus sabbatum et tenentibus foedus divinum. Non igitur agit de laude eunuchatus aut virginitatis, sed de laude servantium mandata. Cornelius in Actis**) erat melior multis Judaeis, inde non sequitur fuisse eum meliorem aliis propter militiam. Ita de hoc etiam loco judicandum est]. Non enim genus vitae nos Deo commendat, pertinet enim ad politiam, et est externa res, sed observatio mandatorum Dei.

Adducam eos in montem sanctum meum.

Etiam gentes proselyti debent esse participes hujus religionis et promissionum, et quia credunt promissionibus meis, ideo mihi grata erunt sacrificia eorum.

Domus mea etc.

Haec est ratio, quare eunuchos et proselytos probet, quod non solis Judaeis latus hic cultus Dei sit, neque illi soli Dei sint populus, sed quod est

*) Castitas conjugum. **) Acto. 10.

1) In ed. 1532 legitur: sed habet.... matrimonium.

domus orationis CUNCTIS populis *). Sic etiam ante natum Christum compleri illud oportuit, quod promissum erat Abrahae, ut esset pater multarum gentium.

Omnes bestiae agri venite.

Consolatus est hactenus desperabundas mentes, et pias, jam ad alteram populi partem convertitur, ad superbos et praefractos, qui se sic putabant congregatos, ut dispergi non possent], quia essent de semine Abrahae. [Eos terret minis, futurum ut vastentur per Assyrios, et alios vicinos populos. Est enim prophetia futurae calamitatis **).

Bestias vocat maxime Assyrios et Persas.

Speculatores ejus caeci omnes.

Causa futuri mali, quod lex et verbum perierit. Ipsi principes populi et doctores ***), inquit, quorum erat alios docere, suum officium non faciunt. Muti et tamen fortes sunt canes, pascunt ventres suos, praeterea nihil agunt. Est descriptio pseudoprophetarum elegans, quod nihil sciant, et sint muti canes, ignavi, avari, et dediti luxui. Tales hodie sunt columnae, quibus nititur papatus. Non igitur mirum est, quod tam belle defenditur.

Omnes in viam suam declinaverunt.

Potest intelligi de externis criminibus, sed mihi magis placet, ut accipiatur de speciosis viis, in quibus ambulant hypocritae. Sic Franciscanus Francisci regulam sequitur, decalogum et evangelii

*) 2. Reg. 5. Matth. 21. **) Comminatio et prophetia futurae calamitatis. ***) Impii doctores.

doctrinam negligit], tanquam rem vulgarem, quae ad vulgus pertineat.

[Venite, sumamus vinum.

Sunt mimeses, quasi dicat: nihil aliud docendo et vivendo quaerunt, quam ut sint pingues et lauti ventres. Neque enim puto allegoriam hic quaerendam esse.] Idem videmus in nostris papistis, qui in summo luxu et extrema licentia vivunt. Ante aliquot annos erat pudor habere domi scortum, hodie etiam conjuges rapiunt sine ullo pudore. Sic paulatim accidit, ut, cum lapsi essent a pietate, inciderent in hypocrisin, deinde ex hypocrisi in avaritiam, ex avaritia in luxum inciderunt, ut amplius nec vitam nec doctrinam commendabilem habeant.

[Justus autem perit.

Justos*), inquit, illi ventres negligunt, verum habent justi propitium Deum, qui eos in pacem et jucundam quietem ante faciem calamitatis constituet, id est, priusquam insigni aliqua calamitate Deus perdat impios. Sicut ad Josiam dicit: Tolleris, ne videant oculi tui hoc malum etc. Sic excidio Hierosolymitano erepti sunt apostoli, et reliqui sancti. Impia autem multitudo in unum collecta dedit poenas]. Idem nobiscum accidet, vivunt adhuc passim quidam pii homines, propter illos Deus differt poenam. Sublatis autem iis, sequetur Germaniae ruina**).

[A facie enim malitiae.

Clarius erit, si sic vertas: Antequam veniat

---

*) Justi tolluntur, ne videant mala impendentia.
**) Prophetia de interitu Germaniae.

calamitas, auferentur justi, et venient in pacem, et requiescent in cubilibus suis, quia recte ambulaverunt.

Est autem insignis locus, qui consolatur nos, fore ut securi post mortem in pace quiescamus, ubi nulla sentiamus incommoda. Quomodo autem hoc fiat, aut ubi, non est nostrum scire, satis enim hoc est scire[1])], quod pacifica quies futura sit.

Caput quinquagesimum septimum.

[Est generalis quaedam increpatio hypocritarum et eorum qui adversantur verbo*). Damnat enim justitiarios et idolatras, quod contra primum praeceptum peccent. Primum in eo, quod alium deligunt locum, quam divinitus erat mandatum, secundo, quod fidunt in propria opera, et in brachium carnis, et contemnunt[2]) verum Deum. Quare minatur futurum, ut tempore calamitatis omnia illa studia nihil sint profutura. Deinde adjicit antithesin, et consolatur pios. Pii abundant omnibus bonis, quod si affligantur, affore Deum, qui eos consoletur et recreet. De justis, ait, dixi, fore ut tollantur ante diem calamitatis. Vos autem impii non sic, reservamini enim calamitati propter vestram impietatem. Perinde atque si nos nostros tyrannos objurgemus: Agite, occiditis jam sanctos verbi ministros, ferro, igni et aqua membra Christi persequimini. Fiet autem, cum hos sustuleritis, ut ipsi quoque pereatis et in aeternum damnemini].

*) Summa Cap. 57.

1) Ed. 1532 sic pergit: Fore pacificam quietem. 2) In *edit. 1532*: contemnant.

Filii auguratricis*).

Adversarii nostri fere unum hoc crimen habent, quod contra nos jactent, quod dicunt nos esse maledicos, et nihil aliud scire, quam ut convicia dicamus in pontificem et principes. Quare discite distinguere inter convicia. Convicium**) enim non dicitur nisi fiat a persona, a qua non debebat dici, hoc est, a persona privata, quae non est in officio aliquo, sicut non est homicidium, quod facit magistratus, sed quod privatus aliquis facit. Sic propheta hic atrocissima convicia in synagogam et populum Dei jacit, quod adulterae filios vocat, et potuit ei quoque objici, sicut et nobis: Tu quis es, qui maledicis principibus populi et summis doctoribus? Certe non omnes sunt mali, etsi aliqui sint etc. Sed [excusant prophetam primo officium et ministerium verbi, quod debet arguere, secundo etiam studium corrigendi et emendandi, neque enim facit, ut infamet Judaeos, aut ulciscatur suam aliquam[1]) injuriam, sed ut redeant in viam agnito peccato.

Accusat autem hic fidei tantum peccata, non externa crimina, et agit contra sanctissimos in speciem et religiosissimos, non contra facinorosos, quos ratio et mundus etiam damnat. Ideo enim vocat divinatricis et adulterae (hoc est, synagogae) filios, quod confidebant se suis operibus justos esse, quae ipsi eligebant. Augurium est falsum, adulterium est impium]. Quidquid igitur est doctrinarum et religionum extra doctrinam fidei, quae gratuitam misericordiam commendat, est augurium et incan-

---

*) Enarratio cap. 57. **) Convicium quid sit.

1) In ed. 1532 deest: aliquam.

tatio, et omnes doctores, qui a fide sana discedunt, sunt incantatores et incantati propria opinione.

[Super quem lusistis[1]).]

[Haec debet esse verbi gloria, et ministrorum verbi*), ut habeantur pro ludo et joco, et exagitentur a sapientibus hujus mundi. Porro si haec Esaias passus est, quid mirum est, si nos eadem hodie ab impio mundo patiamur?] Verte in futura: Super quem nunc oblectabimini, quasi dicat: Prophetas meos, quos misi, ut vos recte instituerent, ludibrio habuistis. Sed cum calamitas vos opprimet, tunc videbitis, quibus illuseritis.

[Qui consolamini.

Melius verte: Qui ardetis, scilicet amore idolorum, sicut libidine incensa animalia ardent. Atque hic enumerat impietatem. Dupliciter, inquit, contra primum praeceptum peccatis, et quod loca alia deligitis, neglecto eo, quem Deus vobis designavit, et quod in illa vestra electitia opera, non in Deum vestrum, fiduciam ponitis. Haec enim sunt adulteria,

*) Gloria verbi et ministrorum, ut ludibrio sint.

1) His verbis in ed. 1532 haec adjungitur enarratio: Melius sic: In quo nunc oblectabimini, scilicet tempore calamitatis. Notabis autem hic, quamquam haec gravissima sunt convicia, non tamen peccare Esaiam. Excusant enim eum primo officium et ministerium verbi etc. — Quae sequuntur, in ed. 1534 antecedunt et in nostra editione paulo ante leguntur, inde a vocabulis: excusant prophetam etc. — usque ad: adulterium est impium. Deinde ed. 1532 sic pergit: Tales sunt omnes doctrinae et traditiones humanae.

Ejecistis linguam.
Haec debet esse verbi gloria etc.

quae reprehendit.] Apte autem verbo ardendi naturam hypocritarum *) depinxit, qui ferventissimi sunt in suis idolatriis, sicut sub papatu ingens ardor et studium erat aedificandi templa, largiendi eleemosynas etc. Nunc cum vera religio docetur, et homines de bonis operibus recte instituuntur, mire frigent omnes.

[In partibus torrentis pars tua.

Verte: In lapidibus glabris torrentis pars tua, id est, voluptas, gaudium, vita tua. Sic qui templum divinitus ad cultum Dei constitutum contemnebant, illi in torrentibus et locis a se electis etiam filios immolabant.] Fit autem hoc in poenam, ut, qui Christo non dant unum obulum rogati, illi sponte omnes opes suas effundant in honorem diaboli.

[Nunquid super his non indignarer?

Hic fert sententiam: Sic electitia opera **), quantumcumque magna sint, non placant me, sed magis irritant et offendunt. Huc adfer religiones monachorum, vota, missas pro vivis et defunctis, indulgentias, peregrinationes. satisfactiones, jejunia etc.

Super montem.

Cubile seu lectum vocat studium idolatriae et ipsam idolatriam, sebasmata[1]), et altaria.

Memoriale.

Ubi colebant sua idola. Sicut apud nos fere in singulis potentiorum domibus singula altaria erant.

Dilexisti stratum.

Commodius sic vertes: Diligis cubile eorum

---

*) Ardor hypocritarum. **) Opera electitia.

1) In ed. 1532: *σεβάσματα.*

ubicunque videris, hoc est, ubicunque opportunus locus videtur, eum idolis tuis deligis.

Ornasti te regio unguento.

Verte sic: Profecta es cum unguento ad regem], ut scilicet jungas cum eo foedus. [Hic aliud peccatum in primum praeceptum commemorat. Sic fit, qui semel a sana fide desciverunt, illi subinde ex uno errore in alium labuntur. Ante damnavit fiduciam in propriam justitiam et opera, hic fiduciam*) in homines damnat. Sic sequitur fiduciam in opera fiducia in homines quoque.

In multitudine viarum tuarum laborasti.

Increpat mirabilem justitiariorum ardorem in suis studiis. Contra in vera religione omnia frigent.

Vitam manus tuae invenisti.

Meas vias spernis, invenisti alios vivendi modos, secundum tuam manum, in iis sedula pergis, quasi insana libidine humanorum praesidiorum.

Pro quo sollicita.

Non solum non fidunt Deo hypocritae et justitiarii, sed nec metuunt etiam, contra sua idola et traditiones suas metuunt, sicut in Psalmo**) est: Ibi trepidaverunt timore, ubi non est timor. Sic monachus sollicitus est, quod se non cinxerit scapulari et fune, quod non oraverit horas suas], de quibus nullum Dei mandatum habet [etc. Quod autem Deum blasphemet, et negligat proximum suum, hoc ne in mentem quidem venit].

---

*) Reprehenditur fiducia praesidiorum humanorum.
**) *Psalm.* 14.

Quia mentita es, et mei non es recordata.

Sunt gravissimae objurgationes, quod vocat omnem eorum cultum mendacium. Et hoc tantum exigit, ut recordentur sui, quod sit benignus, misericors. Sed hoc non facis, inquit, quia cor tuum est plenum cogitationibus idolorum et fiduciae in homines.

[Ego annunciabo justitiam tuam.

Comminatio: Tuam justitiam, in quam nunc secura fidis, per verbum confundam. Nihil tum idola tua, nihil opera tua[1]) proderunt. Omnia illa ceu a vento actus pulvis dispergentur. Sic videmus in calamitate nihil desperatius esse justitiariis, cum secundis rebus nihil quoque iis sit confidentius. Est autem emphasis in pronomine TUAM, quasi dicat: Mea justitia firma et perpetua est, tua non item.

Liberent te congregati tui.

Hoc est, idola justitiae, et opera tua, quae multiplicasti.

Qui autem fiduciam habet mei.

Iam convertitur ad pios, et consolatur eos, futurum, ut qui credant sibi, in vera ecclesia maneant, et tam corporalibus quam spiritualibus bonis abundent, ut alios quoque docere et servare possint.

Et dicam, viam facite.

Verte in tertiam personam, et dicet: Qui in me confidunt, inquit, illi soli recte poterunt alios docere*). Primo dicent, Viam facite, hoc est,

*) Veri Doctores.

1) In ed. 1532 hic additum est: tibi.

arguent mundum de peccato, et ostendent, nullam adhuc esse apud homines viam, tollenda esse offendicula viae, nempe fiduciam operum, et alia studia electitia. Hanc doctrinam non norunt qui non credunt.

Excelsus et sublimis habitans aeternitatem, et sanctum nomen ejus. In excelso et in sancto habitans, et cum contrito et humili spiritu, ut vivificet cor contritorum. Non enim in sempiternum litigabo, neque usque ad finem irascar etc.

Haec est altera pars praedicationis, qua territas mentes conspectu peccatorum promissione gratiae denuo erigunt. Sentis peccata, sentis iram Dei. Prope est Dominus afflictis, sicut dicit in Psal.*). Ne igitur [1]) desperes, Dominus enim vult habitare cum contrito et humili spiritu, praefractos et securos odit etc. Quod addit [2])]: Non in sempiternum litigabo, concedit se irasci, sed momentaneam esse iram. Si igitur fortes in fide gratiae perstiterimus, spiritus a facie ejus egredietur, quo fovebit et recreabit nos.

[Propter iniquitatem [3])].

Recitat causam**), quare percussurus eos sit.

*) Psal. 145. Psal. 33. **) Causae calamitatum.

1) In ed. 1532 desunt vocabula: sicut dicit — et: igitur. 2) Edit. 1532 sic pergit: Spiritus a facie egredietur, significat spiritum, quo velit recreare afflictos. 3) Horum verborum in ed. 1532 haec est enarratio: Causa, quare percutere malos velit, nempe propter iniquitatem avaritiae, et non tantum propter avaritiam. Sic enim accidit, fiduciam operum semper Mammonae cultus et studium sequitur:

Complectitur enim utrumque, minas et consolationes; et sic tractat futurae calamitatis comminationem, ut tamen spem aliquam pacis relinquat. Flagello enim revocantur stulti in viam. Pulchre autem conjungit avaritiam cum fiducia operum. Hypocrisis enim et Mammon sunt duo conjuncta numina.

[Abscondi a te.

Gravius multo est, quod se abscondit Deus*), quam quod percutit. Si enim in calamitate verbo homines careant (id enim est abscondi), tum unusquisque suis studiis et operibus Deum aggreditur. Sic Achas, sic Saul, qui ad pythonissam et sacrificia sua recurrebat. Qui autem verbum habent, illi primo agnoscunt, se etiam majores poenas propter peccata meritos [1])] esse, et rogant liberationem, quia promittenti Deo credunt. Tandem emendant quoque vitam, et benefaciunt proximo.

[Vias ejus vidi.

Haec sunt nostra merita, quibus meremur gratiam, necessitas scilicet et calamitas nostra, quod erramus in nostris studiis, et MISERICORDIA Dei habemus opus, sine qua pereundum nobis est.

Creavi fructum.

Verte sic: Lata labra creabo, quae loquantur: Pax, pax ei, qui etc. [2])]. Vocantur lata a verbo, quod

*) Deum abscondi gravius est quam affligi.

1) Ed. 1532 sic pergit: et promittenti Deo credunt. Tandem emendant vitam et benefaciunt proximo. 2) Edit. 1532 sic pergit: Hic est sanandi modus, per verbum scilicet: Porro huic tum etc.

late propagatur. Unus enim sanandi et liberandi est modus, cum Deus verbum suum mittit. [Porro hoc tum est factum, cum Cyro regnante invulgata pax est et restituti Judaei sunt. Loquitur enim de poena captivitatis Babylonicae. Paulus ex particulari sententia generalem fecit Ephe. 2. Sicut tempore Cyri, inquit, praedicavit pacem omnibus Judaeis et gentibus, sic nunc etc.

Impii autem quasi mare.

Pii, inquit, pacem habebunt per verbum, impii*) autem verbum contemnunt, et nolunt habere pacem in misericordia, sed in propria justi ia. Quia autem praeter verbum nulla consolatio in calamitate est, flet, ut suis studiis sese affligant et macerent, et perpetuo inquietam habeant conscientiam[1]). Tum enim sentitur, quod omnia nostra opera, omnis justitia humana sit stercus].

Caput quinquagesimum octavum.

[Supra fidei peccata reprehendit, hic**) fructus infidelitatis et externa crimina insectatur, quae sub illa hypocrisi latebant. Haec duo enim principalia membra sunt, ut doceatur primo fides, deinde bona opera. Judaei igitur non solum primae tabulae praecepta negligebant, sed etiam prae superstitiosis humanarum traditionum operibus negligebant secundam tabulam. Id quod hic eis objicitur.

Damnat igitur fiduciam, quam in jejunia sua ponebant, et peccata enumerat, quae sub isto je—

*) Contemptoribus verbi non est pax. **) Summary Cap. 58.

1) In ed. 1532 legitur: inquieta sint conscientia.

junio latebant. Deinde docet, quodnam[1]) sit verum jejunium*), opera scilicet caritatis exercere, et addit insignes promissiones bonorum operum. Tandem damnat quoque sabbatum ipsorum et docet, quidnam sit sabbatum agere. Addit autem et ad eam partem magnificas promissiones.

Clama sicut tuba**).

Indicat, quid tuba in veteri Testamento significaverit, praedicationem scilicet]. Est insignis locus contra hypocritas, qui splendida opera eligunt, jejunant, tristes incedunt etc. et tamen pleni sunt avaritia, crudelitate, libidine et aliis passionibus. Ratio haec est, quia, cum a fide discessum est, necesse est corda occupari a diabolo, qui postea illa latentia vitia specie operum obruit, et inflat homines vana specie sanctitatis.

[Quaerunt me de die in diem.

Non solum***), inquit, primum praeceptum negligunt, non solum secundae tabulae praecepta non faciunt, sed postquam sua jejunia absolverunt, mecum contendunt judicio, volunt scire causam, cur sic et sic faciam, cum tamen nihil commeruerint.

Rogant me judicium justitiae.

Sicut dicitur in evangelio****): Justificata est sapientia a filiis suis], non quod haec aperte faciant, ut cum Deo contendere velint. Quin gloriantur ipsi quoque de cultu Dei et obedientia erga

*) Verum jejunium. **) Enarratio cap. 58. ***) Reprehendit hypocritas. ****) Matth. 11.

1) In ed. 1532: quidnam.

Deum, sed cum Deo loquente et arguente eos per ministerium verbi sui contendunt, et eum Deum, qui eis loquitur per pios, negant et damnant. Damnant enim verbum, damnant quoque ministros verbi, reprehendentes vanam superstitionem, adversus illos jactant suam justitiam, sic contendunt cum Deo *).

[Ecce in die jejunii vestri.

Hic addit causam, quare jejunia ipsorum damnet. Nam cum[1]) dicit, Voluntas vestra, antithesin significat, quasi dicat: Volui, ut meam voluntatem faceretis, verum vos jejunia apprehenditis, quibus vestram voluntatem et peccata vestra tegitis, scilicet superbiam, avaritiam, contemptum et crudelitatem. Sicut hodie monachi et sacerdotes papae speciosis suis operibus, quod in dies missas celebrant, multum orant, coelibes vivunt etc., tegunt gravissima peccata, quod scilicet[2]) persequuntur verbum, occidunt innocentes, blasphemant Christum etc. Non igitur simpliciter damnat jejunium, sed tale jejunium damnat, quod fiebat operculum[3])], quo tegebant suam malam voluntatem, et eam voluntati Dei opponebant.

[Ecce ad lites et[4]) contemtionem.

In jejuniis vestris estis religiosi, erga proximum autem estis crudelissimi, nam sicut ille scripsit, vera justitia **) compassionem, falsa autem indig-

---

*) Cum Deo contendunt, qui cum ministris contendunt.
**) Vera, falsa justitia.

1) In ed. 1532: quod. 2) In ed. 1532 deest: scilicet. 3) In ed. 1532 additum est: maximorum peccatorum. 4) Hic in ed. 1532 intersertum est: ad.

nationem parit. Exempla hodie sunt ob oculos], nam adversarii, qui tam acriter defendunt bona opera, sunt homines vindictae studiosissimi et crudelissimi, qui nihil aliud agitant diu noctuque, quam ut nos judicent, et machinentur secreto, quomodo maxime nocere possint. Miserum autem est, tam coecos esse, ut hoc lateris vitium non ipsi agnoscant, sed necesse sit contra id doceri, et tamen nondum cognoscitur. Praetendunt enim crudelitati suae zelum justitiae, et tyrannidem suam vocant obsequium Dei. Sed pro hoc obsequio accipient mercedem suam a diabolo.

[Ut audiatur in excelso clamor vester.

Id est, clamor de vobis. Significat enim, quod oppressi inopes injuriis justitiariorum clament ad Deum. Sicut est de sanguine Abel in Genesi*), et supra cap. 5.

Numquid istud vocabis jejunium?

Hic vides quantum absint sancti papistae a Judaeorum moribus, quos hic reprehendit propheta. Religionis arcem ponunt in externis gestibus, incedunt tristes, et demittunt capita sicut juncus. Est bellissima similitudo. In junco nihil solidi, nihil firmi est, superficies est mire levis et glabra. Tales omnino sunt hypocritae, foris sunt speciosi, intus autem nihil firmi aut solidi est.

Saccum et cinerem.

Saccus viliorem vestem, cinis viliorem sessionem significat, de more hujus gentis.

*) Gene. 4.

Colligationes impietatis.

Id est, solve eos, quos tu per injuriam et avaritiam conjecisti in vincula, debitores tuos scilicet. Porro observabis hunc locum, non jejunium, non ulla alia quantumvis sancta et bona opera Deo placere, neglectis caritatis *) officiis. Ideo in evangelio etiam dicit Christus **) secundum simile, primo, ut diligamus proximum etc]. Item reconciliare prius fratri tuo, et postea offer munus tuum.

[Carnem tuam.

Est insignis ad bona opera exhortatio. Nominat enim proximum***) non fratrem, non patrem, qui gradus sunt proximi, sed carnem nostram, quam fovere et juvare debemus], cum laborat, non debemus alere eam ad luxuriam et libidinem. Sic quoque homines [ignavi[1]) non sunt juvandi, sed cogendi ad laborem.

Tunc erumpet quasi.

Sunt insignes promissiones, quod etiam in hac vita omni bonorum genere misericordes affluent, sicut dicit: Date, et dabitur vobis****). Lumen significat felicitatem, pacem, prosperitatem etc.

Et anteibit faciem tuam justitia tua.

Bona opera†) conscientiam tuam confirmabunt. Habebis conscientiae testimonium, quod ne-

---

*) Non placere opera sine caritatis officiis.
) Matt. 22. 5. *) Caro nostra proximus noster.
****) Lucae. 6. †) Bona opera confirmant conscientias.

1) In ed. 1532 hic additum est: autem.

minem laeseris. Sic bona opera, ut Petrus*) ait, certos faciunt de vocatione, et liberant a conscientia malorum operum inter homines. Neque enim hic versamur in loco de justificatione.

Gloria Domini colliget te.

Ex illo testimonio conscientiae tuae et ex operibus tuis certus redderis, Deum tibi bene velle, et probare tua opera. Sic pia mater, cum suum officium in curandis liberis facit, certo scit, probare Deum illud opus. Sic gloria operum**) haec est, quod possumus bona conscientia dicere: Scio hoc opus placere Deo. Alia enim fidei gloria est, quae dicit: Scio me justum esse sola gratia etc.

Tunc invocabis.

Promittit etiam in tribulatione certum auxilium. Nam oratio viri in fide ambulantis simpliciter est exaudita.

Si abstuleris de medio tui.

Est amplificatio promissionum. Sicut autem supra generaliter ad bona opera cohortatus est, ita haec specialiter de praedicatoribus verbi intelligo, quos inhumanius tractabant. Si abstuleris de medio catenam, hoc est, si desieris prophetas meos affligere, et male tractare, item, si desieris extendere digitum, id est, ridere meos ministros et conviciis incessere, et si effuderis animam esurienti, id est, saturaveris eum, orietur in tenebris lux tua, id est, abundabis omnibus bonis. Est enim promissio felicitatis et bonae conscientiae.

*) 2 Pet. 1. **) Gloria operum. Gloria fidei.

Implebit splendoribus.

Hebraice est, implebit in siccitate, id est, abunde[1]) in calamitate consolabitur,

Aedificabuntur in te deserta.

Non solum tu consolaberis, sed eris felix in omnibus tuis factis. Multos juvabis, multis proderis], et eris causa multarum optimarum rerum, non solum privatim, sed etiam publice [etc. Sic Naaman Syrus servat suum populum.

Fundamenta jacies, quae sunt perpetua.

Salutaria et duratura constitues, sive in politia, sive in ecclesiis,

Et vocaberis aedificator sepium.

Sepes significat more Hebraico reliquias. Omnibus proderis, tam ecclesiis quam politiis, quas constitues. Sic pius homo est probatus et instructus ad omne bonum opus*).

Si averteris pedem a sabbato.

Sicut antea jejunia Judaeorum, ita hic etiam sabbata reprehendit, et addit, quidnam sit verum sabbatum**) agere, nempe, abstinere a nostris operibus, sive proprie malis, sive in speciem bonis, quae nos ipsi sine verbo Dei eligimus, qualia in nostris sabbatis fuere missae et alii impii cultus. Et sabbatum glorificatur[2]), cum praedicatur verbum Dei et diligenter auditur. In hoc enim uno officio situs

*) Tit. 3. **) Verum sabbatum.

1) In ed. 1532 additum est: te. 2) In ed. 1532 est = *glorificabitur*.

est cultus Dei, ut audiamus verbum Dei diligenter, et ei per fidem obediamus etc. Notabis autem pollui sabbatum operibus, quae ipsi eligimus [1]. Damnat enim pedem nostrum in sabbato, hoc est, opera a nobis electa, item voluntatem et vias nostras].

Glorificaveris eum, dum non facias vias tuas.

Quid potuit dici clarius, quod sabbatum agere sit abstinere ab iis, quae tibi placent, etiam a sermone, et sanctificare Dominum in operibus a se praeceptis. Sed impii non credunt sabbatum pollui electitiis operibus et cultibus, sed quasi caeci sint, in hac opinione incedunt obstinati, et cogitant: Hoc opus facio cum bona intentione, et placet mihi, igitur necesse est Deo quoque probari et placere etc.

Tunc delectaberis super Domino.

Est insignis promissio, sed impii tam eam contemnunt, quam contemnunt comminationes, promittit enim fore, ut omnia placeant, quae Deus praecipit et facit, ut arrideat nobis doctrina evangelii, et nos agamus Deo gratias, quod nos ad illam cognitionem traduxerit, ut sciamus, quid sit sabbatum servare, quid non, et possumus nos consolari in calamitate, ut patienter feramus, quidquid acciderit. Haec sunt ingentia dona.

Caput quinquagesimum nonum.

Respondet hoc capite *) propheta impiis, qui

*) Summa Cap. 59.

1) In ed. 1532: elegimus.

praesentem calamitatem non suis peccatis, sed verbo Dei imputabant. Sicut nunc, postquam verbum Dei doceri coepit, omnia discordiis ac caedibus aestuant. Impii igitur, qui verbo adversantur, evangelium in causa esse dicunt[1])], et hoc tantum vident, quot calamitatibus mundus prematur, sua enim peccata non vident, et illam extremam ingratitudinem, quod verbum Dei persequuntur, quae vere sunt causa properandi flagelli seu calamitatis. [Deus autem sic solet, quoties malum aliquod imminet, praemittit ceu nuncium calamitatis verbum suum *), ut impii ad poenitentiam invitentur, et pii patientiam discant, ut in futuris malis verbo confirmati consistant, et non sicut impii malis victi succumbant. Sic ante diluvium Noe, ante excidium Hierusalem Christus et apostoli fuerunt, et nunc nostro seculo ante Turcae adventum et terribilem judicii diem Germaniae purum evangelium contigit. Porro ordo huius capitis hic est.

Dicit causam praesentium calamitatum esse non suam doctrinam, sed peccata populi, et addit peccatorum catalogum, eorumque poenas, tandem consolatur bonos, et addit promissionem, futurum ut illae calamitates finiantur, non propter aliquod populi meritum, sed quod Deus ipsorum sit misertus, sicut in Psalmo **): Propter nomen tuum, Domine, propitius esto peccato meo.

---

*) Ante calamitates Deus per verbum invitat ad poenitentiam. **) Psal. 79.

1) Edit. 1532 sic pergit: sua enim peccata non vident. Hoc tantum vident, quot calamitatibus mundus prematur. *Deus autem etc.*

Ecce non est abbreviata *).

Vellet quidem Deus nos juvare, et posset quoque, sed vestra peccata faciunt, quominus id faciat **). Respicit enim propheta ad murmur populi, qui in calamitate jejunabat, sacrificabat, servabat ferias, et tamen sentiebat in dies augeri mala. Hujus rei causam in Esaiam rejiciebant, sicut hodie in nos praesentium malorum causam adversarii congerunt. Hic necesse est, ut pii clament: Manus Domini non est abbreviata, non est culpa in nobis, sed in vobis, qui verbo resistitis, et de maximis peccatis, quae quotidie committitis, non poenitetis. Agite poenitentiam, agnoscendo peccatum, et petite gratiam, tum aderit vobis Deus.

[Manus enim vestrae.

Est catalogus peccatorum. Primum est, quod sint homicidae, interfecerunt enim sanctos prophetas, sicut nostri hodie] occidunt ministros evangelii.

[Non qui invocet justitiam.

Non docent justitiam Dei, sed suam. Idem significat per verbum judicandi]. Sic utrumque damnat, doctrinam et vitam, sunt enim conjuncta haec duo.

[Conceperunt laborem, et pepererunt iniquitatem.

Sic solet hypocrisis] et justitia carnis. [Habet speciem parturientis, sed nascitur ridiculus mus. Quantumvis enim se fatiget monachus, frustra tamen

---

*) Enarratio cap. 59. **) Causa miseriarum humanarum.

sunt omnia sua[1]) studia et opera, quia confidit in rem[2]) nihili, et in vanum idolum sui cordis.

Ova aspidum ruperunt.

Est figuratus morsus in studia hypocritarum*) sicut Matth. 3. progenies[3]) viperarum vocantur. Neque enim quisquam ita acerbe judicat et sentit de aliis, atque ii, qui sunt dediti studiis et operibus humanis. Tegunt enim hypocrisi virulenta judicia, et saeva odia sua, seque justificant, tanquam horum criminum non sint rei. Propheta igitur exprobrat eis hanc virulentiam, Quid facitis, inquit, cum vestra doctrina, quam ut ova basilisci rumpatis? hoc est, vestra doctrina facit amarulentissimos homines, qui nihil sciunt, quam alios judicare, calumniari et persequi. Hoc qui non intelligit, inspiciat hodierna exempla. Sancti patres in monasteriis et eximii domini doctores in scholis tantum non carnifices bonorum fiunt. Talis est totus papatus, et tamen nunquam de hac crudelitate poenitent, sed securi missas et impios suos cultus exercent, ut ex his aliquam sanctitatis laudem colligant.

Telas araneae texuerunt.

Opera eorum splendent, et habent magnam speciem sanctitatis, re vera autem sunt telae aranearum, hoc est, venenata et inutilia opera. Sicut enim telae aliquam speciem texturae habent, sed inutiles tamen sunt ad vestitum, ita opera, quibus justitiam

*) Hypocritarum studia et opera.

1) In ed. 1532 legitur: ejus. 2) In ed. 1532 deest: *rem*. 3) In ed. 1532 est: genimina.

parari [1]) impii homines cogitant, vana et inutilia sunt. Perinde autem in judicio divino suis operibus servabuntur hypocritae, sicut a vento et frigore defendetur is, qui veste ex aranearum telis confecta utitur. Est mire illustris figura.

Qui comederit de ovis.

Si quis doctrinam eorum amplectitur, perit, est enim impia et falsa. Sin eam accusaverit aliquis, incipiunt furere, et quaerunt, quo modo eum perdant. Hoc enim vult, cum dicit: Si conteratur, erumpet regulus].

Pedes eorum ad malum currunt.

Insignes sunt hae virtutes, sed sic fit, quo aliquis extra fidem est sanctior, hoc est, immitior et crudelior in fideles. Nihil possunt tales hypocritae, quam occidere, damnare, judicare, calumniari, et superant omnes carnifices crudelitate. Ratio est, quia judicant se talia facere ex zelo justitiae. Ideo cum alii lente ad alios occidendos accedunt et occidunt aut provocati aut rapti affectibus, hi currunt, non repunt, idque ultro nemine cogente praeter ipsorum insatiabilem crudelitatem et odium satanicum. Ideo Christus et Johannes viperas eos appellant. At nos quaerimus per spiritum et gratiam Dei eos non perdere, sed servare corpus et animum ipsorum, sed nolunt.

[Viam pacis nescierunt.

Nesciunt, qua via perveniatur ad pacem, cum

---

1) In ed. 1532 legitur: parare.

calamitate vel judicio Dei terrentur]. Est autem via pacis*), credere sine meritis, imo cum maximis demeritis simpliciter in misericordiam Domini, sicut Psalmus**) jubet: Jacta super Dominum curam tuam. Est autem magna res, sic se erigere et ambulare extra te in justitia aliena, quam nec videas nec intelligas, sed in solo verbo audias. Quidquid extra hanc viam est, est contritio et pavor conscientiae. [Ergo[1]) nota bene, quod justitiarii et omnes illi, qui a sana doctrina recesserunt, non possunt esse certi de iis, quae faciunt, sed conscientia ipsorum semper trepidat, et incerti fluctuant. Nihilominus tamen sollicitant[2]) eos, qui diversum sentiunt, et conantur morte aliisque suppliciis in suam viam alios traducere], in qua tamen ipsi cum mala conscientia vivunt.

[Propter hoc elongatum.

Subjicit querimoniam. Apparet autem habitum hunc sermonem eo tempore, quo Assyrius Judaeam vastabat. Sic autem naturaliter fit, ingruente calamitate, ad religionem convertuntur animi. Queruntur igitur hic, quod tot studiis ac operibus, quibus se macerant, nihilo neque meliores reddantur, neque melius habeant. Exspectamus lucem, inquiunt, id est, putamus fore, ut nostra jejunia, nostra reliqua studia praesentem calamitatem avertant, sed nihil confit. Item, palpamus sicut caeci, id est, nunc haec, nunc illa instituimus consilia, ut afflictis rebus medeamur. Verum et illa nos fallunt. Sic ni—

*) Via pacis. **) Psalm. 55.

1) In ed. 1532 est: Et nota bene etc. 2) In ed. 1532 *legitur:* non tamen cessant sollicitare eos etc.

hil aliud hic locus continet, quam querelas destituti populi divino auxilio, et laborantis, ut se suis viribus et consiliis servet et liberet. Quia autem non credunt Deo, ideo omnia eorum consilia falluntur.

Palpavimus sicut caeci parietem.

Potest accipi de conscientia, sed ego malo accipere de poena, quod in necessitate varia tentantur consilia, quae tamen omnia fallunt,

Impegimus meridie.

Quamquam verbum apud prophetas habeant], id enim est lumen meridiei, [tamen eo neglecto ad alia vertuntur.

Rugimus quasi ursi.

Impii, cum vident frustra sua consilia esse, indignantur et murmurant. Eum affectum propheta hic significat.

Multiplicatae sunt.

Causa calamitatis, Dominus posset et vellet nos juvare, sed permittit nos diripi propter peccata nostra]. Sic nobis oraturis accidit, Cum enim orandum est pro statu ecclesiae, impediunt orationem *) primum adversariorum furor et crudelitas, qui verbum crudelissime persequuntur, deinde principum et illorum, qui in publicis officiis versantur, negligentia, tertio illa effrenis licentia vulgi, qualis vix ullis seculis fuisse videtur, tum sine modo peccamus singuli in nostris officiis, et in

*) Quae orationem impediant.

his omnibus nemo agit poenitentiam. Haec certe impediunt orationem, ut cum dubitatione oremus. Videtur enim Deus in tanta malitia mundi non exauditurus nos, et tamen non est desperandum. Sentimus autem nos separari a Deo propter peccata nostra, sicut propheta hic dicit.

[Conversum est retrorsum.

Neque nostra neque aliorum peccata arguimus, et nemini quoque benefacimus per bona opera.

Corruit in plateis veritas.

Qui verbum Dei pure praedicant, occiduntur. Publice nihil praeter humana commenta docetur.

Quia non est judicium.

Nemo peccata damnat et reprehendit, imo justificant et defendunt ea pro justitia. Sicut nunc papistae non poenitent de tyrannide et crudelitate sua.

Quia non est vir.

Est Hebraismus, utuntur enim nomine viri pro pronomine, sicut Psal. 78: Confirmasti virum dexterae tuae, id est, super hoc, quod est in dextra tua. Sic hic non est vir, id est, nihil est, propter quod populo propitius esse possit.

Et salvabit sibi brachium.

Jam addit consolationem piorum *). Mundus impiis abundat, et merebatur, ut funditus evertere-

*) Consolatio ecclesiae.

tur. Verum ego memor meae misericordiae propter meum nomen, non propter aliquas ipsorum justitias (nullae enim sunt) salvabo meos. Sic nunc Germaniae*) parcit, quod eam Turcae et aliis hostibus non subjicit[1], ut suum brachium, hoc est, verbum suum salvet, quod nusquam alibi tam pure tractatur. Et ipse Christus, cujus nomen petitur, se defendit, nulla ratione nostrorum peccatorum habita].

Justitia ejus ipsa servat eum.

Id est, hoc eum revocat, ne effundat iram suam in nos, quod est misericors, et ideo etiam ingratis benefacit.

[Indutus est justitia.

Scilicet ad profligandos sui populi hostes, ad perdendum Assyrium]. Respicit enim hic quoque ad affectum illum orantium, quos impediunt peccata, quasi dicat: Sentitis peccata vestra, et ideo desperatis de auxilio, ego tamen liberabo vos, et quamquam adversarii justam causam contra vos habent, estis enim maximi peccatores, qui has poenas estis meriti, tamen non ideo perdent vos, sed ego vos liberabo, propter me, non propter vos, sum enim justus, et promissa servo fideliter.

Jnsulis vicem reddet.

Sunt omnia accipienda de externis hostibus Judaeorum. Decet autem nos hic locus, in calamitati-

*) Cur Deus parcat Germaniae.

1) In ed 1532 est: objicit.

bus, quas peccata nostra meruerunt, unicam orandi rationem esse, ut Dominus nomen et verbum suu non peccata nostra respicere velit. Talis est ora Danielis, et multi Psalmi.

Et timebunt qui ab occidente.

Ista omnia faciet Dominus, ut se defendat, ut nomen ejus narretur in universa terra.

Venerit Zion redemptor.

Paulus hunc locum paulo aliter citat Rom. 1 Est autem hic generalis sententia, quasi dica Quoties Deus praesentem aliquam calamitatem toll et liberat suos, per verbum id facit. Paulus**) ig tur pro more ex generali specialem facit, et hai sententiam accommodat ad casum synagogae, qua dicat: Agnosco lapsos et excaecatos Judaeos, se nondum prorsus abjecti sunt. Habent enim pr missiones et verbum. Quamdiu autem verbum dur verit, et liberatio quoque durabit. Gentes reliqui adduntur, et sic fiunt omnes Israel. Nam quod dici Adveniet, non de adventu personae cujusdam, a novi salvatoris est intelligendum, sed de spiritus adventu verbi et spiritus. Durante igitur verbo, i quit, durabit et redemptio Israel, quod semper al qui convertentur. Satis autem est pro impletion scripturae aliquos saltem Judaeos aliquando convert Quod si quis Pauli sententiam sequi etiam hic vole is totum caput referet ad redemptionem Christi, ad excaecationem, quae tempore Christi Judaei contigit.

*) Ratio orandi. **) Summa Pauli.

Foedus.

Christi passionem et novum Testamentum.

Spiritus meus qui est in te.

Paulus acute ex hoc loco colligit redemptionem Israelis*), ne totus pereat. Quia enim verbum evangelii in mundo manet, necesse est manere quoque spiritum, spiritum autem sequitur fides, fidem sequitur fructus fidei et crux, crucem invocatio, invocationem autem sequitur liberatio. Sic omnibus seculis quidam convertentur.

Est articulus: Credo ecclesiam sanctam, et convenit cum illo Christi: Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi**). Notabis autem hanc ecclesiam esse, et hoc esse semen verum, ubi sit spiritus Dei et verbum. Spiritus prior est in docente, verbum autem prius in audiente].

Caput sexagesimum.

Saepius admonuimus***), duo prophetarum esse officia, alterum ut exhortentur, corrigant et arguant homines sui temporis, atque ea legis est praedicatio, alterum, ut prophetent de futuro Christi regno. Propheta igitur, cum aliquot capitibus legis praedicatorem egerit, jam ad evangelii praedicationem vertitur, et prophetat de regno Christi futuro, seu de ecclesia, venire ingens lumen, hoc est, verbum evangelii de Christo pro nobis passo et crucifixo, quod illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum, tam Judaeos quam gentes****). Addit

*) Promissio, ecclesiam mansuram etc. **) Matth. 28. ***) Summa Cap. 60. Vide concionem, quam habuit Lutherus die Epiphaniae anni 36. Duplex prophetarum officium. ****) Iohan. 1.

autem, quomodo illud lumen tam subito in omn vulgetur, nempe per ministerium verbi. Eccles igitur mirum in modum multiplicatur, crescit ornatur, ad quam qui accedunt, servantur, qui n accedunt, pereunt. Deinde promissiones addit, futu rum ut et illi ad ecclesiam accedant, qui eam su persecuti. Nihil igitur agit[1]) hoc capite, quam d ecclesia.

Est autem magnifica praedicatio evangelii* quod lucem appellat. Ubi enim evangelium non es ibi neque agnitio peccati est, ubi agnitio pecca non est, non potest esse justitia, ubi non ju stitia, ibi nec vita, ubi non vita, ibi mors, ub mors, ibi peccatum, infernus et diabolus. Et quo dicit: Surge, significat, quod a mortuis, infern et peccatis per Christum surgamus ad vitam, glo riam et justitiam. Sunt igitur maximae res, qua ratio humana comprehendere nequit, imo offenditu etiam, quod tantus thesaurus in sonum oris si inclusus. Quare propheta utitur verbo vehementior Surge, inquit, noli morari contemptam speciem verb noli offendi, quod tam pauci id sequuntur, no absurditate illa absterreri, quod justitiam offe sine operibus per solam fidem. Haec enim tri contemptum faciunt evangelium.

Quia venit lumen tuum**).

Emphasis est in pronomine TUUM, quasi dicat Evangelium est tuum lumen, non solum ideo, quo tibi promissum est, sed quod] sola id sequeris nam omnes alii naturaliter id oderunt et abominantu

*) Evangelium lux; **) Enarratio cap. 60.

1) In ed 1532 additum est: in.

Gloria Domini*) super te orta est.

Id est, res et opes aeternae, aeterna justitia, sapientia etc. Porro continent hae magnificae commendationes] tacitam[1]) exhortationem, ut diligenter et cum summo studio audiamus verbum Dei, et discamus[2]), comparatione evangelii, quidquid in mundo magnificum, pretiosum et illustre est, contemnere, quia in evangelio nobis offertur, quidquid est divinarum opum, imo ipsa quoque divinitas, ut efficiamur filii Dei etc.

Quia ecce tenebrae operient terram.

Amplificat collatione, quasi dicat: Respice omnes alios, qui hanc lucem non habent, illi nihil sunt quam tenebrae et caligo**). Notabis autem hic, quod vocet tenebras ea, quae mundus ceu soles quosdam admiratur, justitiam carnis, leges, tam divinas quam humanas, omnia hominum studia et opera. Quamquam enim mundi regnum sit regnum aliquod, nihil tamen est, si conferas cum regno Christi, quod per evangelium in nos effundit quidquid est bonitatis divinae. Memineris autem haec spiritu et fide accipienda esse. Coram mundo enim nihil contemptibilius, abjectius et nocentius est evangelii doctrina.

Super te autem orietur Dominus.

Non Moses, sicut hactenus. Offert enim evangelium ipsum Christum, justitiam, salutem et redemptio-

---

*) Gloria Domini quae sit. **) Tenebrae mundi.

1) In ed. 1532 deest: tacitam. 2) Edit. 1532 sic pergit: ut comparatione etc........ illustre est, nobis sordeat, quod in evangelio nobis offeratur, quidquid est divinarum etc.

nem nostram. Simplicia sunt verba, sed majora quam ut animus humanus ea possit capere. Vix enim primitias intelligimus.

Et ambulabunt gentes in lumine tuo.

Hic abrogat totum Mosen, et propagat populum sanctum ultra terminos synagogae*). Lex erat circumscripta certis ceremoniis illius populi, sed hoc lumen longius diffundetur. Necesse igitur est aliam doctrinam esse, quam legis doctrina fuit. Lumen quidem non est gentium, et tamen dicit, quod gentes in eo ambulabunt.

Omnes isti congregantur tibi.

Significat, quod evangelium per totum orbem invulgabitur. Quare non possunt haec ad literam corporaliter intelligi.

Multitudo maris.

Sic vocat multitudinem gentium colentium maritima loca, et insulas maris mediterranei.

Madiam.

Madiam est versus mare rubrum, et Epha est[1]) pars Arabiae felicis. Significat autem fore, ut illae gentes accedant ad ecclesiam per praedicationem evangelii.

Omnes de Saba venient.

Quamquam non omnes crediderunt, tamen ad omnes pervenit Evangelium.

---

*) Vocatio gentium ad lucem evangelii.

1) In ed. 1532 est: Epha autem pars etc.

Aurum et Thus.

Generaliter ista accipio, id est, facultates suas conferent ad juvandam ecclesiam]. Includuntur autem in hanc generalem etiam magi, Matthaei 2.

[Laudem Domino annunciantes.

Hoc est sacrificium Christianorum*), laudare Deum, confiteri evangelium, docere alios], nihil enim aliud est, quod nos Deo pro suis beneficiis possumus reddere.

[Omne pecus Kedar.

Id est, confert et Kedar[1]) facultates suas ad juvandam ecclesiam. Ideo autem pecora nominat, quod Arabes[2]) pecuariam colebant. Sunt enim Kedar et Nabaioth Arabiae partes.

Offerentur super placabili altari meo.

Ara est Christus, sacerdotes sunt, qui docent evangelium. Illi occidunt et mactant quidquid est magnificum in mundo, justitiam et sapientiam carnis[3]). Arguit enim evangelium omnes de peccato**). Deinde privatim singuli sumus sacerdotes, quotide mortificamus veterem nostrum hominem, sicut Rom. 12. Continet autem hic locus manifestam abrogationem sacrificiorum Mosi et totius legis.

[Domum majestatis meae glorificabo.

Sicut Paulus***): Templum Dei intra vos est,

---

*) Sacrificium piorum. **) Johan. 16. ***) 1. Cor. 3.

1) In ed. 1532 legitur: Id est, conferent et illi facultates etc. 2) In ed. 1532 legitur: illi pecuariam colerent. Porro Kedar etc. 3) Edit. 1532 sic pergit: Est quoque aliud sacrificium privatum, quo unusquisque veterem suum hominem *mortificat per fidem.*

id est, ornabo Christianos meos variis donis spiritus sancti, sicut sunt bona conscientia, item ut vicissim alios docere, consolari, corripere, admonere possint. Porro haec Christianorum*) ornamenta peccatis, opprobrio, contemptu, aliisque rebus sic sunt obruta, ut conspici ab impiis nequeant sicut scriptum est: Non videbit impius gloriam Dei].

Sunt enim valde spiritualia ornamenta hujus domus, quae carnalibus oculis videri nequeunt, nempe homo afflictus peccato, penuria, opprobrio, blasphemia etc. Sic Christus**), in cruce inter latrones pendens, ille etiam est domus ornata, pulcherrimis ornamentis, sed quae abscondita et valde remota sunt ab oculis, nam per illam foedam speciem, in qua pendet, lucet summa patientia, summa erga nos dilectio, summa erga patrem obedientia donata vita, occisa mors, evacuatus infernus. Sic Christiani in extremis calamitatibus sunt perfusi luce vitae, justitia, et plane dii quidam, sed si speciem sequaris, videntur diaboli esse.

[Qui sunt isti, qui ut nubes.

Propheta laetabundus in jucundissimam quaestionem prorumpit. Bone Deus, inquit, quanta evangelii erit efficacia? quam cito penetrabit et pervadet totum orbem? Nos prophetae hic ceu in angulo quodam delitescimus. Verum tempore evangelii unus apostolus totum terrarum orbem replebit. Nubibus autem comparat apostolos propter verbi efficaciam et fructus, columbis comparat propter

---

*) Ornamenta piorum. **) Ornamenta Christi pendentis in cruce.

velocem cursum, quo feruntur ad fenestras suas, id est, ad suum populum, ubi auditores inveniunt.

Me enim insulae exspectant.

Haec est causa *), quod evangelium sic currat, quod scilicet afflictae conscientiae sitiant eam doctrinam, cui certo et tuto inniti queant, sicut nobis accidit, cum premeremur papae tyrannide, et perpetuo laborarent conscientiae nostrae in maximis studiis et laboribus nostris]. Sic Christus **): Evangelium vim patitur, et violenti rapiuut illud. Est enim evangelium verbum vitae et justitiae, ergo si fructum afferre debet, necesse est, ut habeat officinam commodam, in qua ista exerceri possint, in qua sint peccatum et mors.

[Argentum eorum et aurum eorum.

Accipio sicut supra, quod alent et sustentabunt ecclesiam ***) suis facultatibus, et hoc facient nomini Domini non in suam gloriam, sed ad agendas gratias Deo, non ad justitiam impetrandam, sed ad testimonium gratitudinis]. Sic distinguit ecclesiam ab omnibus aliis religionibus, quae agunt omnia ad suum nomen, sola autem ecclesia tam faciendo, quam patiendo laudat nomen Dei; nec spectat merita, est enim jam ante justa.

[Et aedificabunt filii peregrinorum.

Ecclesia etiam invitis tyrannis multiplicabitur. Sic Augustinus, Hilarius, et alii peregrini ecclesiam

*) Causa propagati evangelii. **) Matth. 11.
***) Habebit ecclesia sua alimenta.

mirabiliter juverunt. Muri enim ecclesiae sunt non lignum et lapides, sed boni pastores et episcopi, qui curant, ut ecclesia sit munita verbo Dei contra haereticos]. Quod addit: Reges eorum ministrabunt tibi, loquitur de servitute non corporali, qua sibi pontifex Romanus subjecit reges et principes, sed de servitute spirituali, quod reges obsequentur et credent evangelio, annuncianti remissionem peccatorum afflictis, et minanti incredulis mortem.

[In indignatione mea percussi te,

Hactenus descripsit ecclesiam, qualis intus et in spiritu sit, jam quoque externam speciem*) describit, quod scilicet sit vestita veste, quae vocatur ira Domini, ut mundus dicat: Hic populus non habet Deum]. Haec enim est stultitia Dei, qua Deus mundum fallit, et mundi sapientiam confundit. Non enim videtur Ecclesia sancta, sed creditur sancta. [Est autem haec Christianorum sapientia**), quod possumus credere, nos habere remissionem peccatorum et faventem Deum sub et in ipsa ira, et sic retinere verbum in gravissimis tentationibus, nec sinere nobis illud excuti e manibus et corde, quantumcunque satan et mundus contra nos saeviant[1]).

Et in beneplacito misertus sum tui.

Opponit beneplacitum indignationi. Percussi***) te, inquit, secundum externam faciem, sed revera sum tui misertus, ista enim crux, qua te affligo,

---

*) Externa ecclesiae species. **) Sapientia Christianorum. ***) Percutit, ut misereatur.

1) In ed. 1532 est: saeviat.

videtur tibi ira esse. Ego autem praevenio et admoneo te, quod non ideo te percutiam, quia te odi, sed ut multiplicem te, ut miserear tui, et ut sit occasio major tui miserendi, quasi dicat: Nisi te percussero, non possum tui misereri. Neque enim est vel misericordiae vel gratiae locus extra tentationes*). Cum autem in tentatione omni auxilio et consilio humano destitutos nos esse sentimus, tum demum fides vires suas exercere potest, orando, postulando, sperando a Deo. Extra tentationem autem fides et verbum sunt otiosa.

Aperientur portae jugiter.

Promittit summam securitatem, ut quamquam ecclesia**) in medio hostium suorum sit posita, tamen sicut secura civitas, semper ejus portae pateant. Id autem ideo debet fieri, ut afferatur ad eam fortitudo gentium, ita enim legi debet, hoc est, multitudo et copia gentium. Est enim ecclesia in perpetuo usu convertendi alios ad fidem, et vocandi ad poenitentiam. Sic etiam singuli Christiani semper parati sunt instruere, docere, absolvere, consolari alios, hoc enim per apertas portas significatur. Hic Wittembergae[1]) unam portam ecclesiae habemus, per quam quotidie aliqui ingrediuntur, et colliguntur ad corpus ecclesiae. Ejusmodi passim etiam in aliis urbibus sunt portae].

Sed hanc ecclesiae***) benedictionem impii non vident, tantum in poenas et peccata inspiciunt, et in illam infirmitatem ecclesiae, quae in carne et

*) Tentatio utilis. **) Ecclesia secura. ***) Ecclesiae benedictionem impii non vident.

1) In ed. 1532: Vuittebergae.

sanguine haeret, nec perfecte in hac vita exui potest, sed per mortem tandem aboletur. Sed quia Christum videmus ne quidem apostolorum suorum chorum sic mundum et purum conservasse, ut nulla peccata*) in eis essent, et angeli in caelo, longe praestantissima creatura, lapsi sunt, quid mirum est, nos quoque labi et errare nonnunquam, modo ab errore et lapsu resurgamus? Id quod fit, si culpam agnoscamus, et desistentes a peccato, sentiamus nos Christi justitia esse sanctificatos, et justos coram Deo etc.

[Gens enim et regnum quod non servierit tibi, peribit.

Christus**) in evangelio conjungit remissionem peccatorum et retentionem, item in institutione baptismi conjungit salutem et condemnationem. Eodem modo propheta hic per apertas portas remissionem peccatorum omnibus offerri significavit, eam[1])] autem qui nolunt, illis retineri peccata, et perire eos dicit***).

Hic igitur vides, quae sit causa, quod semper evangelium insignes tumultus seditionum et bellorum, et magnae mutationes imperiorum sint secutae, quas impius mundus evangelio imputat[2]), sed falso. Ipsorum enim, qui pereunt, culpa hoc accidit, quod scilicet evangelium persequuntur. Vides enim hic latam sententiam, fore ut omnes evangelii hostes

*) Reliquiae peccati in sanctis. **) Iohan. 20. Matth. 28. ***) Comminatio proposita contemptoribus evangelii.

1) Ed. 1532 sic pergit: Eam qui non volunt, illis retinentur sua peccata et pereunt. 2) In ed. 1532 legitur: *impius* mundus eas evangelio imputat, sed falso.

pereant. Desinant igitur evangelii hostes esse, et servabuntur cum fideli ecclesia. Ita enim decretum est divinitus, ut, qui noluerit ingredi, det poenas.

Gloria Libani.

Id est, transfertur[1]) in ecclesiam quidquid unquam praeclarum synagoga habuit, testamenta, legislatio, promissiones, patres, Christus, justitia, vita etc.

Filii eorum, qui te percusserunt.

Est Hebraismus. Sicut dicunt filium mortis, id est, moriturum, sic hic: filii percussorum, qui te percusserunt et sunt te persecuti.

Pro eo quod fuisti derelicta.

Talis est ecclesia, cum est in paroxismo officii et ministerii verbi. Provocat enim contra se eo verbo mundum et principem mundi, satanam. Notabis autem hunc locum diligenter, continet enim articulum, quod ecclesia*) sit mansura usque ad finem mundi, et quod majus est, quod sit gloriosa mansura, et in summo gaudio. Si autem externam praesentis ecclesiae faciem consideres, diversum potius judicabis, et tamen vera sunt, quae spiritus sanctus promittit. Paulus**) et apostoli queruntur se piacula mundi esse. Hodie sunt superbia et gaudium seculorum, quos colit, laudat et veneratur ecclesia. Sic sancti martyres. Idem hodiernae quoque ecclesiae accidet. Non enim mentitur spiritus sanctus.

*) Promissio ecclesiam perpetuo mansuram. **) 1. Corint. 4.

1) In ed. 1532: transferetur.

Suges lac gentium.

Sicut supra. Tractaberis a gentibus sicut filii a matre. Omni genere officiorum et promptissimo animo te prosequentur. Lac et mammas, non gladios et coronas regum [1]) et imperia mundi dicit, sed officia, quibus ecclesiam complectentur, quod alent, quod defendent, et juvabunt fideles.

Redemptor tuus fortis.

Significat ecclesiam secundum externam speciem captam et perditam, ideo promittit se salvatorem et redemptorem fore.

Pro aere afferam aurum.

Id est, ex ecclesia contempta et neglecta faciam gloriosissimam.

Et ponam visitationem tuam.

Praedicatores in ecclesia illi tam internam quam externam pacem, justitiam tam divinam quam civilem recte docebunt. Sequetur autem hanc praedicationem fructus*). Nullae audientur in ecclesia injuriae, erunt quieto corde, tum erga Deum, tum erga homines. Laudabunt quoque Deum, eique pro tot ac tantis beneficiis agent gratias. Hae promissiones hodie implentur nobis videntibus et sentientibus. Conscientiae enim nostro evangelio pacantur, papistae autem sua doctrina conscientias vexant. Docemus quoque publicam pacem, ut pareant homines magistratibus, ut inimicis parcatur. Adversarii **)

---

*) Fructus evangelii. **) Adversariorum doctrina et studia.

1) In ed. 1532 legitur: mammas, non regnum et im*peria etc.*

autem nihil cogitant, quam ut nos occidant, ut bella ex bellis serendo publicam tranquillitatem perturbent. Docemus etiam civilem justitiam, hoc est, vere bona opera, quae unusquisque in sua vocatione facit, ut singuli suum officium faciant, pater, mater, servus, ancilla etc. Quae opera, quia vulgaria et minime speciosa sunt, adversarii neque docent, nec laudant, sed occupantur in electitiis studiis ordinum, vestium, precationum etc.

Non audietur ultra in terra iniquitas.

In ecclesia erunt quietae et pacatae mentes. Inde etiam pax externa sequetur[1]; salus quoque et laudatio occupabit muros, ut sit secura ab incursatione daemonum et haereticorum.

Non erit tibi amplius sol.

Est insignis locus, quo distinguit regnum Christi*) a regno mundi. Illa civitas, inquit, muri illi et portae, de quibus dico, non possunt cerni hoc corporali sole lucente, sed requiritur alius sol ad videndam ecclesiam, nempe evangelium, quod, cum radios suos in cor transfuderit, tum videntur et sentiuntur illa, quae de ecclesia magnifice promisi. Si igitur sentis te contemptum, afflictum, oppressum peccatis, cogita te non in mundi, sed Christi regno esse, neque hunc solem, sed alium quendam tibi lucere, Christum scilicet, Dominum tuum. Sic monet se loqui de spirituali luce, et de sole invisibili, quo illuminantur corda per fidem, ut concipiamus alias species et ideas, quam res praesentes, ut

*) Christus cum doctrina evangelii lux vera.

1) Edit. 1522: sequitur.

haereamus in iis etiam, quae neque videntur neque sentiuntur.

Valet igitur hic locus eo, ut intelligamus, ecclesiae regnum*) longe aliud esse, quam politiam externam, nempe in qua claudendi oculi sunt, et est haerendum in radiis invisibilibus, quod Iesus Christus pro nobis sit passus, sedeat ad dexteram Dei, defendens et gubernans nos etc. Alius autem est sol visibilis, secundum quem ratio regit externam hanc vitam. Ad eundem modum Ecclesiastes distinguit corporalia a spiritualibus, et significat se tantum de politicis loqui, cum dicit: Vidi omnia sub sole, et ecce vanitas etc.]

Sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam.

Quasi dicat: Dico tibi de regno spirituali. Quare cum aliqua calamitas te opprimit, non ideo despera, sed cogita tibi non hunc mundi solem lucere, sed Dominum, et esse te in alio regno etc.

[Non occidet ultra sol tuus.

Addit hoc ad amplificandam promissionem: Sol iste invisibilis, quo videmus aliud regnum et res alias, non est talis, qui tantum ad tempus duret, sic res quoque, de quibus dico, non solum invisibiles et spirituales sunt, sed aeternae etiam**). Multo autem angustius est cor nostrum, quam ut eas complecti et assequi queat, quare in solo verbo promittente haerendum est, ubi in aenigmate***) videmus ea, quae post hanc vitam experiemur.

---

*) Discrimen inter regnum Christi et politiam externam, **) Evangelii doctrina non occidet. ***) 1. Cor. 13.

Populus tuus omnes justi.

Est clarus textus, quod omnes, qui sunt in ecclesia, hoc est, qui credunt in Christum crucifixum sunt justi. Sed hic definiendum est, quae sit illa justitia. Si enim vitam et mores Christianorum inspicias, multa invenies, quae te offendent. Saepe peccant, saepe errant, saepe infirmitate franguntur in levibus rebus, quae omnia contra justitiam pugnare videntur.

Justitia igitur coram Deo*) est, non hoc vel illud facere aut pati, sed illuminari per spiritum sanctum[1]), et agnoscere atque scire, quod Jesus Christus[2]) sit salvator noster, qui sua morte nos a morte et peccatis redemerit. Haec justitia in verbo offertur, et sola fide accipitur, quae fides[3]) assentitur verbo, et credit se justum esse morte et merito Christi.

Non autem levis res[4]) est fides**) illa, nam sine divina virtute impossibile est evangelio credi. Et illi etiam, qui jam acceperunt spiritum sanctum, non sine summis laboribus fidem hanc retinere possunt. Ratio est, quod justitia illa est res invisibilis, quam non sentire, sed credere tantum debemus. Quia autem caro nostra corrupta est, et saepius labitur in peccata, non sine magno negotio erigere se animi possunt, ut contra praesentem sensum peccati se justos esse credant, non sua justitia (ea enim nulla est in tot peccatis et tanta infirmitate), sed Christi, qui ideo nobis justitia factus est, et

*) Justitia coram Deo. **) Fides.

1) In ed. 1532 legitur: per Jesum Christum. 2) In ed. 1532 deest: Jesus Christus. 3) In ed. 1532 deest: fides. 4) In ed. 1532 deest: res.

pro peccatis nostris in cruce satisfecit, quod impossibile erat nobis legem facere.

Assuefaciendus igitur animus est, ut sciat suam justitiam*) extra se in Christo esse positam. Quomodo enim alias in judicio Dei consistere poterit, cum nunquam non peccemus? Si peccasti igitur, et mordet te conscientia, hic firma debet esse fides, et per Christum superare peccatum et dicere: Quamquam ego peccavi, tamen sum justus, quia habeo lucem ipsum Dominum, quia habeo Christum, nullius peccati reum. Quod autem Christi justitia tua sit, habes testimonia gravissima. Primo ipsum verbum Dei, quod dicit Christum pro te mortuum. Deinde habes baptismum, sumus enim baptisati in mortem ejus, quam pro nobis subiit. Habes etiam sacramentum altaris, in quo claris verbis et externo signo confirmat, suum corpus pro te traditum, pro te fusum sanguinem suum esse.

Haec igitur est justitia nostra, qua coram Deo justi sumus, longissime extra nos, extra omnia opera et cogitationes omnes sita. Quare fallimur, si nos vel ex nostris operibus justos vel injustos sentiemus? Fiducia enim mortis Christi**) debemus sentire et confiteri nos justos esse. Hoc qui non faciunt, injuriam faciunt Christo, et statuunt sua peccata majora esse, quam sit mors et innocens passio Christi. Item negant verbum Dei et sacramenta, gratiae signa.

Quamquam hoc verum est, quantum ad te et veterem tuum hominem***) attinet, recte dicis,

---

*) Justitia nostra extra nos in Christo posita. **) *Fiducia mortis* Christi justi sumus. ***) Vetus homo,

te esse peccatorem. Quantum enim carnis et sanguinis in te reliquum est, tantum habes reliquum peccatorum. Quia autem baptisatus et illuminatus es per verbum, secundum hunc novum hominem*) vere es justus. Quemadmodum autem baptismus, sacramentum altaris, verbum Dei, imo ipse Christus res sunt extra te positae, ita quoque justitia tua extra te est posita. Non igitur possunt eam privata carnis nostrae peccata tollere. Dicit enim propheta, solem nostrum aeternum esse, quare et justitia nostra aeterna est, nec debet temporalibus peccatis vinci. Non est superbia dicere se sanctum et justum esse, Imo contrarium dicere, et statuere in corde tuo, quod non sis justus, est negare Christum, et blasphemare nomen Christi, qui se dedit, ut esset nostra sapientia, justitia, sanctificatio et redemptio etc. 1. Cor. 1.

Huc adhibe antithesin, ergo omnes, qui sunt extra hanc lucem, sunt injusti, tenebrae et caligo, quantumcunque specie operum et vitae honestate splendeant; fiet igitur ut pereant de terra. Contra pii, qui hanc lucem habent, hereditabunt terram. Sic videmus regna, principatus, sectas mutari et perire. Christus autem suos discipulos et ecclesiam[1]) habebit in perpetuum, sicut est in symbolo: Credo ecclesiam sanctam. Addit autem, quis durationis sit modus.

Germen plantationis meae.

Ego, inquit, colonus ero, qui illum hortum**)

---

*) Novus homo. **) Ecclesia hortus Dei ab ipso cultus.

1) In ed. 1532 additum est: suam.

colam. Vides autem hic, quae sit causa, quo necessario pereant sectae, quod scilicet hoc colon careant. Vides item, quare necesse sit evangeliur et ecclesiam durare usque ad finem mundi contr satanae, mundi et haereticorum furorem, quia Deu eam colit.

Minimus erit in mille.

Sic primum ab apostolis constituta ecclesia es quae in infinitam multitudinem excrevit, sic singu fideles parochi quotidie multos ad fidem convertun

Ego Dominus in tempore ejus etc.

Necessario hoc[1]) additum est. Quia enim Deı has opulentas promissiones in nudum verbum coı clusit, non creduntur ab infirmis animis tempo crucis, quando est subeunda mors vel aliud malu propter confessionem fidei. Deus*) igitur consolatı nos, et dicit: Ego Dominus subito faciam istu tempore suo. Quare claudendi sunt oculi, ne exteı nam speciem consideremus, sed haereamus simpli citer in verbo, et in spe promissionum subeamu mortem; vel quidquid aliud incommodi est, ·e experiamur[2]), Deum non esse mendacem.

Sic Ioannes Huss, sic alii sancti martyres sur mortui]. Ac in talibus periculis, cum adeunda mor est propter confessionem, facile cernitur, quod fide sit res difficillima**), quae nullo modo cum ii nugis sit comparanda, in quibus adversarii ponuı

---

*) Deum implere suas promissiones. **) Fides rı difficillima.

1) In ed. 1532 legitur: hic. 2) In ed. 1532 es *experiemur.*

summam salutis suae, ut sunt jejunia, regulae etc. Mores igitur relinquendi sunt magistratui, parentibus et jureconsultis, fides autem theologorum propria est.

Caput sexagesimum primum.

[Superiore capite corpus et regnum descripsit, jam ipsum regem et caput describit*). Quia autem summa religionis in eo vertitur, ut Christum probe habeamus cognitum, debet nobis eo commendatius hoc caput esse. Sub papa misere impiis opinionibus seducti sumus, ubi in omnibus concionibus Christus tanquam formidabilis judex nobis proponebatur, et in veri Christi locum substituebatur Maria virgo, ut esset propitiatrix. Aliter propheta facit, definit enim propriissime Christum, quis sit, et quae sint ejus officia, et addit insignes promissiones pro ecclesia. Possunt igitur hi loci consolationi esse in tentationibus, imo ex his solis consolationes sunt petendae.

Spiritus Dominus super me**).

Hoc verbo spiritus Domini, separat se Christus***) ab omnibus carnalibus regibus et sacerdotibus. Secundo asserit sibi omnia officia, divina, quod vivificet, impleat, agitet omnia. Hic nullum peccatum, non mors, non diabolus est, sed regnum Dei. Tertio confirmat vocationem suam ad confirmandos imbecilles animos, ut credant Christum omnia, quae promittit et facit, promittere et facere Deo patre volente et jubente, ne cogitemus Deum

*) Summa Cap. 61. **) Enarratio cap. 61. ***) Discrimen Christi regis et ceterorum regum.

judicem aliquem aut tyrannum, sed patrem nostrum esse. Quod autem addit,

Ideo unxit me,

Significat se divinitus constitutum et regem et sacerdotem. Illi enim ungi solebant. Atque haec quidem pars definitionis est, quod Christus*) est spiritu Dei missus, divinitus constitutus rex et sacerdos. Ne autem putaremus eum carnalem regem esse, addit officia, ad quid sit missus.

Ad praedicandum humilibus misit me.

Contra eos nimirum, qui exspectant gloriosum Christum, dicit se esse missum', id est, ministrum nuncium vel apostolum aliquem esse, cui sit mandatum, ut annunciet verbum humilibus]. Sicu etiam ipse Christus respondet discipulis Joannis Pauperibus annunciatur evangelium, Sunt auten humiles seu pauperes illi, non qui sunt pauperes in crumena, sed homines afflicti, expertes omnis auxilii et consilii, qui in mundo sunt contempti. Ad hos, inquit, ego missus sum rex et sacerdos, ut eos erigam verbo, ne desperent, sed fiduciam misericordiae concipiant et salventur. Papa**), dum se vicarium Christi jactat, eodem errore tenetur, quo Judaei, qui non alium exspectant Messiam, quam gloriosum. Esset autem papa vere Christi vicarius, si praedicaret evangelium et conscientias infirmas consolaretur verbo. Illa enim Christi, dum in vivis fuit, officia fuerunt. Sed quia haec negligit papa, et interim sectatur regna et opes mundi, evangelium

*) Christus rex et sacerdos. **) Papa non vicarius, sed hostis Christi.

autem et Christi regnum persequitur etiam ac blasphemat, antichristus est, non Christi vicarius. [Quis autem hujus verbi fructus sit, et quinam sint humiles, jam addit,

Ut mederer contritis corde.

Ad hunc locum facit illud Pauli*): Lex est virtus peccati, peccatum stimulus mortis. Hi enim tres tyranni gravissime humanum cor affligunt et exercent]. Lex**) est sententia judicis, peccatum carnifex, crux est ipsa mors. Si quis igitur suavissimam hanc Christi descriptionem bene haberet meditatam, tum cum animus torquetur vi peccati, is facile resisteret desperationi et omnibus malis. Porro [propheta in persona Christi***) a postremo incipit], a morte scilicet, [Ego non sum judex, inquit, nec legislator, contraria potius doceo, medeor contritis, praesto vitam iis, qui mortem sentiunt, qui laborant in agone. Secundo,

Ut praedicarem captivis liberationem.

Libero a captivitate. Si qui sunt oppressi peccatis, quorum conscientiae eluctari non possunt, illos ego liberabo et redimam], ut sic peccata non sint peccata. Tertio,

Et clausis apertionem.

Id est, iis, qui sunt sub lege vincti, praedico verbum gratiae, et sic eos libero. Hoc meum regnum, hoc officium meum est, in hoc sum unctus[1]),

*) 1. Cor. 15. **) Lex. Peccatum. Mors. ***) Christus autor consolationis vitae, liberator, illuminator.

1) In ed. 1532 legitur: vinctus.

ut talibus adsim et succurram, non ut eos damnem. Quomodo? Hoc vero longe difficillimum est, credere quod per nudum verbum Christus haec possit facere, qualia sunt in evangelio: Non mortuus est filius tuus, Dimissa sunt peccata tua, item, Non estis sub lege, sed sub gratia etc. Sic videmus Christum*) definitive nihil aliud esse, quam evangelistam pauperum, qui laborant in gemitu peccati et mortis, ut dominetur peccato et morti, non solum in se, sed in nobis quoque[1])].

Si quis haec credere et pro affectu digne tractare posset, is liberationem sic inspiceret, tanquam coelum quoddam, quod, quocunque abeas, immine capiti, et supra te est. Sed quia nos tantum primi tias spiritus in hac vita habemus, fit ut tantas ope penitus perspicere non possimus, et caecutiamu quasi ad hoc inaccessibile lumen gratiae, quod no bis in verbo offertur. Videmus autem tenebras quae in nobis sunt, peccatum scilicet, item mortem. Nam propheta quoque contritos appellat eos, cum quibus proprie in suo officio agat Christus. Debemus autem plus sentire medelam, quam mala illa, et potius in libertatem hanc respicere, quam in captivitatem, quam nobis minantur peccata nostra.

Est enim libertas**) proprie, quod lex quoad spiritum et conscientiam est abrogata, nec amplius accusare aut laedere nos potest coram judicio Dei.

---

*) Christus evangelista pauperum. **) Libertas Christiana.

1) Ed. 1532 sic pergit: Est autem his locis assue faciendum cor, ut in omnibus afflictionibus ad Christum confugiat, et non tanquam judicem eum formidet, sicu *impius* papatus docuit.

item quod simus etiam liberi a morte, non quod non pallescamus, cum mortis terror nobis objicitur, sed quod mors non potest nos devorare, quia sumus in Christo. Quare etiam, cum sentiuntur ista, debemus nos contra erigere, et scire, quod habemus remedium contra ista mala, Christum scilicet, qui est evangelista pauperum, in hoc missus, ut praedicet liberationem captivis etc. Ad hunc modum exercere nos in his discendis debemus, ut dicamus: Officium Christi*) est non vinci a morte, a peccato, a lege, sed juvare contra haec, ut etiam in nobis vincantur, non aliqua nostra virtute sed virtute Christi triumphantis in nobis per verbum suum.

[Ut praedicarem annum placabilem Domino, et diem ultionis Deo nostro.

Annum placabilem vocat tempus gratiae seu novum Testamentum. Vocat autem annum, non diem, ut significet duraturam gratiam in perpetuum. Conjungit autem diem ultionis, neque enim possunt pii liberari, nisi Deus sumat poenam de impiis. Sic pertinet ultio quoque ad nostram liberationem. Peccatum quoque et mors destrui non possunt, nisi antea[1]) hoc corpus peccati destruatur etc. Porro hic Pauli**) regula est sequenda, quod verbum Dei recte debet secari. Annus placabilis ad afflictas et pavidas conscientias pertinet, dies autem ultionis ad induratos et pertinaces contemptores verbi. Ita autem fere accidit, territae mentes minas ejusmodi arripiunt, et magis terrentur, contra

*) Officium Christi. **) 2. Tim. 2.

1) In ed. 1532 est: ante.

impii et securi, qui minis terrendi erant, promissionibus se consolantur et magis securi redduntur. Adeo in utramque partem humanus animus nimium est vehemens, et fere insanabilis.

Ut lugentes consoler.

Liberati a lege, peccato, morte, coram Deo habent gaudium, in mundo autem pressuram.

Ut ponerem fortitudinem.

Est copia prophetica, id est: Ego consolabo lugentes.

Et vocabuntur in ea fortes justitiae, plantatio ad glorificandum.

Verte: Et vocabuntur arbores justitiae et plantatio Domini in gloriam. Est pulcherrima figura quae continet insignem consolationem, quod Christiani *), coram mundo contempti, neglecti, infirmi coram Deo sint ceu paradisus et jucundissimae arbores, quae de die in diem propagentur, et uberius proveniant et fructificent. Mundus habet etiam hortos suos, sed in iis sunt arbores injustitiae, ergo non sunt conferendae cum Christianis.

Praeterea hoc etiam haec similitudo significat quod Christianus non fit, sed nascitur, non paratur humanis viribus, sed plantatur manu divina. Christus enim hortulanus est, et Christiani sunt opera merae gratiae, qui per verbum eradicantur ex horto mundi, et transferuntur de mundo in aliam vitam. Quod autem addit, plantatio Domini in

*) Christiani arbores justitiae et plantae Domini.

gloriam, significat sacrificium Christianorum *), quod non mactabunt pecudes, sed glorificabunt factorem suum. Sunt enim arbores, in quarum singulis foliis hae literae sunt scriptae: Ago tibi gratias, Domine, Confiteor[1]) tibi, Domine etc.

Aedificabunt deserta.

Propagabunt ecclesiam, et alios tam ex Judaeis quam gentibus docebunt. Vocat autem synagogam desertas civitates, quam Pharisaei et Sadducaei impia doctrina misere vastaverunt[2]).

Stabunt alieni.

Admittentur ad ecclesiam et ad docendi officium etiam gentes.

Vos autem sacerdotes Domini vocabimini.

Omnes doctores erunt sacerdotes, qui mactabunt gentes, hoc est, per verbum eos convertent ad Christum. Est magnum praeconium ministerii verbi **).

Fortitudinem gentium.

Bona gentium, sicut supra, id est, quidquid gentes habent, opes, potentiam, eloquentiam etc. conferent, non sicut ante contra ecclesiam, sed pro ecclesia.

Pro confusione vestra duplicia.

Scilicet recipietis. Retribuit enim eis Dominus

*) Sacrificia Christianorum. **) Praeconium ministerii verbi.

1) In ed. 1532 est: confitebor. 2) In ed. 1532: vastaverunt.

primo laetitiam in spiritu. Secundo conversa gentes etiam corporaliter eos honorant. Sic honorem habuit Paulus Petro, Paulo Timotheus etc Sic altera laetitia est in Domino, altera in fratribus.

Et robore laudabunt patrem eorum.

Verte: Et pro ignominia laudabunt in agri suis. Frater enim fratri honorem defert propte inhabitantem Christum.

Ego Dominus diligens judicium.

Insignis ecclesiae consolatio contra scandal operum et hypocrisis. Judicat mundus vos inj stos, inquit, et praedicat opera et justitiam sua verum illa ipsa justitia mihi est invisa. Est eni sacrilegium, quo gloria et honos meus mihi eri tur. Sic definit justitiam humanam *) esse sac legium, et justitiarios dicit reos laesae majesta divinae. Nam justificare est opus solius Dei, si creatio quoque solius Dei est. Quia enim pe catores nati sumus, renasci necesse est eos, q fiunt justi, sicut dicit Christus Joh. 3. Et justus ** ubique apud Paulum nova creatura et novu homo dicitur. Jam illi, qui operibus volunt just esse, hoc tribuunt suis electitiis operibus, quo solius Dei est, nempe quod bona opera possin facere novam creaturam et regenerare. Hoc auter est Deo eripere gloriam suam, et asseribere ean humano operi. Id quod hoc loco conqueritu et appellat holocaustum rapinae, quod holo

*) Justitia humana sacrilegium. **) Justus nova creatur

causto tribuant divinam virtutem, et eripiant Deo gloriam.

Dabo opus eorum in veritate.

Sunt consolationes contra adversariorum speciosam vitam, quasi dicat: Quamquam mundus non judicet vos Deo gratos esse, et placere, tamen scitote, quod opus vestrum erit in veritate, hoc est, quod dabitur vobis a me hoc praemium, quod nunc auditis promitti. Opus enim praemium seu mercedem significat.

Benedicti a Domino.

Ergo multiplicandi quoque. Sic promittit ecclesiae durationem.

Gaudens gaudebo.

Addit canticum in persona ecclesiae. Quia enim ecclesia tam opulentas promissiones habet, et videt evangelium vulgari, gaudet in Domino de veritate et multiplicatis posteris.

Quia induit me vestimentis salutis.

Id est, fide *), qua induta ecclesia ad salutem triumphat de peccato, morte, mundo, diabolo etc. Porro qui est indutus fide, et habet spiritum sanctum, ille verus est sacerdos. Ideo sacerdotis mentionem hic facit. Ita enim debet verti hic locus: Quasi sponsum decoratum sacerdotali ornatu. Alludit enim ad ornatum Aaronis, qui magnificus et tamen honestus erat. Sicut etiam sponsi ornatus est. Obiter autem hoc quoque significat, Chri-

*) Fides vestis.

stum*) esse sponsum et sacerdotem ecclesiae. Inde nos quoque, qui fide Christo inserti sumus, sumus [1]) sacerdotes quoad fidem, et sponsi quoad ornatum et [2]) dona spiritus sancti. Porro hoc gaudium [3]) est in spiritu, nec oculis cernitur, sed creditur mente.

Dominus Deus germinabit justitiam et laudem.

Id est, multiplicabit ecclesiam, ita quod ubique et apud omnes erunt Christiani. Sic ex Christo fluunt omnia, laus, gratiarum actio, ipsum verbum, et multiplicatio fidelium, aliique verbi fructus].

Caput sexagesimum secundum.

[Verbum est in magno tum odio tum contemptu apud mundum, nam adversarii persequuntur id vi et dolis. Reliqui, qui non persequuntur, tamen vel contemnunt vel negligunt, et sequuntur potius sua studia, et quaestum suum. Haec indignitas gravissime affligit et molestat verbi ministros, ut nonnunquam impatientia tentati malint prorsus tacere, quam videre tantum verbi contemptum. Sic Hierem: Factum est mihi verbum in opprobrium omni die**); et Helias mavult se occidi a Domino, quam amplius docere 3. Reg. 19.

Item Esaias hic passus videtur. Confirmat***)

*) Christus sponsus et sacerdos ecclesiae. **) Jerem. 20. ***) Summa Cap. 62.

1) In ed. 1532 legitur: qui sumus. 2) In ed. 1532 deest: et. 3) In ed. 1532 sic legitur: hoc gaudium in *spiritu est*, quod non cernitur, sed creditur.

ımen se contra eam tentationem, ne peccet deerendo vocationem suam. Quamquam, inquit, verum rideatur ab omnibus, a plerisque etiam persecutionem patiatur, non tamen ideo a praedicatione essabo. Ut enim propter impios docere non institui, sic nec cessabo quoque propter impios.

Propter Hierusalem, id est, propter bonos et pios docere pergam, contemptis impiis illis contemptoribus etc. Addit autem insignes promissiones ecclesiae, fore ut Deus ejus curam agat, eam ıvet et multiplicet, ut det optimos doctores et bedientes discipulos. Tandem hortatur etiam ad uscipiendum et amplectendum verbum evangelii]. st autem novus sermo.

[Donec egrediatur*).

Verte: Donec egrediatur sicut splendor justitia jus, et salus ejus accendatur sicut lampas. Scio, ıquit, venturum Christum, qui justitiam et salutem iis afferet, propter eum praedicabo, ut saltem alicui retineantur in verbo etc. Conjungit justitiam t salutem, quia post remissionem peccatorum, quae ıstitia**) est, manet tamen persecutio et mors, quibus Christus suos tandem liberat.

Et videbunt gentes justum tuum.

Sic apparebit salus et justitia, ut revelentur tiam gentibus]. Vocat autem justum in neutro enere administrationem ecclesiasticam institutam Christo, et per apostolos in ecclesiam propagaım, quasi dicat: Gentes videbunt ecclesiam justi-

---

*) Enarratio cap. 62. **) Justitia est remissio pecıtorum.

ficatam fide Christi, et institutam certis ritil sacramentorum, item aliis officiis docendi, con landi, excommunicandi etc. Hoc enim proprie hoc loco justitia seu justum.

[Novum nomen.

Nomen *) ante erat populus Dei in Zi eductus de Aegypto, populus Israel, semen Abrah etc. Erant autem haec nomina carnalia, facien ad personas. In novo autem Testamento non s mus Christiani, quia illa habemus, quae Jud habuerunt, sed iste vocatur populus Dei **), c crediderit in Christum, et habet promissiones futur vitae. Inde enim appellamur filii Dei, sicut Johannis 1. Epitasis est, quod dicit: Os Domi nominabit, quasi dicat: Non erit nomen secundu carnem, sed ista res simpliciter pendet ex ver et fide]; nec habent Christiani sapientiam, fortit dinem, salutem, redemptionem, nisi in et p Christum. Quamquam enim Christiani gerunt ma stratus quoque, parent magistratibus, et singuli sua vocatione incedunt, tamen non vocantur in Christiani ***), sed a sola fide sic vocantur, qu norunt Christum esse justitiam suam.

[Diadema regni.

Id est, eris gloriosum regnum, sed in ma Domini, non in manu Caesaris, aut coram mun quin coram mundo est ecclesia stercus et lut manu diaboli dissipatum.

---

*) Nomen populi veteris Testamenti. **) Populus in novo Testamento. ***) Christianorum nomen unde.

Non vocaberis ultra derelicta.

Sunt insignes promissiones de ecclesia. Offenditur autem caro, quod haec omnia non in re, sed in nudo verbo sunt. Vocaberis, inquit, at nobis hoc non sufficit. Mallemus esse, quam vocari hoc nomine quod hic ponit: Voluntas mea in ea. Sunt igitur spirituales promissiones, quae sola fide accipiuntur.

Habitabit enim juvenis cum virgine.

Vehementissimis affectibus persuadere vult ecclesiae *), quod ametur a Deo, non vulgari amore, sed sicut adolescens deperit in puellam, et sicut sponsus sponsam complectitur. Sunt enim hi maximi affectus, sicut David testatur, dum dicit de filio Saulis: Quem amavi super amorem mulierum, et Salomon: Via viri in adolescentula penitus ignoratur. Non solum autem Christus ecclesiam amat, sed etiam sua bona communicat ecclesiae sicut sponsus, et se totum dat ecclesiae cum omni justitia sua. Si igitur tu habes peccatum, id non amplius tuum, sed Christi est; et justitia ejus [1] vicissim tua est. Sic mortem nostram cum vita, infirmitatem nostram cum potentia Christi, infernum nostrum cum coelo commutamus.

Fiunt autem haec in abscondito **), nempe fide. Si enim externam faciem et mundi judicium consideres, ecclesia est meretrix diaboli, et Christiani sunt spurii. Quare referendae sunt hae magnificae

---

*) Amor Christi erga ecclesiam sponsam. **) Ecclesiae vita abscondita.

1) In edit. 1532 deest: ejus.

promissiones in verbum et fidem, et hi amores non sentiendi, sed credendi sunt. Crediti etiam in mediis tribulationibus excitabunt infinitum gaudium. Sic locus justificationis et gratiae est jucundissimus, et solus theologum facit, et ex theologo judicem terrarum et omnium negotiorum. Pauci autem sunt, qui eum vel bene meditatum habent, vel recte docent.

Custodes.

Sunt proprii episcopi et pastores, qui vigilant in verbo sano super gregem. Addit autem quod sit boni pastoris*) officium, scilicet, nunquam tacere de Domino, semper praedicare Christum, et ejus beneficia. Sicut quoque mandavit Christus in sua coena. Porro observabis, quod summi beneficii loco recitat bonos doctores, quare a nobis quoque magni sunt faciendi, et haud dubie mundus nunc sibi accersit grave judicium hoc contemptu ministrorum verbi.

Qui reminiscimini Domini, ne taceatis.

Ter hoc repetit, ut significet mundi studium, qui nihil minus potest ferre, quam verbum Dei. Monet**) igitur ne taceamus, quamvis mundus contra saeviat et insaniat, et simul promittit verbo victoriam contra mundum et portas inferorum, quod verbum et ecclesia sint duratura, impii autem adversarii perituri etc.

Juravit Dominus per dexteram.

Addit juramentum ad confirmandas conscientias

---

*) Officium boni pastoris. **) Praecipit, ut ministri verbum doceant.

firmas*), fore ut[1]) sentiant fructum verbi quod ocent, ut sentiant fructum fidei, quam habent. ion est autem possibile, ut impius aliquis vera dona, eros fructus verbi et fidei sentiat], sed soli [pii unt, qui verbo eriguntur et confirmantur, quorum or fide purificatur et conscientia serenatur, et aedificantur eorum doctrina alii quoque. Fit autem oc totum, ut laudent Dominum in atriis, in conventu ad praedicationem. Sic hodie etiam hoc rramentum sentimus impleri: Falsi fratres**) jactant verbum, jactant spiritum et fidem. Fallunt utem se ipsos, quia rem verbi et fidei non habent, ed spumam tantum. Id quod videmus cum ad ocum justificationis ventum est, quem prorsus non ntelligunt, quamvis verba sonare didicerint, hoc est, uod hic dicit: Triticum tuum non dabo cibum nimicis etc.

Transite, transite.

Jam addit exhortationem promissioni, bonus nim doctor debet esse potens docendo et exhortando. Doctrina autem est ceu dialectica theologiae, ua docentur homines de merito et morte Christi, uod satisfecerit Christus pro nostris peccatis in uce. Exhortatio autem est quasi rhetorica theogiae, cum dicimus: Nolite terreri ab adversariom aspectu, qui dicunt vestrum laborem esse irrin, et reddunt vos pusillanimes. Pergite fortiter edendo et docendo, Christus vivit etc.

Portae justitiae***) sunt novum Testamentum

*) Piorum mentes verbi et fidei fructum sentient. Falsi fratres non fruuntur tritico etc. ***) Portae justitiae.

1) In ed. 1532 hic additum est: ipsi.

et evangelium gratiae, quasi dicat: Portae sunt apertae, ecclesia docet verbum remissionis peccatorum, sunt omnia parata, et promisit Deus, verbum non fore inefficax. Transite igitur, amplectimini verbum etc. Eligite lapides, id est, tollite scandala, curate ut purum retineatis verbum, sicut Christus, et Paulus, et Petrus: Attendite a falsis prophetis. Levate signum, id est, exercete verbum, sitis in assiduo verbi usu velut in acie collocati, ad resistendum falsis doctrinis.

Ecce Dominus auditum fecit.

Id est, evangelium est sparsum in totum orbem terrarum.

Ecce salus tua venit.

Est epiphonema. Sive tenteris per vim, sive per dolum, noli frangi, perge docendo, ecce, ecce tuus labor non est inutilis, tu vinces, adversarii tui succumbent, quia salus tua venit]. Hebraismum hunc supra exposuimus. Hic est finis unius sermonis de promissionibus futurae ecclesiae.

Caput sexagesimum tertium.

[Promissioni et exhortationi pro more subjicit*) comminationem, ut indurati, qui promissiones negligunt, et exhortationes rident, vel minis commoveantur, si possint converti. Fingit prosopopoeiam, ut atrociorem speciem reddat. Sunt igitur comminationes, quibus praedicit ultimam synagogae vastationem.

*) Summa Cap. 63.

Quis est iste, qui venit de Edom*).

Edom significat rubicundum. Sic appellat synagogam, quod se prophetarum et Christi sanguine commacularit. Bazra significat munitam. Sic erant Judaei muniti privilegiis divinis, habebant promissiones, patres etc. Rom. 9. Incipit autem a dubitatione, ut horribiliorem speciem reddat, quasi dicat: Bone Deus, quid video in populo meo?] Vir in cruenta veste venit etc. [Sic significat magnam stragem in synagoga editam.

In stola sua.

Quem vos crucifixum putatis mortuum, ille est jam regnum consecutus, ut poenam de vobis sumat.

Ego qui loquor justitiam, et sum princeps ad salvandum.

Instituit dialogismum. Facit enim Christum respondere. Ascendo quidem plenus ira et indignatione, non contra te et alios pios. Sum enim piis justificator et salvator a morte et omnibus malis, ergo ne formides.

Quare ergo rubrum est indumen.

Si es salvator, quid vult sibi cruenta vestis? quare es indutus habitu calcatoris.

Torcular calcavi solus.

Poenas sumpsi de incredula synagoga**). Quod autem addit, solus, significat Iudaeos nullam aliam ob causam sic vastatos, quam ob Christum]

*) Enarratio cap. 63. **) Cur synagoga eversa.

repudiatum et [crucifixum. Hoc peccatum, quod non in Christum crediderunt, et crucifixerunt eum, eos ita calcat, perdit et dissipat. Omnia enim reliqua peccata tolerari possunt, contemptus Christi et verbi tolerari non possunt, et sunt irremissibilia. Porro torcular significat calamitatem et cladem perditi populi.

Dies enim ultionis in corde meo.

Noluerunt credere praedicenti, ergo experiuntur re, me non fuisse vanum. Noluerunt vitam a me oblatam, ergo morte et omnibus calamitatibus obruuntur. Nota autem, quod tales poenas in sui contemptores Christus expetat. Sic nostri seditione, fame, bellis urgentur propter contemptum verbi, et magis adhuc urgebuntur.

Circumspexi.

Dicit de passione sua*). Cum essem in carne, nemo me curabat, nemo suscipiebat, ridebant afflictiones meas, cum tamen ideo venissem in carnem ut salvarem eos, ipsi autem putaverunt me oppressum, sed non sum oppressus. Salvavit enim me justitia mea, nunc igitur regno, et poenas de contemptoribus sumo.

Virtutem eorum.

Quidquid habuerunt, promissiones, testamentum, legislationem etc. Omnia illa nihil amplius eis prosunt, sed amiserunt ea. Hic finiemus caput 63].

Caput sexagesimum quartum.

Propheta**) contristatus ex superiore sermone

*) Prophetia de passione et resurrectione Christi.
**) Summa Cap. 64.

de futuro casu populi reflectit animum ab exemplis irae ad praeterita beneficia Dei, et texit insigne canticum de veteribus miraculis et beneficiis Dei, quibus se erigit, et orationem instituit pro captivis in Babylone. Sic utrumque facit, se consolatur illa commemoratione beneficiorum praeteritorum, et laudat simul Dei inexhaustam bonitatem.

Est autem hoc artis, posse in tentationibus se erigere exemplis gratiae et misericordiae Dei. Sic enim fit in gravioribus tentationibus, non venit in mentem passus Christus, non Petrus veniam consecutus, sed interitus Sodomae, diluvium, induratus Pharao, abjectus Judas, et similia irae horrenda exempla. Debebat autem contrarium fieri. Induratos haec irae exempla terrere, territos*) illa gratiae exempla consolari et erigere debebant, sicut propheta hic facit, qui territus tristi judicio populi Judaici se copia beneficiorum obruit, ut nihil nisi misericordias et beneficia videat. Quod si in irae exemplis, ante territi, fixos habeamus oculos, odium, blasphemia, et murmur contra Deum excitatur. Ex hac autem beneficiorum recordat[illegible] erga Deum et gratiarum actio oriuntur.

Miserationum Domini**).

Haec est propositio. Volo loqui de beneficiis Dei. Quare? quia sum occupatus tristibus cogitationibus ex interitu populi mei. Idem nobis accidit, cum cogitamus de abominationibus papae, de impietate Turcarum, de ingratitudine mundi. Ex cogitatione enim horum malorum, sicut dixi, nascitur

*) Quomodo territi animi erigendi sint. **) Enarratio cap. 64.

odium Dei et blasphemia, cur hoc et hoc faciat et permittat Deus. Aliud autem monet David post commemorata varia beneficia Dei, Psalm. 107: Quis sapiens, inquit, et custodiet haec et misericordias Domini videbit. Quando enim intuemur beneficia et misericordias Domini *), quod dat solem, pluviam, proventum annuum frugum, divitias, vitam, salutem etc., tunc totus mundus fit plenus gratia et misericordiis Dei, sicut dicit Psalm.**): Misericordia Domini plena est terra. Ita fit, ut misericordiae Domini videantur. Inde sequitur amor erga Deum et laus. Haec scire, est sapere, dicit Psalmus.

Propheta hic initio generalia beneficia commemorat, in quae sunt includendae omnes historiae populi illius, quae sunt descriptae in Exodo, Judicum, Josua [1]) etc., ubi sunt liberati ex magnis periculis.

Veruntamen filii mei.

Est generale beneficium. Sum eorum salvator, sunt enim populus meus, sunt filii non falsi, id est, sunt adhuc quidam, qui vere in me credunt, qui non sunt hypocritae.

In tribulatione ipsorum non est.

Id est, paterno animo, non tribulato seu irato castigabat eos, virga judicii, non furoris. Potest quoque sic verti: In omni tribulatione eorum ipse est tribulatus. Sicut dicit ad Paulum: Saule, quid ME persequeris? item: Qui vos spernit, ME spernit***).

*) Misericordia Dei consideranda. **) Psalm. 33.
***) Acto. 9. Lucae 10.

1) In ed. 1532 est: Josuae.

Et angelus faciet.

Sic in Aegypto et ad mare rubrum per angelum sunt servati.

Et afflixerunt spiritum sanctum ejus.

Non quod Dei[1] talis sit affectus, sed quod talis fit affectus piorum hominum, qui offenduntur et commoventur ad iram, propter malitiam et ingratitudinem mundi. Sic Moses, sic Aaron fuere contristati. Sic in Genesi *): Poenitet me etc.

Et recordatus est dierum antiquorum.

Postquam agnôverunt peccatum suum, rediit cum eis in gratiam. Ideo autem Mosi potissimum et non Davidis mentionem facit, quod per Mosen legem dederat, et per Mosen tam bona promiserat, quam mala erat minatus. Est hic quoque observandum, quod Deus non nostris meritis, sed sua misericordia movetur. Dicit enim Deum commotum, non praesenti sed praeterito populo, cui promissiones dederat. Faciunt autem promissiones, quod nostrae orationes exaudiuntur et placant Deum. Sicut ubique David **) orat: Propter nomen tuum, Domine, propitius esto etc. Sic omnia opera et merita sunt exclusa, et Deus ***) exaudit orantes propter nomen, verbum, promissionem suam, et propter se ipsum, non propter nostram dignitatem. Prodest autem nobis hic locus, ut quamquam simus peccatores, tamen speremus Deum nobis affuturum, et discamus quasi contra conscientiam orare, et di-

*) Gene. 6. **) Psalm. 25. ***) Quare Deus orantes exaudiat?

1) In ed. 1532: Deus.

cere: Quamquam sum peccator, tamen peccatore non deseris, sed audis eos, sicut promisisti. Ho autem longe difficillimum est opus, et[1]) sine fid plane impossibile est.

Ubi est, qui educit ex mari.

Ex commemoratione praecedentium beneficio rum ad orationem se vertit et orat in persona po puli translati in Babylonem: Mosen dedisti, qu majores nostros per mare rubrum duceret, utinar tum quoque Mosen aliquem capto populo mitta qui eos ex captivitate tanquam altero mari rub educat. Fuerunt inter illos quoque multi mali, tamen propter pios dedisti liberationem, idem nu facias. Sic particulariter accipio hanc oratione pro populo captivo, non pro synagoga, quae ita c cidit, ut restitui non possit.

Sicut pecus quod descendit in campum.

Significat summam securitatem, quod[2]) educt sunt ex mari rubro. Sicut autem supra monui omnia haec recitat ad formandam et firmandam quoque fiduciam, ut eo meliorem orationem possi instituere.

Descende de coelo.

Provocat Deum ad zelum nominis et gloria suae pro se ipso, ut ostendat se nolle consentir cum tyrannis Babylonis, quasi dicat: Si nos pe rimus, periclitabitur simul nomen et gloria tu

---

1) In ed. 1532 est: quod. 2) In edit. 1532 leg tur: qua.

Promisisti enim te hujus populi Deum fore. Ergo non hic populus, sed nomen et gloria tua petitur, cum retinentur adeo misere ab impiis gentibus captivi.

Quoniam Abraham non scit.

Est bonus locus contra invocationem sanctorum. Nihil enim glossa illa valet: Abraham nescivit nos, scilicet cum viveret, imo credidit Abraham, et per fidem scivit se habiturum posteritatem. Hic disputant Scolastici, an sancti nostras miserias videant. Scriptura autem dicit, quod dormiant. Scimus igitur nos, et sentire debemus, quod sint nobis mortui, quomodo autem Deo vivant, nihil ad nos, neque enim illa per verbum nobis sunt revelata. Et satis est nosse, quod sint nobis mortui. Non ergo a nobis sunt invocandi. Unicum refugium est, non ad sanctos, praesertim mortuos, sed ad Deum*), qui est pater ab aeterno, illi ut maxime[1]) patres fuerunt, tamen jam cessarunt patres esse.

Quare errare nos fecisti.

Sunt verba ardentis affectus**): Ah Domine, quare sinis nos sic errare. Nos hunc affectum non intelligimus, quare privative accipiemus, ut sit sententia: Quia noluimus audire tuum verbum, permisisti nos errare et peccare, sicut fit, peccatum peccati est poena. Negligentiam in verbo et in oratione, quam principio non animadvertimus, pau-

*) Deus solus, non sancti invocandi. **) Ardens affectus precantis.

1) In edit. 1532: maximi.

latim notabilis transgressio sequitur, donec tandem consuetudo peccandi fiat, ut sine fine erremus.

Convertere propter servos.

Discernit hic pios ab impiis *): saltem propter pios, quorum adhuc multi sunt, parce. Deus enim calamitates propter impios mittit. Quia autem in hac vita pii inter impios vivunt, fit ut pii etiam maximam partem calamitatum illarum ferre cogantur, et econtra impii fruantur illis bonis, quae Deus in mundo dat propter pios. In futura autem vita separabuntur pii ab impiis, qui cruciatus mentos soli ferent.

Neque invocaretur super nos.

Sic in nos saeviunt, atque si nullum habemus Deum. Accusat enim diabolum et Babylonios quod sine discrimine in pios et impios saeviant imo in ipsum Deum etiam, et cultum Dei. Erigi autem hac indignitate animus, et confirmatur fides ut fortior et ardentior reddatur oratio.

Utinam dirumperes coelos.

Contemnunt te infirmum Deum, quod sicut mus in antro, ita tu in templo lateas. Age, ostende te augustiorem sedem et locum habere, dirumpe coelos et descende.

Montes sunt principes et potestatas mundi qui sunt plus quam ferrei et adamantini, cum sentiunt successum, rursus cum Deus venit et visitat eos, sunt molliores aqua. Idem in privatis perso-

*) Discernuntur pii ab impiis.

nis haereticorum et justitiariorum videmus, cum imparati tentationibus occupantur. Id quod propheta similitudine aquae calidae ostendere voluit.

Ut notum fieret.

Quasi dicat: Non possunt emendari nisi plagis, sicut Pharao in medio tandem mari inquit: Fugiamus, quia Deus contra nos pugnat, id quod ante calamitatem non sentiebat, nec videbat.

Cum feceris miracula etc.

Verte: Faciendo miracula, quae non exspectabamus. Est autem insignis consolatio afflictorum *). In omni enim opere divino est primo summa infirmitas, et extrema desperatio, ut ratio simpliciter convincatur, nihil neque consilii, neque auxilii restare. Quare cum Deus tandem liberat, ita liberat, ut votum et captum humanum superet. Sic cum filiis Israel in Aegypto egit, item ad mare rubrum. Nunquam enim sperarant, fore, ut cum opibus totius Aegypti egrederentur, neque etiam, ut suos inimicos in conspectu perire viderent. Significat igitur propheta fidei naturam **), cum dicit: quae non exspectamus. Fides enim exspectat ea, quae nec videt, nec sentit, et quae prorsus sunt incomprehensibilia, non secundum substantiam tantum, sed secundum magnitudinem et omnes partes, supra quam orare et petere possumus.

Auris non audivit.

Est definitio fidei ***) generalis, non tantum

*) Consolatio afflictorum. **) Fidei natura. Hebr. 11. ***) Quid sit fides.

ad futuram vitam accommodanda, sed ad omnes casus et exempla fidei, sicut etiam ille ad Hebraeos *) difinit: Fidem esse exspectationem rerum sperandarum. Res autem sperandae sunt, quas Esaias hic dicit nec audiri, neque videri, sed simplici fide exspectari. Sunt enim semper novi casus fidei, et sine exemplo speciali (nam generalia exempla non excludimus). Sicut autem semper nova afflictio offertur, ita semper inexspectata et insperata liberatio contingit.

Paulus **) suo more generalem sententiam ad particularem causam commode detorsit. Possunt enim, quae in genere dicta sunt, ad singularia detorqueri sine incommodo generalis sententiae.

Occurristi laetanti.

Ad augendam calamitatem confert tempus calamitatis Babylonicae cum feliciore seculo, quo Deus favebat, juvabat, exaudiebat suos. Quondam occurrebas, inquit, tuis juvando et exaudiendo, ea erant feliciora[1]) tempora, felices et laeti illi erant homines, cum omnia rectissime sic succederent, cum justitia et pietas inter homines floreret etc.

Ecce tu iratus es.

Pertinet et hoc ad commendationem praeteriti seculi, quod non solum faverit eis Deus, sed sicubi peccassent, ignoverit quoque. Sic enim malo accipere, quam de tempore captivitatis, quod, quamquam peccent, tamen aliquando sit eos liberaturus Deus etc.

---

*) Hebrae. 11. **) 1. Cor. 2.

1) In ed. 1532 est: felicia.

Facti sumus ut immundi.

Hic incipit alteram partem collationis, tempus captivitatis Babylonicae scilicet. Tam felicia quondam erant secula, at nunc ita nobiscum agitur, perinde ac si omnes, quotquot sunt, mali sint. Emphasis est in nomine omnis. Vocat enim immundos ideo, quod tractentur sicut immundi et impii.

Et quasi pannus menstruatae.

Hoc loco aliquando sumus usi contra justitiam humanam. Bona quidem sententia est, sed non propria hujus loci. Propheta enim, cum videt multos bonos viros in captivitatem abductos, ut fuere Nehemias, Esras et alii, dolet quod ob malorum impietatem justi homines diutius in captivitate detineantur, quasi dicat: Abrahamo propter quinque justos condonasses Sodomam, hic plures boni sunt, et tamen tu perinde [1]) cum eis agis, ac si ipsi quoque impii essent et immundi. Coguntur ferre poenam impietatis, quamquam ipsi sint justi, perinde atque si ipsi quoque peccassent. Hunc affectum captivi populi hic exprimit propheta. Sunt autem alii loci scripturae, qui justitiam humanam*) damnant. Sicut ille: Domine ne intres cum servo tuo in judicium, in conspectu tuo non justificatur omnis vivens; cum omnia feceritis, dicite: Sumus servi inutiles, et in oratione: Dimitte nobis debita nostra, et in Psalmo: Pro hoc orabit ad te omnis sanctus etc. Nostra igitur justitia vere est polluta.

---

*) Loci damnantes justitiam humanam. Psal. 143. Luc. 18. Psal. 23.

1) In ed. 1532 legitur: nihilo minus cum iis agis quam si ipsi etc.

Habemus igitur aliam extra nos in Christo, qua sancti et justi sumus, Phil. 3.

Non est qui invocet nomen.

Erant quidem in captivitate multi pii homines qui invocabant Deum. Verum, inquit, haec calamitas captivitatis, qua premimur, argumento est quod nemo sit, qui vere invocet aut apprehendat Deum, alioqui enim liberaremur.

Abscondisti faciem tuam.

Nihil, inquit, videmus praeter peccata, minas, pavores et terrores. Facies enim Dei*) duplex est: interna, cum blande in cor nostrum instillat verbum solatii et remissionis peccatorum, externa, quando etiam externas res jucundas largitur, pacem, successum, copiam omnium rerum, et aufert iram, ulcera, famem, pestes, bella etc., quae sunt diaboli facies. Sic promittit Mosi Exod. 32: Facies mea praecedet te, et requiem dabo tibi. Hanc Psalm. 3. vocat lumen vultus, et passim lux appellatur in sacris literis. Abscondit autem faciem suam Deus, cum ablato verbo et beneficiis suis lex, peccatum, bella, fames, et alia incommoda remanent.

Domine, pater noster es tu.

Hactenus collegit propheta omnia argumenta, quibus et se erigere et Deum ad juvandum flectere potuit. Nunc addit epiphonema. Quid multis opus est verbis [1])? tu noster es pater, fides nostra in te

*) Facies Dei duplex.

1) In ed. 1532 legitur: Quid multis verbis est opus

haeret, quamquam haec rerum facies et sensus nobis dictet, te iratum esse nostris peccatis etc.

Nos vero lutum.

Urget promissionem. Tu promisisti te fore nostrum figulum: Fuimus vitiosum lutum, redegist igitur nos in massam. Age, refinge et libera nos. Alioqui videbimur non lutum tuum esse, sed stercus platearum.

Respice, quia sumus populus tuus.

Hae sunt ultimae lacrimae. Non habes alium populum praeter nos, tuum igitur nomen et gloria tua periclitabitur, ubi non adjuveris nos. Sic continet hoc caput luctam fidei*), quae in rotundo circulo nihil aliud sentit nisi iram, et tamen perrumpit, et credit non perpetuam fore iram. Sunt autem necessaria hujusmodi exempla in tentationibus. Est enim summa ars, posse hic prudentem esse, ut sentiamus praesente ira et afflictione iram tantum simulari. Caro enim simpliciter secundum sensum et externam simulationem pronunciat, nec potest se erigere cogitatione et spe futuri auxilii[1]).

Civitas sancta facta est deserta.

Civitatis et templi meminit, non propter ligna et lapides, sed quod verbo Dei essent fundata, et quod Deus se ei loco per verbum alligasset. Hinc etiam sanctam civitatem**) appellat, non propter

---

*) Lucta fidei in tentatione et aerumnis. **) Civitas sancta cur dicatur.

1) In ed. 1532 legitur: nec potest se erigere contra sensum.

populum, sed propter primum et secundum praeceptum, quod in ea esset verbum et nomen Dei. Sic omnis Christianus*) sanctus est, quamquam in se et substantia sua pollutus sit. Sic templum etiam domum sanctificationis vocat, quod istic sanctae res gererentur, quod sacrificarent ibi, docerent, psallerent, orarent et reliqua, quae sunt verbi Dei, obirent].

Caput sexagesimum quintum.

[Hic est**) ultimus prophetae sermo, et ultima comminatio de futura vastatione synagogae tempore Christi et vocatione gentium. Sunt enim prophetiae varii sermones, non uno tempore editi. Sic nos in nostris concionibus jam fidem, jam caritatem, jam ultimum Christi adventum docemus etc.

Quaesierunt me, qui me non etc.***).

Videtur pugnare locus cum illo Matthaei****): Primum quaerite regnum coelorum, sed non pugnat. Quaerere enim fit dupliciter, primo secundum praescriptum verbi Dei], et sic invenitur Deus, [secundo quaeritur[1]) nostris studiis et consiliis], et sic non invenitur. [Damnat igitur hic non crassa peccata, sed[2]) quod Deum quaerunt et religionem. Religio†) autem est optimum[3]) omnium humanorum

*) Christiani sancti. **) Summa Cap. 65. ***) Enarratio cap. 65. ****) Matth. 6. †) Religio.

1) In ed. 1532 deest: quaeritur. 2) In ed. 1532 legitur: nam quaerere Deum est religioni studere. Religio autem etc. 3) In ed. 1532 legitur: optima omnium humanorum operum, sed damnatur ea quoque, quando non etc.

operum, et tamen damnatur, quando non nititur verbo Dei. Neque enim vult Deus nostris studiis quaeri, imo nostris studiis inveniri prorsus non potest. Nos igitur positis speculationibus majestatis et abjectis nostris operibus verbum apprehendamus, vel potius verbo apprehendamur. Neque extra verbum quidquam de Deo vel dicamus, vel cogitemus, vel audiamus. Deus enim vult primum lapidem ponere, et tum feliciter quaeritur et invenitur, cum per verbum nostra corda pulsat, sicut Paulus*) inquit: Sequor ut possim comprehendere, in quo comprehensus sum.

Damnatus igitur hic est totus papatus, et quidquid religionum in mundo est praeter illam, quae fide in Christum nititur. Papa enim et monachi quaerunt quoque Deum, sed ubi quaeso est scriptum, quod Deus velit pro talibus operibus vitam aeternam dare? Textus enim dicit: Qui crediderit in eum, non confundetur, non qui se texerit cucullo, qui missas celebrarit etc.

Invenior a non quaerentibus.

Id est, sum inventus a gentibus**), quae nullum studium habebant quaerendi Dei, quia erant sine verbo. Sic non solum damnat opera et studia religiosorum, sed etiam se ultro offert pessime viventibus. Id quod cogitur facere, tum propter malitiam hominum, tum propter suam bonitatem. Malitia est, quod Judaei***) verbum et prophetas contemnebant, et provocabant Deum in non Deo. Ipse igitur vicissim eos provocat in populo non populo. Secundo bo-

*) Phil. 3. **) Deus gentibus inventus. ***) Malitia Judaeorum.

nitas divina quoque Deum cogit, ut se ostendat errantibus, hoc autem facit per verbum. Sic necessari Judaei propter nimiam religionem rejiciendi, et gentes propter nimiam inanitatem recipiendae[1]) erant.

Quemadmodum igitur quaerere dupliciter fi ita etiam duplex est servitus*). Alia quae suscipitur a nobis sine verbo Dei, ea non est Dei, sed diaboli servitus, quae fit per mendacium et simulationem. Alia servitus suscipitur ex praescripto verbi, ea est credere verbo offerenti nobis Christum, pro nobis mortuum, quam sequuntur bona opera etiam foris.

Expando manus meas.

Haec est causa tam horrendae irae et comminationis. Vitium non est in Deo, sed in quaerentibus. Expando manus meas, me offero, benefacio, rogo, comminor, idque quotidie. Sed rident expansas manus, prophetas occidunt, et eunt viam non bonam, secundum cogitationes suas, id est, non secundum verbum meum, non solum obmissive, quod non credunt verbo, sed etiam positive, quod diversum a verbo faciunt.

Qui immolant in hortis.

Hic addit, quaenam sint viae cogitationum. Non enim adulteria, aut furta damnat, quae etiam ratio improbat, sed immolationem et sacrificia, quae fiebant illi Deo, qui eos eduxerat de Aegypto, maxime scilicet et sanctissima opera. Quid igitur in istis sacrificiis est vitii? Hoc nimirum, quod addit, in hortis. Habebant enim mandatum sacrificandi in

*) Servitus duplex et cultus.

1) In ed. 1532: recipiendi.

templo, in hortis sacrificandi mandatum non habebant. Sic nunc in papatu damnamus totum illud vitae genus[1])] et cultus omnes, qui praeter mandatum Dei sunt suscepti*).

[Sacrificant super lateres.

Per tapinosin vocat aras ipsorum lateres, quasi dicat: jactatis aras vestras, verum quid illae sunt, quam congesti in unum acervum lateres? Hic objiciunt hypocritae: Aram templi quoque nihil esse, quam aes et lignum. Quare facienda differentia**) est, quod scilicet arae extra templum tantum sint lateres, ara autem in templo non solum est aes purum et lignum purum, sed aes (ut ita dicam) verbatum et verbatum lignum, id est, verbo et divina voce constitutum. Sic templum quoque habet verbum, horti sunt sine verbo. Idem respondemus hodie haereticis nostris, baptismum***) non tantum esse aquam, sed aquam cum verbo. Sic in coena Domini non est simplex panis et vinum, sed est panis et vinum cum verbo Dei.

Qui habitant in sepulcris.

Notat praeposteram diligentiam. Vera pietas fere get, sed impietas non aliter atque ignis in stipulis det. In templo, inquit, non possunt persistere, in tris autem, quas sibi delegerunt, habitant et perrant.

---

*) Cultus sine verbo Dei instituti damnant. **) Discrimen inter cultus mandatos et non mandatos. ***) Baptismus. Sacramentum altaris.

1) Ed. 1532 sic pergit: quod praeter mandatum Dei t susceptum.

Carnem suillam comedunt.

Inter sacrificandum etiam porcinas carnes offerunt, quas in domestico cibo edere prohibitum erat nedum in sacris.

Qui dicunt, recede a me.

Praeterquam quod sunt impiissimi, sunt quoque superbissimi, damnat Esaiam et Deum expandentem manus, tanquam immundum, quem ipsi sanctificare non ab eo sanctificari, quem ipsi docere, non ab eo doceri [1]) velint.

Erunt fumus.

Haec est poena sicut in evangelio: Miss exercitibus succendet civitatem illorum. Has magnas et horrendas comminationes riserunt. Est mirabilis brevitas.

Super colles exprobraverunt mihi.

Id est, dehonestaverunt me. Est autem definiti propriae justitiae*), quod sit contumelia Dei. Deu enim tum maxime ignominia afficitur, cum nos eum diligentissime colimus[2])] electitiis cultibus, quo instituimus sine verbo et mandato Dei. [Est autem horribile judicium, quod sancti in speciem nih aliud faciunt suis cultibus et operibus, quam quo dehonestant Deum, et eripiunt ei gloriam; et sic dicitur ad Rom.[3]) sacrilegium faciunt. Sic totu papatus**) est sacrilegus.

---

*) Propria justitia. **) Papatus sacrilelegus.

1) In ed. 1532: non doceri ab eo. 2) In ed. 15[…] tantummodo additum est: praeter verbum. 3) In ed. 153[…] Ro. 2.

Haec dicit Dominus.

Est occupatio. Poterat enim objici. Num justum perdes cum impio? Non, respondet, sed quemadmodum cum quis infoecundam vineam subvertit, unam tamen aut alteram vitem fructiferam relinquit incolumem, sic ego servabo reliquias*). Sicut alibi dicitur: Novit Dominus eripere justum etc.

Educam semen de Jacob.

Est promissio, qua infirmos consolatur, fore ut verbum et evangelium semper perduret.

Erunt campestria in caulas.

Verte sic: Erit Saron in caulam gregis. Porro Saron et Carmelus sunt laudatissimi montes Judaeae propter pascua, Achor et Rephäim sunt valles laudatissimae. Promittit igitur allegorice ecclesiam fore talem, in qua praedicetur verbum quotidie, ut pascantur et multiplicentur fideles etc. Armenta sunt pii, robustiores in fide, qui apti sunt ad docendum, greges sunt infirmiores.

Gad. Puto Martem esse. גָּדַד enim Hebraice est accingi, inde Gad, quasi dicas, latrunculus. Meni. Puto Mercurium esse, et fuisse mercatorum dolum. מְנִי enim numerum significat. Huc alludit um dicit: Numerabo vos ad gladium.

Pro eo quod vocavi te.

Haec est culpa**), cur eos velit perdere, nempe uod verbum negligunt, et propria deligunt studia. Jnusquisque igitur hoc vitae genus sequatur, quod[1])]

*) Reliquiae servandae. **) Cur synagoga perdenda.

1) Ed. 1532 sic pergit: quod novit Deo probari quamvis contemptum et vile sit.

habet verbum Dei, et quod scit Deo probari, hoc est, ad quod vocatus est, quamvis contemptum et vile sit. [Esse servum, esse ancillam, esse patrem et matrem, sunt vitae genera verbo Dei constituta et consecrata, quae Deo placent. Monachum fieri Deus non probat, quia non mandavit. Sic missam celebrari, suscipere vota, et peregrinationes sunt impia opera, quia sunt sine verbo.

Propter haec dicit Dominus.

Jam promissiones addit, quas a populo Judaeorum ad reliquias et ad gentes transfert. Porro non distinguo hic inter promissiones spirituales. Habent enim Christiani promissiones hujus et futurae vitae. Piorum quantumvis modicae opes, tamen purae sunt opes, habent enim annexam benedictionem. Impii in maximis opibus egent, propter additam maledictionem. Debebant autem nobis hae sententiae proverbiales esse, quibus consolaremur nos in ignominia, penuria, tristitia et afflictionibus, ut diceremus: Dominus dicit, ecce servi mei comedent, vos esurietis etc. Hac promissione enim fretos impossibile est falli.

Dimittetis nomen vestrum.

Est Hebraismus, id est, tam abominabile Judaeis nomen*) erit, ut vice gravissimi maledicti homines eo sint usuri, et ii qui volent pessima imprecari Judaei fortunam imprecabuntur[1]).

---

*) Judaeorum nomen abominabile.

1) In ed. 1532 legitur: et pessima imprecaturi Judaei fortunam imprecabuntur.

Servos suos alio nomine.

Non amplius nomen Judaeorum celebrabitur, amittetis regnum et sacerdotium, et celebrabitur porro Christianorum*) nomen, quod benedicetur, et homines eo nomine pro benedictione utentur, sicut dicitur: Utinam vere Christianus fias.

Benedicet se in Deo Amen.

Id est in fideli aut vero Deo, nam Amen adjective accipiendum est, quasi dicat: Benedicunt, praedicant, laudant se hypocritae quoque, sed soli Christiani**) se benedicunt in Deo Amen, qui fallere non potest. Porro addidit nomen Amen, primo propter scandalum fidei, contrarium enim utrimque apparet. Nam et piorum benedictio in fide abscondita latet, et latet quoque impiorum maledictio. Illi enim pios plerumque opibus, dignitate, gloria etc. vincunt. Confirmat autem hic nostram fidem, quasi dicat: Nihil dubites de mea promissione, quamvis non videas benedictionem, et potius sentias maledictionem, tamen vere es benedictus in Deo, qui est Amen, qui non fallet te.

Secundo addit, in Deo Amen, propter scandalum objecti fidei, id est, propter incarnationem Christi. Insuperabile enim Judaeis***) scandalum est, quod nos in hominem, eumque crucifixum credimus. Dicit igitur, Judaei offenduntur humanitate Christi, nec possunt eum Deum credere, quem hominem esse vident. Verum vos nolite offendi, non errabit a vero Deo, quicunquae suos oculos

*) Nomen Christianorum benedictum. **) Christianorum benedictio in Deo vero. ***) Christus crucifixus Judaeis scandalum, 1. Cor. 1.

in Christum defixerit. Imo non est alia via perveniendi ad Dei cognitionem, nisi in hoc homine et per hunc hominem Christum Jesum, sicut ad Philippum de patre interrogantem dicit: Philippe, qui me vidit, vidit patrem meum*). Solus enim hic Christus est via et veritas, extra quem nullum Deum est invenire.

Porro hic locus commendatus debet esse theologo, ne speculationibus majestatis et operibus sapientiae nos defatigemus, quibus nihil est periculosius. Quare in unum Christum incarnatum figendi sunt oculi. Hic potest videri, Deum autem nemo vidit unquam**).

Quia oblivioni traditae sunt angustiae priores.

Est insignis hic locus, qui valet ad alios similes intelligendos, ubi prophetae de regno Christi loquuntur, tanquam de futura aeterna vita. Sic autem se res habet: Regnum fidei et futura vita*** differunt non ad rem, sed tantum ad modum re. Sumus enim filii Dei, sicut Johannes dicit****), sed spe, nondum enim apparuit. Nam qui crediderit is jam habet remissionem peccatorum. Si habet remissionem peccatorum, habet vitam, eamque aeternam. Sumus igitur vere in regno vitae, jam regnamus, jam sedemus in coelis, sumus jam salvi facti, sed spe†). Vita enim aeterna et beatitudo jam tum coepit, cum Christus transferret regnum Judaeorum, cum jam ex morte resuscitaretur. Quicunque

*) Iohan. 14. **) Iohan. 1. ***) Regnum fidei et futura vita quid differant. ****) 1. Iohan. 3. †) Fide et spe sumus filii Dei.

ergo in Christum credit, is jam eam habet et possidet.

Verum, inquies, qui fit, quod habere[1]) tanta bona dicamur, cum tamen non modo non sentiamus ea, sed diversum potius sentiamus? Respondeo*): Dum in hoc corpore obnoxii omnibus malis vivimus, servamur ceu in abscondito aenigmate. Haec enim cutis, qua sumus vestiti, haec caro, qua sumus onerati, proprie non pertinet ad regnum Christi, quia est adhuc obnoxia peccato et morti. Est tamen excolenda, donec exuatur, et dum vivimus, premenda et oneranda est.

Hujus igitur cutis et carnis**) nostrae vitio accidit, quod turbamur nonnunquam sensu pavidae conscientiae, peccati, mortis, diaboli, inferni et mundi. Neque pertinet hic sensus ad regnum Christi, sed ad cutem illam, quae ceu saccus est, in quem tantus thesaurus est conclusus. Absurdum autem fuerit pretium thesauri ex sacci vilitate, in quo situs est, aestimare. Sed Christi regnum, aeterna vita et salus, reposita sunt extra oculos et sensum in solo Christo, in illo vere est salus, pax, vita, etiamsi nondum sentiamus illa bona propter hunc saccum quo sumus induti. Sic enim propheta hic dicit, quod Christi regnum benedictionis sit regnum, ergo est quoque regnum justitiae, salutis et vitae contra peccatum, mortem et legem.

Est igitur emphaticum, quod dicit: Ab oculis meis absconditae sunt priores angustiae. Coram oculis Dei res vere sic se habet, sed coram nostris

*) Cur Ecclesia adhuc sit subjecta cruci. **) Caro propter inhaerens peccatum mortificatur.

1) In edit. 1532 additum est: haec.

et mundi oculis nondum sic se habet res, sed durant adhuc angustiae illae, et durant, donec exuamus hanc carnem. Exspectamus tamen in spe, et per fidem *) jam habemus liberationem. Iam enim illi novi coeli sunt conditi, sed in promissione, nobis autem nondum sunt conditi propter ipsum velamen. Ad hunc modum reliqui loci aliorum quoque prophetarum sunt tractandi, ubi non minus magnifice de fidelium corporali vita loquuntur, quam de futura vita.

Creo novos coelos.

Illi coeli jam coram Deo sunt creati, nobis tamen propter hanc carnem, in qua vivimus (sicut dixi), nondum apparent. Notabis autem, si regnum Christi et Christianismus extra hos coelos et terram hanc est, ergo ceremoniae**) et quidquid rerum externarum est, non sunt Christianismus, sed pertinent tantum ad hanc vitam, in qua jam sumus, propter illam carnem nostram. Regnum enim Christi non solum extra hos coelos, sed extra omnes sensus est. Quamdiu igitur hoc carnis sacco induti obambulamus, quasi captivi, quod volumus non facimus, et facimus quod nolumus, sicut Paulus***) conqueritur. Ita enim sumus conditi, dum vivimus, sentimus peccatum, mortem et infernum.

Regnum autem Christi****) longe aliud quiddam est. Ad illud qui accedere volet, necesse est, eum ire extra omnes sensus, et transferri eo, ubi non est sensus. Neque enim secundum sensum judi-

*) Fide quidem liberi sumus, etsi adhuc caro prematur. **) Ceremoniae in hac vita. ***) Rom. 7. ****) Regnum Christi spirituale.

candum est. Quare, si conscientia peccati te accusat[1], si ponat ob oculos iram Dei, si eripiat Christum redemptorem, non debes ei consentire, sed contra conscientiam et sensus tuos judicare, Deum non esse iratum, te non esse damnatum. Scriptura enim dicit, regnum Christi extra sensum esse, quare contra sensum nostrum judicandum est. Noster enim thesaurus et cor nostrum in pace et certitudine vitae esse debet, debet enim cum Christo in coelis esse.

Atque hoc est gaudium illud, de quo hic dicit, cujus gustum habemus tum, cum credimus. Primitiae enim spiritus*) et gustus regni Christi sunt, non contemplativa vita, neque ἐκστατικοί raptus, sicut monachi docent, illi enim plerumque a diabolo fiunt, sed sunt certitudo fidei, ut possis dicere tum, cum sentis peccatum tuum, quod illud peccatum sit tibi remissum per Jesum Christum, Dominum tuum, in quem credis. Et spiritus primitias is sentit, qui, cum gravi et vehementi tentatione exercetur et vicinus est jam desperationi et morti, per spiritum sanctum confirmare se potest, remissa sibi esse peccata, ut sic istos insuperabiles satanae morsus vincat, ne prorsus a peccato absorbeatur.

Has primitias eatenus sentimus, quatenus in nobis regnum Christi est. Porro sub peccati regno, hoc est, in carnis nostrae sensu, omnia sunt contraria. Istic enim mors videtur sine vita, verbum sine gratia, lex sine impletione. Sunt autem ea horrenda spectra mortis, quae oculis nostris obversantur, quamdiu in hac carne vixerimus. Primitiae

*) Primitiae spiritus.

1) In ed. 1532 est: accuset.

tamen spiritus illa spectra vincunt, quia docen oculos figere in Christum, qui per mortem suam triumphavit de lege, peccato, morte, inferno et satana.

Non erit infans dierum.

Est ceu antithesis. Hoc aliud erit regnum quam illud Mosi fuit. Lex enim neminem ducebat ad perfectum, ergo studium legis, operum, propriae justitiae et sapientiae prorsus non prodest. Qui enim in illo legis *) ludo instituuntur, semper manent pueri, manent in servili timore, non perveniunt ad hoc gaudium. Ego igitur, inquit, eam scholam legis perdam, et instituam scholam gratiae, in qua baptisati, quam primum per fidem Christo incorporantur, sunt sapientes, et habent illos thesauros, de quibus dixi. Non quidem apparent, sed habentur tamen in verbo per fidem. Notabis autem hanc definitionem, legis discipulos pueros esse.

Qui igitur sunt extra Christum, quo diutius discunt eo magis fiunt pueri **), quo sanctius vivunt eo majores sunt peccatores. Sic monachus centum annorum non est tam prudens, ut cogitet tonsuram nihil esse etc. Non autem simpliciter damnat cognitionem legis (est enim bona et neccessaria in civili vita), sed hanc praesumptionem, quod putant eam ad justitiam sufficere. Sic sunt pueri, quos mundus judicat sanctissimos, optimos, prudentissimos, sapientissimos etc. Est autem hic lata sententia quod illi non sint admittendi ad regnum Christi.

---

*) Infantes sub lege paedagogo vivunt. **) Pueri sunt, qui lege paedagogo utuntur.

Aedificabunt domos.

Aedificare non est struem lapidum aut lignorum congerere, sed oeconomias parare, instruere, augere. Significat igitur ex una ecclesia *) decem alias proventuras, ut ita major fidelium numerus fiat. Quae supra de coelo novo creando dixit, magis quadrant ad spirituale regnum Christi, haec autem magis ad hanc corporalem vitam. Sic regnum Christi est regnum in se ipso, propter caput quod regnat, nobis autem propter hanc pellem nondum est regnum.

Alieni non habitabunt.

Nemo impius communicat ecclesiae fructibus et donis, soli credentes consolari, instruere, adhortari, docere et se et alios possunt. Sic hodie qui magnifice de evangelio garrire possunt, quia tamen sine fide (ut ex operibus eorum apparet) sunt, paleas tantum habent, triticum et verum verbum non gustant.

Secundum enim dies ligni.

Sicut in Psalmo **): Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, impii autem sicut pulvis, quem projicit ventus a facie terrae, et sicut foenum tectorum peribunt.

Opera manuum eorum.

Id est, permanebunt perpetuo, sicut in Psalm. ***): Et folium ejus non defluet,

*) Habebit ecclesia successum. **) Psal. 1. ***) Psal. 1.

Electi mei non laborabunt frustra.

Abhibe antithesin: Impii laborant, sed frustra, impii generant, sed frustra, et est maledictus tam labor eorum, quam fructus laboris. Contra pii laborant ita, ut laborem non sentiant, et non frustra est labor eorum.

Nec generabunt in conturbatione.

Innuit quod omnia studia, doctrinae, justitiae et opera, quae sunt extra et contra verbum, sint inutilia, et quasi abortus, da nimmermehr nichts Rechtschaffens aus wird. Hoc enim proprie significat.

Antequam clament.

Id est, antequam clamorem finiant. Sicut Mosi*) factum est ad mare rubrum. Est neccessaria promissio pro confirmandis conscientiis, et excitandis cordibus ad orationem. Quemadmodum autem aliae promissiones, ita haec quoque est abscondita, et fide tantum impletur. Ut autem oratio nostra exaudiatur, hoc primum scire prodest, quod sumus in verbo et regno Christi, non obstante hoc, quod sumus in pelle ista externa, quae sapit originem suam, et servat odorem peccati, quo est imbuta, imo perdita. Haec autem gloria et consolatio nostra est, quod verbum nos suspendit extra hanc pellem in aliud coelum.

Quare**) non debemus propter peccata nostra vel orandi fiduciam abjicere, vel orationes nostras, tanquam ingratas Deo et vanas contemnere, sed debemus diversam potius partem urgere, et dicere: Etiamsi reclamat[1]) conscientia, quia baptismum et

*) Exod. 14. **) Causa cur piorum oratio exaudiatur.

1) In ed. 1532 legitur: reclamet.

verbum et sacramentum altaris habeo, ideo per-
tineo ad regnum Christi, et sum vere os de osse,
t caro de carne Christi. Haec praesumptio et
uperbia (ut sic vocem) animo concipienda est, non
nquam meritum, sed tanquam gratuitum donum, et
m gratae et exauditae erunt preces animi sic in-
ituti et confirmati fiducia mortis et meriti Christi.

Sunt autem magnae et multae causae, quae
s ad orationem hortantur. Urgemur enim non
lum propriis peccatis, sed incumbunt etiam in
s universa monstra daemonum et mundi, et vere,
cut Atlas, soli sustinemus pondus coeli, praeter
rivata nostra peccata, ut sunt infirmitas fidei, et
efectus aliarum Christianarum virtutum. Oratio
itur depellit illa mala, quae nobis minantur mor-
m et damnationem. Deus enim, qui nobis hic
'omittit se[1]) exauditurum, major est, quam mun-
is, satan et peccata.

Sanctus Bernhardus*) bene monuit fratres suos,
m in hanc fere sententiam eos ad orandum in-
at: Ne contemnant orationes suas, sed sciant,
am primum orare coeperint, omnes suas voces
coelo perscriptas esse. Certissimo igitur alterum
rum eventurum, ut vel fiant quae petunt, vel si
n fiant, mutentur in melius. Vere ex spiritu
ncto Bernhardus hoc loco de oratione monuit,
re enim fiunt quae rogamus, nisi quod Deus non
m anguste dat, sicut nos oramus. Vult enim
agna dare, et parva dat gratuito, non rogatus.

Porro optima orandi forma**) est in oratione
minica, quam ipse Christus nobis praescripsit et

*) Bernhardi dictum de oratione. **) Orandi forma.

1) In ed. 1532 additum est: nos.

orare jussit. Eam cum oras, ne sis sollicitus te aliquid praetermisisse. Ipse enim melius eam intelligere et extendere ad omnes partes praesentium calamitatum potest, quam tu, etiamsi longa expositione utaris. Non tamen malum est, imo maxime prodest, diserte haec vel illa rogare. Tantum in hoc laboremus, ut certus sit animus, non vanam orationem fore, et id propter Christum. Si enim Christus orandi formam praescripsit, ergo placet ei, si praecepit, ergo delectatur hoc cultu, si promisit se exauditurum, ergo audiet.

Quare assuefaciamus nos ad hoc Christianum opus, quod nemo praeter Christianum*) potest facere. Tentat autem fidem nostram nonnunquam Deus, cum non statim dat hoc quod petimus. Discendum igitur est, ut in fide exspectemus, sed non absterriti mora annectamus orationi nostrae hanc voculam: Amen**), certi, fore ut aliquando fiant, quae petimus, et fiant uberius ac alio prorsus modo, quam nos cogitare possumus. Sicut superiore capite***) dixit, neque aurem audisse, nec oculum vidisse ea, quae contingunt[1]) cordi exspectanti Dominum.

Lupus et agnus.

Sicut supra in 11, qui antea inimici ecclesiae erant, et eam persequebantur, illi convertentur.

Serpens comedet.

Serpentes sunt, qui pertinent ad serpentem,

---

*) Soli Christiani orant. **) Amen fidei opus in oratione. ***) Esa. 64.

1) In ed. 1532 est: contingant.

oc est, qui sunt ex patre diabolo, illi non sunt igni, ut fructus terrae comedant, sed edent ulverem terrae; neque poterunt ecclesiae nocere. orro hae promissiones sunt transferendae in invisile regnum Christi, nam in vita nostra externa ntrarium est verum. Jam sequetur ultimum et ssimum scandalum Judaeorum].

Caput sexagesimum sextum.

Hactenus [1]) audistis prophetam *) versatum

*) Summa cap. 66.

1) In ed. 1532 hujus capitis enarratio ita incipit: In periore capite damnavit studia electitia populi sui. Jam sum templum divinitus constitutum, adeoque omnem culm Dei in lege reprehendit, imo abjicit et tanquam imum damnat. Est igitur haec longe gravissima accusatio, sa damnat etiam ea, quae divino verbo constituta sunt et vinas promissiones habent, ut sic adimat fiduciam etiam promissiones et in verbum Dei. Est autem ejus rei tio haec. Promissionum Dei duo sunt genera. Quaedam nt merae promissiones sine ulla conditione addita. At les promissiones sunt in novo Testamento, in Christo, ae pertinent ad victoriam mortis et peccati. Tales sunt omissiones factae Evae, Abraham, David etc., quae nulm conditionem habent additam, sed simpliciter promittunt atiam et favorem Dei. Hae sunt impoenitibiles, sicut ulus dicit, et irrevocabiles. Aliae autem promissiones nt legales, quae habent additam conditionalem particulam: , ut, si feceris hoc, dabo tibi terram etc. Talis illa de mplo quoque fuit. Judaei igitur in hoc errant, quod ex omissione conditionata absolutam faciunt. Deus enim omittit staturum templum, si mandata sua servent, sed n servarunt mandata. Non igitur templum stabit, id od multi loci aperte minantur, praesertim autem in

esse in reprehendendis studiis nostris, et cultibus, qui sine verbo a superstitiosis erant instituti.' Accusavit enim Gad et Me autem fit semper in mundo, nos non praecepta Dei et verbum Dei, contra Deus non vult ea, quae nos sine verbo eligimus fit, ut et mundus prophetas et verbi ministr non possit, et Deus vicissim non possit feri dum, sed omni genere calamitatum idolatri sequatur, sicut testantur historiae populi Is

Jam nova accusatio, et multo gravior superior fuit, sequitur, in qua non rep electitium cultum, sed cultum divinitus in et praeceptum, item templum aedificatum mana cogitatione, sed promissione divina primo Davidi promissio illa est facta, post populo et templo per Babylonios repeti Propheta igitur hic jugulum synagogae peti etiam ea tanquam flagitiosa et abominabilia Deo damnat, quae verbo Dei erant constit ipsas promissiones divinas, qualis est illa Implebo domum meam gloria, et similes. H promissionibus inflati Judaei summam fi habebant, quod non solum placerent cul Deo, sed quod essent perpetui futuri, cont pheta eos ridet et damnat.

Quare sine dubio haec prophetia pri articulus fuit, cum medium dissecari Es

*) Esaias medius dissectus. Cur Esaia occisus a Zacharia et Aggeo et hic in Esaia. Damnat igitur in verbum Dei non recte intellectum, hoc est, vere humanam, seu potius praesumptionem in res neglecto verbo et mandatis Dei.

populus jusserit. Sicut etiam in Actis*) videmus: postquam Stephanus allegat sententiam, quam initio capitis hic ponit, sequitur horribilis clamor Judaeorum, accusantium eum tanquam blasphemum contra templum, locum, legem et populum. Et haec crimina intendebant ei cum optima conscientia; quare obduratis auribus ne audire quidem Stephanum volebant, sed acceptis lapidibus eum neci dederunt.

Perinde atque hodie nostri adversarii unum ecclesiae**) nomen tanquam aeneum montem contra nos opponunt, contra quod si quid dicas, clausis oculis et auribus ignem, gladium, aquam et omnis generis cruciatus arripiunt, et tanquam haereticos damnant. Quare diligenter videndum est, quomodo hic locus a propheta tractatus sit, in quo populo suo, qui cultum et templum divinitus institutum et suavissimis promissionibus confirmatum habebat, fiduciam promissionum et verbi Dei adimit. Facit autem id hoc modo, quod promissionum divinarum***) sint duo genera. Quaedam promissiones simpliciter aliquid promittunt sine ulla conditione, ac tales sunt promissiones, quae sunt propriae evangelii promissiones, de Christo, quae pertinent ad victoriam peccati et mortis, qualis illa est Adae facta in paradiso****), et aliae, quae per Christum promittunt vitam aeternam, et liberationem a peccato et morte. In his nulla est conditio, ut scilicet animi eo certius fiduciam suam in Christum possint figere, et ei secure credere, sicut Petrus dicit,

*) Acto. 7. **) Nomen ecclesiae hoc tempore. ***) Promissiones duplices, aliae evangelii. ****) Gen. 3.

salutem animarum suarum, et ut omnis gloria co
sistat in una et mera bonitate ac misericordia D
nobis exhibita in Christo. Hae enim promission
quia gratuitae sunt, et sicut Paulus adpellat, i
poenitibiles, omnino sine ulla conditione nobis su
propositae.

Aliae promissiones sunt legales, quae haber additam conditionalem, Si, hoc est, condition nostri operis, ut: Si custodieritis pactum meum eritis mihi populus etc. Judaei igitur in hoc erran quod ex promissione conditionali faciunt absoluta et existimant Deum simpliciter staturum esse e suo pacto, etiamsi ipsi a pacto discedant, et contra rium faciant. Atqui sunt certae et clarae senten tiae in Mose et aliis prophetis, quibus Deus mina tur, se populum cum omni cultu abjecturum, ni faciat secundum pactum suum.

Quid potuit dici clarius, quam illud Hier miae 7: Nolite confidere in verbis mendacii: Ter plum Domini, templum Domini, templum Domi est. Quin si emendaveritis vitam vestram et stud vestra, si feceritis judicium inter virum et prox mum ejus, si advenae, et pupillis, et viduae no feceritis vim, nec sanguinem innocentem fuderiti in loco hoc, et post Deos alienos non ambulaveri tis in malum vobismet ipsis, habitabo vobiscum in loco isto, in terra, quam dedi patribus vestri etc. Et paulo post: Quia locutus sum ad vos et non audivistis, vosque vocavi, et non respon distis, faciam domui huic, in qua invocatum es nomen meum, et in qua vos habetis fiduciam, e in loco, quem dedi vobis et patribus vestris, sicu feci Silo, et projiciam vos a facie mea, sicut pro

jeci omnes fratres tuos, universum semen Ephraim etc.

Tales sententiae multae aliae passim exstant, quia enim conditionalis illa erat promissio, necesse est cessante conditione cessare promissionem *). Quare fiducia illa, quae conditione sublata adhuc remanet, est mere humana fiducia, quam Deus odit et abominatur. Sic civitas Hierusalem vocatur sancta propter verbum Dei, quod habebat, verbo cessante non amplius sancta est, sed profana. Templum igitur mansisset, sicut promissum est, si servassent pactum Dei. Illud autem quia non servabant, templum una cum toto cultu legis periit, alioqui Romani Hierosolymam nunquam vastassent.

Pugnat igitur hic locus contra fiduciam in promissionem **), quae jam est sublata, et reprehenduntur Judaei, quod, cum ipsi ex pacto non steterint, tamen Deum ex eo stare postulant. Sicut nostri adversarii hodie magnifice gloriantur de promissionibus, quas habet ecclesia, quod fides Petri nunquam deficiet, quod Christus cum ecclesia sua erit usque ad consummationem seculi. Bene, haec non negamus, quin vera sint, imo nos hanc unam consolationem in tanto mundi et satanae furore habemus, quod clare promissiones exstant, Christum sedere a dextris Dei, et affore ecclesiae sic periclitanti propter verbum.

Quare igitur contemnimus adversarios nostros? quare impugnamus eos, et promittimus certo, quod sint perituri? Ideo scilicet quod ipsi non sunt ec-

---

*) Cessante conditione cessat promissio conditionalis.

**) Damnat fiduciam in promissiones conditionales.

clesia. Sed incipiant prius fieri ecclesia, concedemus eis, quod tuto his promiss quas ecclesia habet, niti possint. Nam q hi ecclesiae nomen merentur, qui primun ecclesiae, Christum, negant, et quae unius sunt beneficia, ea tribuunt nostris cultibus e tis? Deinde verbum Dei non solum non sed atrocissimis poenis verbi doctores a Inde etiam hoc sequitur, ut, quamquam sac habeant, tamen iis rite uti non possint, i et veritatem eorum norint. Huc accedit eti exterior vitae consuetudo, quae ejusmodi omnino digna sit tam impia doctrina. Sed re alias plura diximus et scripsimus. Nihil plus prodest eis nomen ecclesiae, et fiducia promissiones, quas ecclesia habet, quam profuit nomen populi Dei, templum et lex.

[Coelum sedes mea est].

Quasi dicat, qui estis vos, qui mihi singularem cultum praestare in isto templ facto*)? An putatis me intra hos parietes conclusum esse, ac tanquam captivum hic et vestra sacrificia exspectare, quae hic deserta justitia, relicta fide, et perpetratis generis flagitiis? Sicut expostulat cum Psal. 50. 'Sacrificia enim Deus non probat, persona ante justa et probata fiant. Quod sona mala sit, opera, etiamsi per se non sir tamen mala redduntur et damnantur. [Hilarii

---

*) Rejicit cultum templi Hierosolymitani, e praeceptum.

locum de majestate divina [1])] exposuit, et satis bene tractavit [1]), quod pedes Dei terram attingant, lumbi autem extra coelum sint, hoc est, quod Deus sedeat prorsus extra mundum et tamen in terra, quae mundi intimum et centrum est, pedes ponat, quod Deus intra, extra et ultra mundum sit, neque quidquam sit vel magis extra et ultra mundum, vel magis intra et citra mundum, quam Deus. Haec bene dicta sunt, sed scitis meum consilium, quod [hujusmodi cogitationes de majestate non sine gravissimo periculo ab imperitis agitantur. Quare hic paucis philosophandum est, sicut ille monuit, et flectendi sunt oculi in Christum incarnatum. Non enim tutior est via, sicut saepe dixi, ad omnes scopulos haereticorum evitandos, quam manere in Christo *) incarnato, et in cunas posito. His lacteis cogitationibus oportet Christianum crescere. Majestatis autem cogitationes praecipitant infirmos animos].

Quamquam interim hac et similibus aliis sententiis ad muniendam fidem nostram uti possumus, ne Deum compingamus quasi in caveam aliquam, extra quam non possit progredi, sicut faciebant ii, qui contra nos de praesentia corporis Christi in sacramento altaris satis impie initio disputabant. Haec de majestate**) discere satis est, quam impossibile est ab ullo homine comprehendi, id quod cum satis magno meo periculo sum expertus.

---

*) Deus in Christo considerandus. **) Deum non posse investigari per rationem humanam.

1) Edit. 1532 ita pergit: tractavit, neque id male, quod Deus intra, extra et ultra mundum sit. Sed hujusmodi cogitationes non sine etc.

Nemo enim est, neque in ecclesia neque extra ecclesiam, qui aliquid recte excogitare possit, duce ratione, extra politiam et oeconomiam. Hi enim sunt limites rationis nostrae, ultra quos non progreditur, sunt enim illa duo nobis subjecta Gene. 2. Qui autem per rationem vult animos instituere, is et se et alios in errorem inducit. Non enim possumus docere, nisi manus et pedes, hoc est, politica et oeconomia. Theologia autem nusquam discitur, nisi in puero Jesu in cunis posito, cum illo paulatim adolescendum est, donec crescamus in viros perfectos.

[Quare malo ego hunc locum simplicissime accipere, quod omnia, quidquid sumus, habemus et possumus, a Deo*) habeamus. Quare nihil ei a nobis reddi potest, nisi simplicissima confessio, omnia enim alia ab ipso accepimus. Jam nos diversum facimus, id quod hic oblique significat propheta. Dissimulamus nos omnia a Deo accepisse, et ex Deo mendicum facimus, qui nostris operibus habeat opus. Quin reposcimus quoque meritum a Deo pro nostris studiis et [1]operibus. Magna autem ea stultitia est, imo extrema impietas, jactare meritum, cum non solum agendi facultatem sed ipsum anhelitum et spiritum vitae a Deo accepimus.

Vult enim a nobis non secundam solam tabulam servari, sed etiam primum praeceptum**) ut agnoscamus, quod sit Deus noster, cujus nos beneficiis sustentamur, et indigemus, ipse autem n-

*) Omnia a Deo habemus. **) Opera nostra propter primum praeceptum placent Deo.

1) In ed. 1532 est: enim.

stris studiis non indiget, sed proximus noster us nostro beneficio habet, non Deus. Quod si noscamus, nos omnia a Deo accepisse, et in sig- m illius agnitionis secundae tabulae praecepta iamus, ut obsequamur parentibus, non occidamus ., tunc Deo etiam levissima in speciem opera opter primum praeceptum placent.

Sed id Judaei non faciebant, nullus in eis timor, lla fiducia in Deum erat, et tamen pro sacrificiis is et aliis cultibus volebant justificari.

Reprehendit igitur eos et abrogat, imo abjicit ummam religionem a se constitutam. Porro quia c templum et cultum Judaicum repudiat, clarum st eum summam justitiam et maximam religionem, ua papatus nititur hodie, simul damnare. Si enim acrificia divinitus instituta non justificabant ex pere operato, an non extrema stultitia est, sperare stitiam ex operibus electitiis, sine verbo Dei, imo ontra verbum Dei institutis?

Quae est ista domus.

Quasi dicat: Ego volo habitare in cordibus stris*), vos autem me putatis inter saxa con- di posse. Sic in templo habitare volo, ut simul cordibus habitem. Iam cum me e cordibus eji- tis, nolo quoque in templo habitare. Ad hunc dum sanctus Stephanus**) quoque hunc locum tat.

Omnia haec manus mea fecit.

Sic dicit ad monachum, qui inflatur suis vigi- , jejuniis, castitate etc. Unde quaeso habes hoc

*) Vos templum Dei estis. 1. Corinth. 6. **) Acto. 7.

donum, quod ita vigilare, abstinere, continere p
tes? an non ex me? Quid ergo mihi insultas c
iis, quae a me accepisti? Magna stultitia est, qu
Deus ferre non potest, ut tanquam beneficia a no
recipiat, quae ipse nobis donavit. Sic Psalm. 5
Non super sacrificiis[1]) arguam te etc.

Ad quem respiciam nisi ad paupercul
et contritum spiritu et trementem serm
nes meos.

Hic exponit, ubi velit Deus*) habitare, q
vera ejus sit officina, in qua Deus solet opus su
facere, nempe spiritus contritus. Ergo, cum senti
tristitia spiritus et contritum cor[2]), debebamus g
dere et laetari. Sed majora sunt haec, quam ut
animo humano possint credi, tum cum est in ten
tione. Quid enim sunt ad contritum cor omnia p
latia mundi, imo coelum et terra, si quidem se
est divinae majestatis? Sic in Psalmo**): Pro
est Dominus afflictis, et contritos spiritu liberal
item, Multae sunt afflictiones justi, sed ex iis om
bus eripit eum Dominus. Non enim potest ver
ad cognitionem Christi, nisi per afflictiones, et quan
aliquis est afflictus, tunc demum est locus, temp
et spatium juvandi.

Sunt enim afflictiones***) vera materia, et ni
illud, ex quo Deus aliquid solet facere. Deus en
in materia privativa, non positiva operatur. Q
autem propheta hic loquitur de justificatione, r

---

*) Templum Dei quod sit. **) Psalm. 34. ***) A
flictiones res bonae.

1) In ed. 1532: super sacrificia. 2) In ed. 1532:
contritum.

intelligit corporales afflictiones, sed sensum peccati, mortis et conscientiae. Rejicit igitur maxima merita, scilicet templum, et commendat nobis vitam sine lege, offert suam faciem immeritis et indignis, qui non justitiam, sed peccatum, non pacem, sed terrores conscientiae sentiunt. Ne ergo desperemus, ubi in peccata et graves errores inciderimus, sed hujusmodi consolationibus erecti credamus tum, cum minime sentimus, Deum ad nos respicere, adesse et favere nobis etc.].

Ad trementem sermones meos[1])]

Vides, quem cultum exigat Deus, ut scilicet ad verbum suum paveamus. Haec autem lex et regula est impiorum, quod non est timor Dei in oculis eorum, sicut videmus in adversariis nostris, quibus nihil confidentius, pertinacius et securum magis fingi potest. Terrores legis et peccati, de quibus nos multum querimur, sunt eis mera fabula. Ex antithesi igitur facile intelligemus, quid sit tremere ad sermonem Dei, nempe quod pii non sunt

1) In ed. 1532 haec verba sic enarrantur: Impii sunt securi, pertinaces et confidentes, sine timore Dei, pii autem sunt afflicti et pavidi ad verbum Dei, terrentur lege et minis Dei, cum tamen deberent se erigere promissionibus. Si quis anxie vult haec distinguere, tremere est habere conscientiam ex lege, spiritus contritus est habere et sentire peccatum, paupertas est sentire mortem et infernum, porro respicere est se ostendere amantem et benignum. Afflicti enim a lege habent ante se dorsum Dei. Huic aspectui hic occurrit spiritus sanctus et dicit: Non, amove illam speciem, ego enim te respicio, faveo tibi, non odi te, sicut tu falso putas.

securi, sed reverentur Deum et metuunt, necubi eum offendant. Quod si quando peccato occupati sunt, pavent et trepidant, ac si Deus cum clava eorum tergo immineat, poenam peccati in eos expetiturus.

Qui sic sunt conterriti (inquit propheta), qui sic afflicti sunt, ad illos ego respicio, contra, impios illos in sua securitate odi, et averto faciem meam ab iis, ii enim gloriantur de suis cultibus, neque quidquam metuunt. Quod si quis eos admoneat de decem praeceptis, contemnunt ea, tanquam quae olim triverint calceis, et felices sibi somniant perfectionem, quam ultra praecepta Dei attigerint. Quare ad nullum Dei verbum, ad nullum suum opus pavent. Pii autem et vere justi semper pavent, et conscientiam laborantem sentiunt.

Haec nobis prodest scire, ut discamus Christianorum animos afflictos et pavidos esse, ut nos, si qua pavoris hora venerit, non ideo desperemus, sed in rebus desperatis et in ira Dei erigamus nos ac cogitemus, nos tum vere esse officinam Dei in qua opus suum facere possit, quod Paulus Rom. 4 ei tribuit, ut vocet ea quae non sunt, ut sint etc.

Si quis anxie haec vult distinguere, sic distinguat, quod tremere est habere conscientiam ex lege, spiritus contritus est, habere et sentire peccatum, paupertas est, sentire mortem et infernum. Porro respicere est, se ostendere amantem et benignum. Afflicti enim a lege habent ante se dorsum Dei. Huic aspectui hic occurrit spiritus sanctus et dicit: Non sic est, ut tu cogitas, amove illam speciem. Ego enim te respicio, faveo tibi, non odi te, sicut tu falso putas.

[Qui immolat oves[1]) etc.

Hactenus templum, jam etiam usum et opera templi abjicit. Allegat autem ideo crassa peccata, facere caedem, canem, aut suillum sanguinem offerre etc., quod hypocritae spiritualia peccata non intelligebant, qualia sunt rapere divinitatis gloriam, se Deum facere etc. Sacrificare enim erat optimum humanorum operum et a Deo praeceptum quoque et tamen dicit non minus abominabile esse, si quis sacrificet cum praesumptione operis operati, et ita Deum mendicum faciat, quam si caedem faciat, non quod Deus sacrificia simpliciter damnet, sed quia praesumunt, et non tremunt ad sermones ejus, quia praecepta negligunt, et gratiam aspernantur. Sic minus offendit Deum maximum coram mundo peccatum, quam summa justitia, et arguit eos esse profanissimos, qui sunt sanctissimi in speciem. Sic monachi quoties missam celebrant, gravius peccant, quam si caedem faciant, est enim blasphemum opus etc. Sunt magna tonitrua contra justitiam operum[2]).

Haec omnia elegerunt in viis suis.

Acceperant sacrificia a Mose, ergo non sunt ipsorum viae? Respondeo: Sacrificia vocat eorum vias, quia ea faciebant neglectis praeceptis et viis Dei, hoc est, sine fide et sine timore, tanquam meritoria justitiae.

Etiam ego eligam etc.

Sic quaerebant ipsi propriam justitiam*), Chri-

*) Reprehendit opera hypocritarum.

1) In ed. 1532: ovem etc. 2) In ed. 1532 legitur: justitiam propriam.

stus peccatores, Zachaeum, Magdalenam, centurionem, latronem suscipiebat. Metuebant violare sabbatum, ipse libere violabat cum omnibus aliis traditionibus. Sic apud nos quoque factum est. Abominabile existimabant monasterio egredi, nunc libere egrediuntur. Illusiones eorum eligam, rectius vertes: hoc quod horrent isti, Dafür sie sich scheuen, id est, ea libera faciam, quae ipsi anxie et cum conscientiae periculo observant, ut timeant, ubi timor non est, et sint securi, ubi maximum est periculum, sicut in Psalmo*) est].

Quia vocavi[1]).

Haec est causa, cur rejiciat studia et cultus eorum, omnes etiam divinitus praeceptos. Sunt similes loci Hiere. 7: Vocavi et non respondistis mihi, et Psalm. 50. Perinde ac si dicat hodie: Non sum locutus vobis, cum baptizaremini, de ordinibus et regulis vestris etc, sed ut audiretis me. Quia igitur meum pactum transgredimini, et verbum meum negligitis, itidem ego vobis faciam etc.

Haec igitur una culpa est, quam in omnibus prophetis damnat, et quam hodie quoque Germania nostra in se admittit, quod non audivit, imo dicunt Nos audimus, sacrificamus enim secundum legem Mosi, facimus alia quam Moses nobis facienda praecepit. Sed quid facitis ex primo praecepto, in quo auditis: Ego sum Dominus, Deus vester etc. Sicut

*) Psal. 52.

1) In ed. 1532 haec ita enarrantur: Haec est culpa sicut supra. Ideo haec vobis accident, quia verbum meum non auditis, pergitis obdurati in vestris studiis et abominationibus.

igitur Judaei poenas*) dederunt, quod non audierunt Deum in prophetis suis, ita quoque Germania certam poenam huius contemptus dabit.

[Fratres vestri.

Qui gloriantur de eodem Deo, verbo et lege, cum antea satis sitis afflicti, etiam persequuntur vos. Nota quod fratres nostri sunt hostes nostri. Sic Christus a Juda domestico discipulo proditur.

Glorificetur Dominus.

Sunt amarulentissimae mimeses, quibus provocant impii homines infirmum in suis membris Christum, et tanquam certissimi filii Dei insultant piis ceu damnatis. Sicut nunc quoque blasphemi homines dicunt, et afflictis insultant: quid clamas? Lutheranorum Christus te juvabit etc. Hujusmodi blasphemiae non possunt diutius dissimulari, sed statim eas poena sequetur. Sicut statim a blasphemiis in cruce tenebrae sunt secutae[1], et commota terra est.

Ipsi autem confundentur.

Brevis consolatio, sed gravissima et laetissima pro iis, qui propter verbum non solum odia multorum sustinent, sed etiam excommunicantur, sicut nos hodie. Est impleta haec prophetia in novissima vastatione per Romanos, ubi non simplex bellum, sed seditio inter obsessos erat, implebitur autem nobiscum etiam hodie, quia vivimus in iisdem peccatis.

---

*) Poena contemptus verbi.

1) In ed. 1532: factae.

Vox a templo.

Sic legimus etiam in templo contra Judaeos pugnatum esse.

Antequam parturiret.

Est insignis consolatio ecclesiae*), hoc nostr seculo valde necessaria. Apparet eam simplicite perituram, versatur in mediis mortibus et peccati ut plane nulla spes sit prolis, et tamen promitti ut priusquam se gravidam sentiat, maximam p sterilitatem habeat, sicut supra: Sterilis sum; qu mihi genuit istos? Sic apostoli secundum apparei tiam externam reliquiae et faeces populi erant, vere oves occisionis, in brevi tamen tempore totu orbem terrarum evangelii doctrina impleverunt** Philippus convertit Samariam, Paulus, priu quam Romam veniret, Christianos istic esse co novit. Sic nostro seculo partus est editus, priu quam nos gravidos sentiremus, ne cogitatione qu dem unquam attigimus, quae jam per verbum ev nerunt. Impii quoque gravidi sunt, non ad gen randum, sed ad nocendum, pariunt autem frust sicut in Psalmo. 7, et stipulam. Sunt autem ha etiam ad nostrum affectum accommodanda, qu quidquid credimus in futurum, id est sterile. autem (sicut in Psal. dicit) nobis dormientibus securis, priusquam sentiamus dolorem.

Peperit masculum.

Non femellam, quae inepta est ad administ tionem, tum corporalium, tum spiritualium reru

*) Propagatio ecclesiae. **) Cursus evangelii feli

d non apparet. Nostra enim fortitudo est extra
›s in Christo, nec videmus nostrum thesaurum,
d habemus eum in solo verbo apprehenso et
edito.

Numquid parturiet terra in die una?

Respicit antithesin, impii Judaei quoque sunt
raegnantes, sed pariunt stipulam paratam ad in-
endium. Sic papatus hodie etiam est gravidus,
ed pariet stipulam ad ignem. Sic omnia impiorum
onsilia sunt abortus quidam. Pii autem pariunt
ine dolore, hoc est, habent benedictionem.

Numquid ego, qui alios.

Varie tractatus locus est, et puto quoque Hila-
um de majestate eum exposuisse, quod vis ge-
erandi omnibus divina virtute contingat. Ego autem
ccipio de generatione spirituali per verbum, quod
int verba incarnati Dei, quasi dicat: Appareo
terilis, crucifixus, mortuus, nihilominus tamen habeo
t ego filios meos. Qui enim aliis tribuo, mihi
uoque relinquam semen. Quia autem separat suam
enerationem ab aliis, significat generationem in
itam aeternam. Confitetur clausum coram mundo
terum videri. Apparet enim Christus infirmus et
ihil esse, multo magis autem filii ejus tales appa-
ent, et tamen auditur in verbo, et fide creditur,
uod sit fortis, quod sit suam habiturus sobolem.
it igitur cum ecclesia, et habebit ecclesiam inco-
nem usque ad finem mundi.

Laetamini cum Hierusalem.

Hic significat, cum quibus loquatur, nempe cum

afflictis. Omnes qui lugetis super eam, inquit, ergo facies ecclesiae est lugubris, et non apparet mansura vel paritura.

Ut sugatis et repleamini.

„Fingit nos esse infantes*), qui debemus sugere ab uberibus ipsius consolationem. Quid ubera illa sint, nemo intelligit, nisi sit gravi aliqua tentatione exercitatus. Debet ecclesia in mundo manere sub cruce et morte, et tamen debet ubera gloriae habere. Ergo nostrae opes et gloria nostra non sunt corporalia. Quanto enim major fidei securitas est, tanto plus gloriae est [1]) et consolationis in spiritu sancto.

Ecce fluvium pacis.

Est magnifica descriptio pacis**), quam ecclesiae loco afflictionum promittit. Est autem ea pax in verbo et spiritu, nempe praedicatio remissionis peccatorum. Nomen fluvii significat perpetuitatem, quod illa pax nunquam deficiet, sicut justo flumini nunquam deest aqua. Atque hoc vocat Paulus in Ephe.***) nosse longitudinem, latitudinem et profunditatem. Collata ad hanc pacem mundi pax ceu stilla aquae est, qua desiccata omne malorum genus reliquum est. Christianus autem habet pacatum cor, etiamsi in infinitis malis versetur.

Ad ubera portabimini.

In ecclesia utraque sunt, ignominia et gloria

*) Christiani infantes. **) Pax ecclesiae. ***) Ephe.
1) In ed. 1532 legitur: est gloriae.

ic sunt etiam persecutores, et qui eam portent in ulnis.

Quomodo si cui mater blandiatur, sic sic[1]) ego consolabor vos.

Sunt summi affectus, quos nemo plene potest animo concipere. Nostrum quidem ploratum intelligimus, quod autem consolatio tam magna sit, non ntelligimus. Adeo corda nostra sunt carnea. Si quis enim in istis tentationibus consolanti Deo per verbum credere posset, ille sentiret eum plus quam patrem et matrem nobis esse. Quid enim quantumvis magna et gravis tentatio est, cum ille sic os amet? Quia autem hanc pacem ecclesiae promittit, significat ecclesiam gravissimis afflictionibus xerceri. Nos autem afflictionem tantum sentimus judicamus ex sensu praesentis mali, consolationem n sentimus. Neque enim ea in sensu est, sed in rbo et fide. Atque haec Christianorum*) victoria pugna est pugnare per fidem contra sensum rtis et peccati, et ut maxime sentiamus peccatum, nen peccato non succumbere, sed credere, quod id per Christi redemptoris mortem victum nihil plius nocere propter Christum possit etc.

Ossa vestra quasi herba.

Vehementes tentationes medullas ossium etiam sugunt, sicut saepe testatur David. Sic contra nsolationes videntur ossa impinguare. Significat itur, se velle nos per verbum consolari et re-

---

*) Victoria Christianorum.

1) In ed. 1532 deest alterum: sic.

creare. Adeo omnes nostri thesauri in verbo solo sunt positi.

Ecce Dominus in igne veniet.

Ego accipio de vastatione per Romanos *) facta, quam describit ex historia Exodi. Nihil tamen prohibet de extremo judicio intelligere. Prophetae enim sic spectarunt ecclesiam, ac si jam sit exempta mundo ad coelestia. Neque enim aliud quam haec pellis, qua vestiti sumus, moratur, quo minus aeternam vitam habeamus.

Quasi turbo quadriga ejus.

Sic vocat exercitum Romanorum, vel si referas ad ultimum judicium, turbam angelorum.

Omnem carnem.

Videtur Esaias de iis loqui, qui suo tempore verbum contemnebant, quique tempore Christi verbum erant contempturi.

Qui sanctificabantur et mundos.

Superstitio **) non esset superstitio, nisi adderet fiduciam. Id hic tangit verbo sanctificandi. Neque autem superstitio Deum tantum negat et contemnit, sed contemnit quoque proximum, id quod significat verbum purificandi, quasi dicat: Illi sua omnia pura et munda judicant, e contra omnia aliorum ceu impura et immunda damnant.

Qui comedunt carnem suillam.

Haec Esaiae et Christi temporibus ad literam

*) Prophetia de vastatione Judaeae per Romanos.
**) Superstitio putat se mundam.

fiebant. Allegorice autem adhuc fiunt ab omnibus haereticis, illi comedunt, id est, docent, credunt, praedicant, suillam carnem et mures, id est, sua electitia dogmata, quae ipsis placent, quamquam verbo Dei sint prohibita], et sunt abominatio et nausea coram Deo.

[Ego autem opera eorum.

Prophetae cogitaverunt statim a Christo exhibito seculurum Christi regnum. Possunt igitur haec tam de generali totius mundi in ultimo die, quam de particulari Judaeorum calamitate et vastatione intelligi. Ego tamen particulariter accipio de judicio evangelii, quod tum Judaeos tum gentes cum omnibus operibus judicat, et damnat quidquid est religionum, rituum et cultuum extra Christianismum. Atque hoc initium judicii est per verbum, quod mox de facto quoque fiet. Sic tanquam clausurus prophetiam duas judicii partes proposuit, alteram desertionis synagogae, alteram vocationis gentium, quae durabit usque ad finem mundi.

Et ponam signum.

Hic addit, quomodo gentes*) sint vocandae nempe per apostolos, qui colligent omnes credentes ad verbum fidei et evangelium. Quia autem reliquias mittit, significat non corporale regnum fore, alioqui manerent in Hierusalem. Verbum autem ideo signum est, quod nihil de ecclesia in mundo videtur nisi verbum. Nam neque sacramenta quidquam essent, si non haberent verbum.

*) Gentes ab apostolis vocatae ad evangelium.

In Africam.

Hebraice Phul est. Significari puto septentrionale latus, ut fere sunt Assyrii, Parthi.' Puto enim eum respicere promissionem Gene. 7., ut Japhet habitet in tabernaculis Sem.

Tenentes sagittam.

Puto singularem nationem esse, qualis sunt Parthi.

Annunciabunt gloriam meam gentibus.

Apostoli enim[1]) officium non est aliud, quam praedicare Christum]. Est enim epitasis in pronomine meam.

[Adducet omnes fratres.

Ecce gentes *) appellantur fratres sanctorum propter evangelium communionem.

Donum Domino.

Ad oblationem Domino. Offerri autem gentes est converti gentes per evangelium. Per fidem enim occiditur vetus homo et surgit novus. Sic Paulus Sanctifico evangelium, ut oblatio gentium **) fiat. Porro si sunt apostoli reliquiae, ergo populus destruitur. Si populus est destructus, ergo non potest esse corporalis Sion.

In equis, in curribus.

Id est, in verbo, qui enim pedibus eunt, sunt

---

*) Gentes fratres. **) Oblatio gentium. Rom. 15.

1) In ed. 1582 deest: enim.

b lege. Vita autem Christianorum *) est non in actione legis, sed in curribus promissionum, portur enim in verbo.

Quomodo si filii tui.

Est tacita abrogatio veterum sacrificiorum, m de novis sacrificiis dicit. Vas mundum appel- verbum evangelii, quod sit jucundissima et rissima doctrina. Facit enim puros et jucundos mines. Lex autem polluta est, quia pollutos cit, et a facientibus quoque polluitur et infir- atur.

Assumam ex eis.

Non solum sacrificium, sed totum sacerdotium rogabo **). Si enim ex gentibus constituendi nt sacerdotes, necesse est Mosi legem prorsus erire, quae natos sacerdotes et ex una tantum bu natos habet. Sunt autem hodie Sacerdotes, otquot docent. Levitae sunt auditores. Quia tem de omnibus gentibus dicit, significat omnes ntes jus sacerdotii habere.

Sicut coelos.

Erit perpetuum sacerdotium, sicut est perpetua ura ea terra, quam in extremo die creabo.

Erit mensis ex mense.

Ritus quoque et festa Judaici sacerdotii mutabo. n erit in ecclesia distinctio sabbati, sed perpe-

*) Vita Christianorum. **) Abrogatio sacrificiorum sacerdotii.

tua sabbata erunt etc. Sunt autem haec in spiritu et fide. Nam propter hanc pellem carnis nostrae opus est certis quibusdam diebus, quibus conveniamus ad verbi et sacramentorum tractationem.

Et egredientur.

Fide intramus ad Deum, et sacrificamus, egredimur autem tum, cum[1])] accedimus ad officia oeconomica et politica, quae in mundo fiunt.

[Videbunt cadavera.

Haec pertinent ad Judaeos et omnes alios, qui praevaricantur in Christum usque hodie. Spiritus videt, quod sint illi cadavera, quia carent spiritu et fide, praeterea nemo[2]) videt nec credit, sed putantur firmissima corpora.

Vermis eorum.]

Id est, [conscientiae morsus et peccati virtus, quod scilicet[3]) peccatum sentient, et in aeternum metuent perpetuam damnationem. Sic concludit propheta: qui non volunt credere, illi perdentur, reliquias autem credentium Dominus salvabit.

FINIS.

DEO CHRISTO SIT LAUS IN SECULA SECULORUM.

AMEN.]

---

1) Edit. 1532 sic pergit: spectamus politica, quae in mundo fiunt. 2) In ed. 1232 hic additum est: neque. 3) In ed. 1532 desunt: et — scilicet.

IN

LOCUM JESAIAE CAP. 9

E CHRISTO ET REGNO EJUS ETC.

R. D. PATRIS DOCTORIS

MARTINI LUTHERI

ENARRATIO,

AB IPSO IN PUBLICIS PRAELECTIONIBUS TRADITA,

COLLECTA PER

M. JOHANNEM FREDERUM.



ARRATIO UBERIOR CAP. IX ET LIII ESAIAE.

Praeter breviora et continua D. Martini Luri Scholia in Esaiam prophetam prodiit 1546 uberior Enarratio cap. IX, et 1550 uberior rratio cap. LIII, illa cum enarratione Psalmi seli conjuncta sub hoc titulo: Enarratio | Psalmi indi, a Reueren- | do D. Martino Luthero dicta- | ta ollecta a Vito The- | odoro Noriberg. | Enarratio | noni Esaiae a D. Martino Luthe- | ro dictata Johanne Fre- | dero collecta. | (Cum praef. Theodoriad Georg. Vogler, et Jo. Frederi Pomead Nicol. Amsdorfium, Episcopum Numburgen-). Witebergae | per Johannem Lufft | 1546 | (In bibliotheca aulica eademque publica Monasi exstat. Exeg. Nro. 657); haec sub inscriptione: arra- | tio 53. Capitis Esa- | iae prophetae ex electionibus | Reuerendi patris D. Martini | Lu-i, summa fide et diligen- | tia collecta, Anno 1544 nuc | (hoc 1550 anno) primum in lucem aedita. | pressum Magde- | burgi per Michaelem Lotthe-. | 1550. | In fine: Magdeburgae ex officina Typophica Michaelis Lottheri. (In biblioth. aulica eaque publ. Monacensi. Exeg. Nro. 21n.)

Quae fuerit origo Enarrationis cap. noni Esaiae, pistola cernere licet, qua, Kal. Februariis anno 1546 nburgo data. Johannes Frederus Pomeranus D. olao Amsdorfio, Ecclesiae Numburgensis in Turin- episcopo dignissimo, dedicavit hunc librum. insigne, ille inquit, quod inest in cap. IX Esaiae

de Christo ejusque regno vaticinium reveren Christo pater D. D. Martinus Lutherus ante nium, intermissa per unum atque alterum m Geneseos (in qua explicanda tum versabatur) lectione, id Esaiae vaticinium sub id tempu: in ecclesia salvificae nativitatis memoria ren(diligentius et exactius quam fecerat ante, cı tum Esaiam praelegeret, enarrandum duxit etiam dexteritate, gratia, copia, majestate et enarravit, ut vere hic dici possit, ut Graeci l(tur, *δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι,* id est, po res cogitationes meliores esse.

Eam enarrationem M. Georgius Rorarius ipsius indefessa est diligentia, pro more s ipsius Lutheri ore exceperat, hoc consilio, quando descripta in publicum ad ecclesiae uti ederetur et sic ad posteros quoque transmitt Sed propter alios graves ac multos labores, obruitur, non potuit ipse ea quae cursim exc describere et ad editionem formare atque ex Quamvis enim mire expedita sit illius in scr celeritas et singularis quaedam dexteritas, fieri non potuit, ut singula D. Lutheri verb: peret, et ea, quae in dicendo nihil defor habent, minus gratiae habitura essent, si modo eademque verborum structura ordinisque quae dicta sunt, scriberentur. Ideoque non describendae fuerunt hae enarrationes, sed et dum ea, quae assequi manus scribentis non sarcienda sententiaeque coaptandae, connec atque explendae.

Sed aliis, ut dixi, laboribus districtus ips operam ecclesiae dare non potuit, et cla

ri — D. Doctor Cruciger et M. Vitus Theodorus, ii hoc descriptionum laborc ecclesiam non medio-iter juvant inque hoc genere praestantes artifices unt, tum aliis quoque et gravioribus erant occu-ati, quam ut his vacare potucrint. Cum itaque ec ipse M. Georgius describere posset, nec haberet lium, qui id laboris suscipere vellet, missis ad me is quae exceperat rogavit per literas diligenter, ut d communem ecclesiae et posteritatis utilitatem on gravarer describere.

Quamvis autem nihil tale a me ante tentatum sset imbecillitatisque virium mearum probe mihi onscius essem — tamen cum peteret is a me, cui ultis nominibus sum devinctus cuique negare offi-a mea nefas duxi — ei labori accingor etc".

Enarrationem uberiorem cap. LIII Esaiae edidit rimus Stephanus Tucherus; et qua caussa commo-us hoc opus susceperit, ex fine praefationis patet, uam editioni suae praemisit.

In poenis et afflictionibus, ille inquit, quae ob erbi divini et sincerae veritatis contemtum, prae-ertim in tot Interim exhibitum, certissime insta-unt, „exempla apostolorum et martyrum imitanda obis ob oculos proponere deberemus, et alter alte-rum invitare et excitare ad constantiam in vera religione. Nam profecto frustra somniamus, posse nos Christum praedicare ac nomen ejus confiteri sine persecutione et offensione summorum. Non est, inquit filius Dei, discipulus super magistrum; si me persecuti sunt, et vos persequentur. Et Pau-lus ait, Omnes, qui volunt pie vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur. Ideo oportet nos, ut sacra historia refert, more Israelitarum, cum ex

captivitate restituti civitatem exstruerent, ita accinctos et instructos esse ad proelium, ut altera manu gladium teneamus, altera trullam versemus, hoc est, ut pugnando et resistendo hostibus propugnemus et propagemus doctrinam evangelii Jesu Christi. Ad hoc autem cum multum conferat pia et ex sacris literis desumpta interpretatio sacrae scripturae, en, pie lector, damus tibi doctissimam et piisimam enarrationem 53. capitis Esaiae Reverendi patris ac praeceptoris nostri D. Martini Lutheri, quae a viris integris et verae pietatis summis cultoribus ex ipsius sancti patris ore summa fide et diligentia excepta est. Hoc ergo tam sancto et pio labore feliciter fruere ac in Christo Jesu Domino ac salvatore nostro bene vale. Mense Januario. Anno 1550."

Enarratio uberior capitis IX reperitur etiam in edit. Wittemberg. Opp. Latin. Luth. (anni 1552). Tom. IV, 145, et in Germanicam linguam versa in collect. Lipsiensi. VII, 83. Walch. VI, 145, et Enarratio uberior capitis LIII legitur etiam in edit. Wittemberg. Opp. Lat. Luth. Tom. IV, 266, et in Germanicam linguam versa in collect. Lipsiensi. VII, 369. Walch. VI. 1037. Hanc versionem Germanicam capitis LIII commutare non licet atque commiscere cum versione Germanica capitis LIII brevioris enarrationis, quae anno 1539 primum Wittembergae in lucem prodiit, quem errorem admisit Seckendorfius in German. Historia Lutheran. p. 2806.

Nos in edenda Enarratione uberiore capitis IX secuti sumus editionem originalem Jo. Frederi, nec minus in Enarratione uberiore Cap. LIII reddidimus textum editionis originalis, quae exstant in bibliotheca aulica eademque publica Monacensi. —

ENARRATIO CAP. NONI ESAIAE.

Praefatiuncula.

Instat Domini nostri Jesu Christi dies natalis, qui in ecclesia cum alias semper cum gaudio celebrandus et praedicandus est, tum maxime illis diebus, qui memoriae sacrosanctae et salvificae nativitatis ejus sunt a majoribus nostris hoc consilio consecrati, ut renovetur memoria summi illius beneficii, ineffabilis mysterii, et incomprehensibilis misericordiae ac φιλανθρωπίας Domini, qua Deus ipse creator coeli et terrae in carnem nostram descendere, et per omnia nobis, solo peccato excepto, similis fieri dignatus est.

Hujus inaestimabilis et summi beneficii magnitudo infinita est, et tanta, ut mens humana ejus amplitudinem in his quidem terris totam capere nequeat. Et vel guttulae aliquot hujus inexhausti beneficii et immensae benevolentiae divinae erga nos, a piis cordibus degustatae, vero et solido gaudio animos replent et perfundunt. Eaque gaudia, quae a piis mentibus ex hoc beneficio percipiuntur, anta sunt, ut etiam in alteram illam vitam nos mittentur, utque in illa aeternitate nunquam iis turari et expleri possimus, immo nec angeli his udiis saturari possunt unquam in omnem aeternitem, qui hoc Dei beneficium jugi ac perenni ade celebrant ac depraedicant, nobiscum canunt, etantur et gestiunt, ex animo nobis gratulantes, ntum abest, ut id nobis invideant.

Ideo si ratio valetudinis meae patitur, suspensa

ad tempus historia de patriarcha Joseph, in qua nunc in Genesi versamur, per hos aliquot dies commentabimur de Filii Dei Domini nostri incarnatione, quae opus est omnium operum maximum et miraculum omnium miraculorum augustissimum, et tantum erga genus humanum beneficium, ut prae gaudii magnitudine exspiraremus, si ejus beneficii magnitudinem animo comprehendere et metiri possemus.

Sed in hac vita, in hac imbecillitate id fieri non potest. Nulla vis eloquentiae potest verbis explicare, nulla humana mens cogitatione assequi potest hoc summum beneficium et mysterium, quod filius Dei homo et frater meus fieri dignatur. Quod sic se mihi copulat, sic insinuat, sic unit, tam arcte et tam prope se mihi jungit et affigit, ut nemo in his terris, etiam arctissimo intimae amicitiae vinculo, et sanctissimo summo necessitudinis jure mihi devinctissimus, majore et arctiore necessitudine mihi deditus, familiarior et conjunctior esse queat. Quod plura et majora mihi de eo polliceri et ampliora ab eo exspectare et possum et debeo, quam ab ullo in terris homine mei studiosissimo et cupidissimo. Quod affectus amoris illius erga me in infinitum ardentior est, quam amor amici spectatissimi et constantissimi in amicum, quam affectus fratris in fratrem ex animo dilectum, aut patris pii in filiolum tenerrime amatum esse possit.

Quamvis autem, ut dixi, mens humana ejus beneficii amplitudinem plene concipere et comprehendere, inexhaustumque illum misericordiae et bonitatis infinitae fontem exhaurire nequeat, tamen danda est opera, ut guttulas aliquot degustemus ejus bene-

ii, et ut sugamus ubera instar infantum, lacticiniis-e et cibo molliusculo alamur, donec grandescamus adolescamus in virum perfectum, in mensuram tatis plenae adultae Christi.

In verbi igitur meditatione assiduos et impigros se nos oportet, ut ea beneficia auribus, oculis et rdibus ingerantur, inculcentur, instillentur, affigan-r, memoriaque eorum subinde renovanda, ne eorum livio obrepat, ne torpore languentes tanto bene-io excidamus, nostraque desidia, negligentia et ratitudine inaestimabilia ea bona amittamus.

Ideoque ordinati sunt ab ecclesia stati dies, ibus posthabitis omnibus aliis negotiis et curis, ca quas occupatum est genus humanum post lap-m, hoc omnium maxime mirabile opus Dei, arcano nsilio trinitatis ante omnium rerum primordia, ex dentissimo amore erga nos miserrimos mortales cretum, ac certo praefinitoque tempore exhibitum nsideremus, et inter nos suaviter commentemur hac consolationis plenissima copulatione divinae humanae naturae Christi, quam nulla vox hu-ana, immo nec angelica satis effari potest. At-ie hac ratione non tantum nosmet ipsos console-ır, sed etiam hanc unicam salutem et lucem om-ım gentium ad posteritatem propagare studeamus, emplo prophetae, qui gaudio exsultans in spiritu haec verba erumpit.

pulus ambulantium in tenebris, vidit lucem magnam etc.

Hic textus varie petitus est per satanam, prae-tim a Judaeis. Nec uno modo etiam a nostris positus est. Danda est ergo opera, ut habeamus

puram ac simplicem sententiam, rejectis spinis, sentibus ac tribulis, quibus impeditur, ut certo statuamus, nihil fluctuantes, nihilque dubitantes, de nullo alio posse intelligi hunc locum, quam de filio Dei, nato ex virgine. Nisi is sensus ante omnia constet et statuatur, nullum adfert verum gaudium, nullus fructus sequitur, sed manet dubitatio, quae cum adest, nihil veri gaudii, nihil pacis solidae potest habere mens humana. Nam conscientia ita vult informata et confirmata esse, ut de salutis suae negotio aliquid certi statuere possit, et ut dicere queat, Sic se omnino res habet, non aliter. Si debet fides sibi constare nec vacillare et succumbere, necesse est, ut hoc sensu et hac plerophoria sit imbuta et confirmata mens. Si alius aliusque sensus ac nasus affingitur textui, tum tollitur universa consolatio et ipsum fundamentum gaudii. Ideo laborandum summo conatu est, ut habeamus purum, simplicem, germanum et unum sensum scripturae sanctae, ubi haberi potest, ut certe hic potest haberi.

Judaei exagitant nostros, et dicunt, non recte hunc locum a nobis de Christo allegari, quia possit et debeat intelligi de alio. Sed quaero, Dic, de quo alio intelligi debeat. Quod est illi nomen? Ezechias, inquiunt; hujus enim praeceptor Jesaias fuit, hunc Jesaias educavit in spem maximam. Hic dono datus est futurus rex justitiae et pacis, is et rex fuit pacificus, pius justusque. Ergo de eo potest ac debet intelligi hic filius, quem dicit datum esse. Populus etiam ejus temporibus laetatus est de occiso exercitu Assyrii regis, de Senharib a filiis trucidato, de spoliis in bello collec-

tis. Tum etiam vestimenta et omnia sanguine polluta etc. Hae causae (inquiunt) fuerunt magni istius gaudii, quod Esaias hic describit.

Haec est Judaeorum de hoc textu sententia. Sed plane et toto coelo errant. Et qui hunc judaicum sensum tenet, is amisit et verum textum, et summum gaudium, quod hic textus nobis suppeditat. Has fabulas et nugas refutat ipse textus erroris que Judaeos apertissimi convincit. Loquitur enim de tali infante et filio, qui natus et datus sit nobis, qui sedeat super solium Davidis, ut corroboret et confirmet illud usque in sempiternum, cujus regnum multiplicetur, et pacis ejus non sit finis.

Hic responde mihi, Judaee, et quisquis es, qui labefactas textum, et alio eum quam ad Christum detorques, an Ezechias multiplicaverit suum imperium? an habuerit pacem sine fine? Da illum, qui sit princeps pacis, et quidem aeternae, et rex justitiae, et quidem aeternae. Da, inquam illum. Haec enim sunt clara verba, Multiplicabitur imperium ejus, et pacis non erit finis. Non sunt tibi verba prophetae invertenda, non tibi lingua ejus contorquenda et infringenda est, Judaee, non est, quod doceas et formes os ipsius. Clarius hic loquitur, quam ut ejus sensum corrumpere et in tuam sententiam detorquere possis. Est, inquit, puer nobis natus, et filius datus nobis. Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis.

Idem repetit angelus Luc. 1. dicens ad Mariam, Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ipsius, regnabitque super domum Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis. Regnum hic sine fine

datur, et datur uni Homini, non successioni, datur uni Infanti et Filio huic sine prole. Una haec duntaxat est persona, sed ea est per se aeternus Rex, et Rex aeternae justitiae et aeternae pacis.

Quid potest hic contradici vel a Judaeo, vel a ratione, aut ab ullo homine? Imperium semper multiplicabitur, inquit, (etsi hoc multiplicare potest eludi, ea tamen, quae sequuntur et cohaerent, eludi non possunt) aeternum erit regnum, habens aeternam pacem, justitiam, judicium. Repete jam ab ultima memoria omnes reges, Josiam, Ezechiam, Salomonem, Davidem, et quotquot fuere, cui haec possint aptari, certe nullum habebis.

Nec datur huic filio pater nec mater (esti datur, non tamen nominatim), nec dicit, quod hic filius aut haec proles sit habitura haeredes successores. Nihilo secius habiturus est regnum aeternum in multiplicatione, et regnum aeternae justitiae ac vitae. Hic alius esse non potest, quam Dominus Jesus Christus, Salvator noster, et nemo alius praeter ipsum. Qui haec invertere et refutare possit, prodeat. Vellem equidem libenter eum videre et audire, sed nemo prodibit unquam. Alius enim quam Dominus ille noster non potest inveniri, qui puer natus est, id est, vere homo fuerit, sederit super thronum Davidis, ac regnaverit super domum Jacob, et angelus Lucae 1. clare haec verba interpretatur, ubi dicit, Dabit illi dominus sedem David etc. Haec non sunt angeli verba, aut tum ab angelo primum omnium prolata, sed sunt ex hoc loco deprompta, non enim tam suis quam prophetae usus est verbis.

Consequentia igitur manifesta et irrefragabili

oncludit hic textus, quod oporteat hunc puerum t filium esse naturalem et verum déum, quia aeteram pacem dare, aeternam justitiam adferre, in eternum regnare, est in regno Dei sedere; et hoc olus facit Deus, haec in solum competunt Deum; einde et naturalem et verum hominem esse, quia st filius Davidis etc.

Magna luce et incredibili revelatione spiritus ancti illuminatus fuit Jesaias, cum tam clare et xacte descripserit et humanitatem et divinitatem hristi. Et ut Jesaias, sic et alii prophetae satis lare praedicaverunt et inculcaverunt Messiam verum eum et omnium Dominum esse, sicut et nos praeicamus. Sed sicut nostri Papistae audiunt et crelunt, sic et Judaei. Verum haec incredibilis et naxima Judaeorum malitia et obstinata pervicacia st et impietas, quod non solum prophetas legunt, ed hodie etiam audiunt tam clare doceri, tam manifeste probari, Christum verum Deum et hominem, et tamen tanto studio manifestissimum textum corrumpunt et depravant.

Sunt et inter Christianos, qui hic judaizant. Nunquam credidissem futuram tantam ignorantiam et socordiam in nostris episcopis et pastoribus, ut sinerent Judaeos contra hunc tam apertum textum adeo praevalere, ut etiam Christianorum quorundam idem subverterent et in religionem Judaicam perraherent. Diligenter itaque et saepe haec inculanda sunt populo, ut sit munitus contra Judaeos t Mahometistas, ut si quando in certamen cum udaeis descendendum esset, potenter eos convinere possint.

Primum igitur omnium hoc agendum, ut vepres

et spinas, hoc est, opiniones falsas resectas et revulsas abjiciamus, et repurgatum habeamus textum, ut certo statuamus Jesaiam loqui de uno solo Domino Salvatore nostro Jesu Christo, qui verus Deus et homo est. Si enim de ineffabili Dei misericordia gaudere volumus, necesse est, ut hoc statutum nobis sit et persuasum, necesse est, ut hoc prae omnibus certum ac fixum sit, quod simus fratres et socii angelorum, et domini diabolorum, domini orbis terrarum, mortis, inferorum, peccati. Utitur enim propheta magnificis et singularibus verbis, Jugum oneris ejus, inquit, et virgam humeri ejus, et sceptrum exactoris ejus superasti, item, Puer natus est nobis.

Magnas sane, immo longe maximas res per hunc filium gestas, esse haec verba testantur, sed non sibi gessit, quae gessit, non sibi hic consuluit, non sibi reservavit, quod peperit, sed quidquid hic fecit, quidquid laboris et aerumnarum exhausit, quidquid oneris in sese suscepit, id nostra causa fecit, nobis hic consuluit. Justitiam et pacem aeternam, regnumque aeternum nobis hic peperit et promeruit.

Sed quomodo, (inquis) peperit et attulit illa mihi? quomodo futurus sum aliquando ejus justitiae, pacis, ac regni particeps? quibus ad ea viis perveniendum est mihi? Ego non justitiam, sed peccatum sentio in carne mea, et in peccato sum mortuus, et video in peccato mori peccatisque captum esse totum genus humanum, sentio in mea carne me sollicitari, captivari, et rapi ad avaritiam, superbiam, libidinem, adulterium, breviter, nihil nisi peccatum sentio. Ubi hic tollitur peccatum et quomodo?

Unde ergo justitia? Per legem? At lex duplicat hoc malum, peccatum irritat et auget, iram et mortem exasperat. Quia peccator peccati sui magnitudinem sentiens et judicium legis audiens non potest non opprimi morte, animo consternari et concidere. Est enim haec legis sententia irrevocabilis, Maledictus omnis, qui non fecerit omnia, quae scripta sunt in libro legis etc.

Lex itaque nihil aliud potest, quam mortem adferre et occidere, est exactor et carnifex crudelissimus et immanissimus, torquet, excruciat, excarnificat, exagitat, et angit peccatorem miserrime. Non in ea invenio solatii, consilii, spei, remedii, aut refocillationis quidquam. Si fugio, effugere tamen non possum, medius ab ea constrictus ac vinctus teneor, pro uno daemone offerunt se mihi septem, ita ut nusquam pateat effugium, nec in lege ullum sit peccatori praesidium.

Quid igitur hic spei, quid hic remedii? Nusquam quidquam nisi in solo Christo. Hoc uno sustentor, hoc me consolor, quod hic rex habet nomen et titulum hunc, quod sit rex justitiae et pacis aeternae. Hinc autem habet hunc titulum, quod eam justitiam et pacem mihi attulit. Ubi peccatum et mors est, ibi justitia et pax esse nequit, ideo necesse est, ut hic rex justitiae et pacis aboleat mortem et peccatum, alioqui nihil est spei, nihil consilii, nihil remedii. Nulla alia via, nullo alio medio ad aeternam illam justitiam et pacem perveniri potest. Si peccatum et mors sint amota, non potest esse illa pax aut quies. At ea amota, deleta, abolita et extincta sunt per hunc regem.

Haec summa est evangelii, quae in hoc textu

est comprehensa, quod per Christum sumus liberati a morte, peccato, lege et inferis, ac translati in regnum vitae, justitiae ac pacis. Item gloriamur nos filios esse Dei, Deum esse patrem nostrum, Christum fratrem, nos cohaeredes Christi, judices angelorum, principes diabolorum. Omnia nostra sunt, nos autem Christi, inquit apostolus 1 Cor. 3.

Sed quis haec credit? Judaeorum, et propriae etiam nostrae opiniones et dubitationes impediunt et prohibent, quo minus tam constanter haec credere, et nobis certo persuadere possimus. Abjectis itaque Judaeorum erroneis et impiis opinionibus, sepositis et nostris speculationibus, argutationibus rationis nostrae ac dubitationibus, de solo Christo textum loqui non ambigamus. Si in solo Christo manserimus, tum verba textus, si non vino inebriaverint nos, certe ubera praebebunt, et lacte nos reficient et alent.

Haec dixi, ut amolirer omnes alias opiniones, utque certo statueremus prophetam hic de solo Christo loqui, ut hoc firmum fundamentum stet, quod solus Christus sit rex justitiae et pacis aeternae. Nullus mortalis rex habuit aeternam pacem, nec dare eam potest, nullus habuit aeternam justitiam, nec dare potuit, nullus vicit mortem et peccatum, nullus legi satisfecit, nullus potuit aut potest conscientiam liberare a pavoribus et tremoribus etc. Ergo standum et haereudum in grammatica ac sensu literali, nec aliter hic locus intelligatur, quam de hoc uno rege, qui sit vere filius Dei, immo Deus ipse, plenus gratia et veritate, et tamen homo, quia puer natus est etc.

Jacto nunc hoc fundamento accedamus ad tex-

m. Praecedentia de primo tempore non repetenda, ed omittenda duxi, disputari enim potest, an intelligi debeant de captivitate Assyriaca, an de alia. aput auspicari volo ab hoc loco.

opulus qui ambulabat in tenebris, vidit ucem magnam, Habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est.

Magna sane haec παῤῥησία, magna audacia est ancti hujus prophetae, quod populum suum Mosi iscipulos appellat tam contumeliose dicens, eos ambulare et habitare in tenebris et umbra mortis. Hanc ocem spiritus sancti non potest ullo modo ferre undus, quod sit populus ambulantium in tenebris. testantur et praesentia tempora. Quod dicimus papam, In tenebris es, erras, id ferre non potest, c Turcae id ferunt; quod dicuntur esse in tenebris erroribus, opponunt suas luces, suum Alcoranum; mines sapientes suam sapientiam, sua jura civilia leges, quae sunt pulcherrimae stellae et luces. m, medicina, sapientia, artes, stellae sunt pulerrimae.

Judaei opponunt legem, jactant se Mosi discilos, ac dicunt, Nosne in tenebris ambularemus? tin' sanus es, Esaia, qui haec audes pronuntiare discipulis Mosi, de populo et peculio Dei? Qui ssunt tam imprudentes voces tibi excidere? Certe pulus lucis sumus, et in luce ambulamus. Habes patrem Abraham, habemus prophetas. Qui tur caeci essemus? Quomodo in tenebris amlaremus?

Propheta nihil motus omnibus illis gloriationibus patribus, de lege, de peculio, de sapientia con-

cludit et involvit omnes homines, Judaeos et gentes, in hanc miseriam et deplorandum vitae statum, quod sint caeci, insipientes, ignorantes, impii, stulti, in summa, quod ambulent in tenebris. Quis hoc ferret?

Sed propheta loquitur de alia luce, sapientia, justitia, pace, quam de humana sapientia, luce, ratione aut de omnibus, de quibus gloriari potest homo, aut de donis, quibus homo praeditus est, etiam de lege. Longe alia lux haec sit oportet, quam puer et filius hic adfert, qua obruat et illuminet tenebras. Qualis est autem? num sapientia mundi? num lex Mosi? Minime. Sed lucem adfert de pace aeterna, de justitia aeterna et de regno aeterno.

Moses illuminat suam politiam justitia caeremoniali et legali divinitus mandata. Papa illuminat suam quoque lanternam, seu potius cloacam suis decretis et decretalibus, Mahomed suam Alcorano suo, gloriantur et philosophi de sapientia, de luce rationis. Sed ea lux, ea sapientia nihil est, omnia temporalia sunt, omnia morti obnoxia. Nullus rex Judaeorum, nulli monarchae, quantumvis potentes, attulerunt lucem pacis, justitiae et vitae aeternae, quam infans et filius attulit. Omnes igitur homines in orbe terrarum, Judaei et gentes, quantalibet polleant justitia, sanctitate, sapientia, potentia, ambulant in tenebris. Sin autem Judaeorum populus ambulat in tenebris, quid gentes gloriarentur? Si lex Mosi non illuminat, multo minus sapientia et lumen rationis.

Haec est prima machina, qua destruit propheta quidquid est lucis, sapientiae, rationis etc. Ex hoc loco igitur sequitur, quod locutus sit propheta de

tali infante, qui non daturus aut allaturus esset legem, vel regnaturus politice, sed quod loquatur de domino aeterno, rege aeternae pacis et justitiae.

Judaei prorsus nihil habent hujus argumenti et summae textus, nec quicquam integrum et incorruptum esse sinunt, sed singula verba depravant. Tenebras intelligunt peccatores, et post affingunt legem Mosi futuram aeternam, etiam tempore Messiae non auferendam, sed stabiliendam et conservandam una cum templo, caeremoniis, sacrificiis et cultibus. Breviter, somniant Messiam talem futurum regem, qualis fuit Salomon. Ideo nihil sani est inter eos.

Quare rejectis ipsorum nugis audiamus prophetam, quid de parvulo illo nobis dato concionetur. Is unus, inquit, infans, una illa persona, sine filiis, naturalibus haeredibus, erit rex aeternae justitiae. Si talis est futurus Messias, scilicet aeternus rex, ergo non mortalis aut morti obnoxius, ut somniant Judaei, Messiam ac filios ejus morituros esse. Sed hic textus non mentitur, ubi dicit, Vivet et regnabit in aeternum, et in aeterna justitia ac pace.

Johan. 12. ubi Christus dicit, cum exaltaveritis filium hominis, interrogat populus, quis est iste filius hominis, quem dicis exaltandum? Nos audimus in lege, quod Christus manet in aeternum. Hi Judaei tempore Christi habuerunt bonas et veras cogitationes de Messia, non tales, tam stultas et impias, quales habent Judaei, qui hodie sunt, qui putant Messiae regnum corporale, et eum mortalem regem futurum. Contra Judaei Christi temporibus sic ratiocinabantur, Christus non potest

suspendi, quia mansurus est in aeternum. Ergo contra legem et prophetas judicant dici, quod esset exaltandus aut occidendus. Haec inculcata per sinceriores doctores haeserunt in populo, et hanc de Messiae aeternitate persuasionem ex hoc loco quoque et similibus locis prophetarum hauserunt.

Plane ergo insani et omni mente capti sunt Judaei horum temporum, quod contra majorum suorum doctrinam et sententiam dicunt, Messiam futurum mortalem, deinde legem non auferendam, sed stabiliendam esse velut lucem aeternam. At Messias si futurus est mortalis, certe rex aeternae justitiae esse nequit, item, si lex perpetuo est mansura, cur Christus promissus est patribus ante legem, qui allaturus erat aliud genus doctrinae melius quam lex erat? Hic videre est, quanta sit illorum, quam stupenda et horrenda caecitas, quam scripturam omnino non intelligant. Agamus igitur nos Deo gratias, quod scimus Messiam esse verum Dei filium, immó verum Deum, et propter nos factum hominem, et habitasse in nobis, ut videremus gloriam ejus etc. Johann. 1.

Judaeos igitur negantes Christum regem aeternum et ejus regnum spirituale esse, propheta hic ut in densis et profundis tenebris ambulantes compellat, dicens, Vos Judaei stulti et caeci, somniatis Messiam futurum monarcham mundanum, qualis Alexander et Augustus fuit, item legem futuram aeternam lucem cum suis sacrificiis, templo, caeremoniis ac cultibus; sed longe et toto coelo erratis. Veniet enim suo tempore Messias, lucem aliam longe excellentissimam et clarissimam allaturus, quae has tenebras et populum in tenebris

ambulantem est illuminatura. Ac vos estis ille ipse Dei populus, vobis factae sunt promissiones, vobis facta de hac luce spes. Sed lux illa nondum manifestata est, spiritus sanctus nondum datus, lux ergo nondum orta est, sed orietur.

Lucem autem vocat cognitionem justitiae, pacis regni aeterni. Hac luce mentes nostras illuminari necesse est. Si hanc de Christo, de justitia illa aeterna, omnibusque ejus mihi partis beneficiis cognitionem, seu hanc lucem non habeo, qua omnes sancti praediti sunt, tum nihil superest spei, nihil in tota rerum universitate auxilii aut remedii, tum in mortis hora et agone illo extremo nihil, quo me consoler, habeo, tum de salute desperandum erit mihi, non potero coram Dei judicio consistere, non potero effugere legis accusationem, non potero liberari a potestate satanae, non potero dominari peccato, morti, diabolo, et malis omnibus propter peccatum humano generi incumbentibus.

Cum autem Christus sanguine suo ab omnibus peccatis nos mundavit, sua gloriosissima victoria mortem superavit, legem cruci adfixit, statuere nunc certo possumus, iram Dei placatam esse, et nos ei reconciliatos per filium, ut nihil in nos amplius juris lex sibi vendicare nec ullam in nos accusationem stringere, ut satan nullam in nos tyrannidem exercere, peccatum et mors nos sibi non subdere, non nobis dominari queant, ut in mortis hora de salute aeterna spem certam concipere possimus.

Haec scire, hac de Christo cognitione praeditum esse, est lux illa, qua piorum mentes spiritus sancti afflatu et opera illuminantur. Si haec

non sciuntur de Christo, tum Christus nihil proderit. Si haec mihi in Christo non essent speranda, sed sapientia tantum aliqua moralis aut politica prudentia in illo expetenda, nihil morarer Christum, et nollem eum habere, sed potius librum aliquem juris mihi in ejus locum deligerem. Sunt enim in lege civili praeclarae et insignes sententiae de virtutibus, meliores quam in Canonibus. Aut legerem libros aliquot philosophicos, aut Ciceronis officia, qui libelli Ciceronis egregia habent ethices et morum praecepta, et in hoc genere praestantissimum est scriptum, nec quidquam eo melius ad vitae honestatem, ad morum suavitatem atque humanitatem discendam proponi potest juventuti.

Si itaque non aliam lucem quam humanam mihi adferret Christus, non magnopere illum expeterem, nec sane ullus ejus esset usus, cum, ut dixi, tot philosophorum, tot prudentium virorum, juris ac legum peritorum, praeclara monumenta posteris relicta nos tanta luce ac sapientia instruere possint, quanta ad hanc vitam bene ac beate exigendam est necessaria.

Sed longe alia haec est lux, quae hic promittitur, quae a Christo exspectatur. Ea est sapientia sapientiarum, cognitio cognitionum, quae docet nos quid sit peccatum, quae ejus vires, quomodo id aboleatur. Docet item, quid sit mors, et quomodo inde liberemur, docet quid sit diabolus, quae ejus tyrannis, et quomodo idem vincatur, quomodo ejus tyrannidi eripiamur, docet nos quid sit homo, quid caro, quid spiritus, quae vera solida et aeterna pax atque justitia.

Haec omnia posse discernere, item scire, quo

nodo e captivitate legis in liberrimam libertatem, de norte in vitam, de peccato in justitiam debeas transerri et traduci, et quod post hanc vitam sis cum Deo aeternam vitam in summa gloria, pace ac gaudio victurus, ea demum est vera lux, et vera sapientia humanae omni sapientiae, quantumvis excellenti et admirandae, longe anteferenda, immo nulla sapientia humana cum hac coelesti et divina uce ullo modo conferenda est.

Quid est omnium philosophorum sapientia ad haac collata? Quid hujus universa omnium sapientum sapientia praestare potest? Quid profuit Ciceroni et philosophis doctrina ista pulcherrima, plena sapientia et cognitione dignissima de moribus, de disciplinis, de artibus, cum illis non luxerit ol et lux haec aeternae sapientiae? Cicero praeclare scripsit ac docuit de virtutibus, prudentia, temperantia ac reliquis., item et Aristoteles praeclare et rudite de ethicis. Utilissimi quidem libri utriusque, l ad vitam hanc exigendam summe necessarii.

Sed ex eorum scriptis, quantumvis praestantius, vera tamen illa sapientia disci non potest, n enim docent me, quomodo liberari possim a ccatis, morte et inferis, non possunt conscientiam ciam serenare et pacare, non possunt viam perviendi ad Deum in regnum coelorum commonstrare, a possunt vera Dei ac mei ipsius cognitione me ouere.

Si de his consilium inires cum sapientissimo, i unquam inter praestantes illos philosophos extit, si peteres tibi ostendi rationem perveniendi Deum, evadendi aeternam mortem, ut immortaesses et aeternis gaudiis in regno coelorum cum

Deo perfruereris, si, inquam, de his, de hac sapientia ac luce consuleres aut percontareris sapientissimum philosophum, nihil haberet, quod tibi hic respondere posset, et, nisi vanus esset, aperte se de his nihil scire certo fateretur.

Scripserunt quidem Cicero ac alii quidam de animae immortalitate, sed alicubi tamen produnt se, quod illam ipsam animae immortalitatem non constanter crediderint. Sic enim scribit alicubi Cicero, In morte nihil mali est, in qua si resideat sensus, immortalitas illa potius quam mors ducenda sit; sin sit amissus, nulla videri miseria debeat, quae tunc sentiatur. An non hic ambigere et dubitare videtur? Certe corpus ipsum mori et interire prorsus putaverunt, nec de ejus resurrectione quidquam sciverunt.

Ego vero non anima tantum, sed corpore etiam volo vivere, das corpus will ich mit haben, corpus volo reddi animae et ei conjungi, quod nunc peccatis, miseriis et calamitatibus hic in terris onustum circumfero. Si quid de his et de corporum resurrectione interrogaretur philosophus, nihil esset, quod responderet. Da ist Niemand daheim. Mutus esset futurus ad has quaestiones, quia, ut propheta hic dicit, est populus ambulantium in tenebris.

Verum ubi filius ille venit, is veram illam lucem, veram sapientiam adferet, is dicet, Confidite; ego vici mundum, Ego vivo, et vos vivetis. Is est justitia, is est salus, is est felicitas, et beatitudo nostra aeterna, is promeruit et peperit nobis regnum coelorum. Ubi igitur angunt me peccata, ubi mortis horrore concutior, ubi inferorum metus animo obversatur, statim habeo, quo confugiam, habeo,

quem his omnibus opponam, nimirum Christum dominum meum. Per hunc peccatum est mihi credenti abolitum, mors exstincta et expulsa, inferi subversi, diabolus victus.

Sumus captivi sub lege, peccato et morte. Hi tres hostes gravissimi sunt tyranni, valde omnibus piis infesti. Nemo unquam fuit e piis, qui secundum carnem non sit ab his tyrannis perterritus, divexatus, excarnificatus. Quid hic consilii? Quid faciundum hic est nobis, cum hi hostes nos impetunt? Nihil usquam est consilii, nec acquiesces unquam nisi apprehensa voce hac, Christus rex parvulus natus est, Filius datus est nobis, qui dicit, Ego vivo, et vos vivetis. Ubi hunc audiunt filium nominari, mors, peccatum et lex statim expavescunt, terrentur, consternantur, fugiunt, nec ferunt hujus filii mentionem fieri, quia lex, peccatum et mors hunc puerum accusaverunt, in crucem subegerunt et occiderunt, sed insontem et immerentem. Vincere illum et dominari illi voluerunt, sed impegerunt in illam lucem, in divinitatem ipsam, quae non potuit peccare, quae non potuit mori, quae non potuit legi ullo modo subjici.

Quod itaque se accusari, quod se in crucem affigi, quod mori sustinuit, id nostra causa fecit; luit et satisfecit is infans pro omnibus, is filius captivam duxit captivitatem. In hunc filium credo, ergo tantundem juris in me habent lex, peccatum et mors, quantum in hunc filium, hoc est, juris omnino nihil, cum is innocens pro me dependerit. Hoc ipso, quod innocentem hunc occiderunt, omne suum jus contra me amiserunt. Coram hoc mors, peccatum, lex consistere non possunt; victa sunt

mors, peccatum, lex per hoc verbum, Puer natu est nobis, filius datus est nobis. Sic omnia confli unt in hunc filium, totum salutis beneficium il acceptum ferendum.

Ad hunc modum tractabimus hunc textum i consolationem nostri, et ut confirmemus fidem (spem nostram. Argumentum itaque, ut dixi, se subjectum, ut Aristoteles vocat, hujus loci, quei tractandum et explicandum suscipimus, est de ir fante, de filio, qui sit rex futurus super thronu David et regnaturus in aeternum. Haec sunt clari sima verba, quae non possunt labefactari et negai Hoc argumento posito, de quo Esaias per totu librum suum multus et copiosus est, et locum hu recte intelligere, et consolationem inde solida percipere possumus. Ad hunc itaque scopum, propositionem hanc primariam loci hujus vocabu et versus omnes apte quadrant, atque ultro etia ad hanc sententiam se applicari patiuntur. Et quic quid contra dicitur, est alienum, immo manifest diabolicum.

Et quia argumentum non patitur ista dici au ullo modo intelligi de corporali aliquo hujus vita vel temporis rege, neque de Salomone, neque Josi neque Ezechia, neque ullo alio, ergo includitur hi et resurrectio mortuorum, et vita post hanc vitam

Populus, inquit, ambulantium in tenebris vidi lucem magnam. Lux haec, ut dixi, non potes intelligi de hac luce corporali, sed de aeterna. S de aeterna, ergo futura est alia vita, et ea immor talis. Et nisi illa lux intelligatur de aeterna, pug naret contra hunc regem, cum enim aeternus s rex, necesse est lucem illam esse quoque aete

iam, vel eam durare ad vitam aeternam, vel esse ucem de aeterna vita, aeterna justitia, aeterna pace. Sic, inquam, necesse est lucem illam hic accipi, ne vocabula seu membra dissentiant et dissideant a corpore sententiae et textus.

Porro, Populus in tenebris ambulans principaliter est populus Judaicus, deinde gentilis, ut Paulus solet loqui, Judaeo primum et Graeco. Judaei quidem ambulant et sunt sub lege, multa faciunt, zelum Dei habent, sed non secundum scientiam. Et hoc proprie est ambulare in tenebris, cum sic opera cumulantur, cum sacrificatur, cum jejunatur, et nihil non fit, sed sine luce, sine illius infantis regis et ejus justitiae ac pacis aeternae cognitione. Ibi tum omnia sacrificia, omnia jejunia, omnium operum quantumvis difficilium et multorum studia nihil sunt nisi merae tenebrae.

Judaei indignissime ferunt, quod omnia illorum opera, omnia sacrificia, et rituum reliquorum quantumvis superstitiosa et diligens observatio sint tenebrae. Insaniunt et gentes, cum audiunt, apostolos, vile genus hominum in speciem, nulla externa autoritate pollentes, nullo splendore oculos hominum praestringentes, praedicare hanc lucem, quod unica sit vera lux, vera et unica veritas agnoscere Christum illum crucifixum esse Davidis filium et aeternum aeternae justitiae et pacis regem, et in hunc olum esse credendum. Haec docentes omnis generis onviciis impetiti sunt. Hic clamabatur, eos cum mni ratione pugnare et insanire, imperia evertere, rbem terrarum conturbare. Quid? Tum patres et iajores nostros damnares? Certe ambulaverunt ii in sapientia et justitia eximia, fuerunt viri sa-

pientes et justi. Has pulcherrimas virtutes quo ore tu tenebras appellare audes? Sed Esaias nihil moratus offensiones illorum sic loqui gaudet etc.

Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.

Quam? Num lucem solis? num lucem hujus vitae et rationis? Non. Sunt quidem etiam hae luces praeclarae. Solis lux communis est hominibus et pecudibus, et est illa quidem lux hujus mundi clarissima, sed nihil est ad lucem regni et justitiae aeternae. Sol luxit jam quinquies mille quingentos et quadraginta quinque annos, sed nullum hominem illuminavit ad vitam aeternam. Sunt quidem egregia lumina, lumen solis et rationis. Quis ista lumina non agnosceret esse praeclara? quis contemneret? quis non admiraretur tantam lucem solis, quae totum orbem terrarum illuminat? Si nulla esset, aut si ad paucos tantum dies nos destitueret, quis cuperet vivere? Ut autem solis lumen praeclarum et admirabile est, sic et rationis lumen, et quidem multo praeclarior lux est ratio, quam solis, immo ratio est coelum quoddam plenum luce, stellis, cum sua sapientia. Quod sol non potest, potest ratio. Et tamen ut candela aut lucerna aliqua vix illuminat punctum, respectu solis, qui clarissime distinguit colores rerum, et facit differentias, ita haec praeclara et admirabilia lumina solis et rationis sunt vix lychni, lucernulae, aut cereoli, comparata ad illam alteram lucem, de qua hic loquitur propheta.

Haec enim vere lux illa magna est, quia docet et illuminat corda nostra, non lucet nec illuminat

ad eum modum, quo sol aut ratio lucent et illuminant, quorum neutrum de aeterna justitia, vita et pace quidquam lucis habet. Sed ita lucet lux illa magna, ut sciam peccatum damnatum, mortem exstinctam, infernum vastatum, diabolum victum et captivum, et hominem liberatum a tyrannide istorum hostium omnium per infantem et filium hunc. Haec demum est et vocari potest merito lux magna, quae nos docet, quomodo peccatum, mors, infernus, satan vincatur, quae docet nos de aeterna illa justitia, pace et vita, quae inenarrabilia beneficia adfert et donat nobis puer natus. Haec certe longe et in infinitum sunt majora, supra omnia ea, quae rationis ulla sapientia docet.

Hoc vult Esaias, ubi lucem vocat magnam, qua voce ejus lucis majestatem omnibus illis, quae lucis quicquam habent, praeferre et eam lucem nobis commendare voluit. Versatur enim in argumento de illo regno aeternae justitiae, vitae et pacis. Ideo loquitur de luce istius regni propria, quae est ipse Christus, ille est lux vera, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. Sequitur:

Habitantibus in terra umbrae mortis lux orta est, aut splendet super eos.

Est tautologia, idem est enim: Videt populus lucem magnam, et splendet super eum. Eadem autem repetit duplici oratione, ut significantius explicetur ista lux. Es ist ein groß Licht, und scheinet trefflich helle. Cum dico, Magna lux est et valde clare splendet ac micat, idem dico duabus orationibus, sed lucis magnitudo altera oratione adjecta magis augetur et significantius explicatur, ut dixi.

Diserte autem addit, in terra Zalmaveth *), id est, umbrae mortis. Habitant in terra Judaei et gentes, sedent in regno, non sunt peregrini, non vagi incertis sedibus circumerrantes, sed habitant in terra, hoc est, sunt in certa sede, in certo regimine ac politia, in sua luce suae sapientiae, justitiae et pacis, sed singulari beneficio Dei, qui mirabiliter regna et politias conservat, alioqui mera essent diaboli confusio.

Conservante itaque Deo habent status politici sapientiam, gubernationem, lucem rationis, habent et pacem nonnunquam per multos annos, habent suos reges, suos gubernatores civiliter sanctos et justos. Regnum Babylonicum, Assyrium, Persarum, Graecorum et Romanorum luce rationis gubernata sunt, habuerunt principes et gubernatores praecellenti sapientia, et externa illa justitia conspicuos, sed habitaverunt tamen in terra. In qua? In terra Zalmaveth, id est, umbrae mortis.

Ebraei disputant, an צַלְמָוֶת [1]) significet tenebras vel umbram mortis, sed nos cum S. Luca et LXX interpretibus in hac sumus sententia, quod proprie significet umbram mortis. Sic enim proprie S. Lucas vertit in cantico Zachariae ex hoc Esaiae loco.

Non loquitur autem propheta de illis, qui jam mortui sunt, nihil illi ad nos, sed vocat tenebras ipsum regnum hujus mundi pulcherrime illuminatum sole hoc et ratione, quae septuplo etiam sole pulchrior et praestantior est; vocat sic prudentissima

---

*) צַלְמָוֶת

1) In ed. 1546: Zalmaveth.

ac sapientissima rationis seu hominum sapientissimorum consilia et leges.

Ratio maximum et inaestimabile est donum Dei, nec ea, quae in rebus humanis sapienter constituit et invenit, contemnenda sunt. Si ad votum et sententiam omnia succederent, si consilia ejus tam feliciter ac bene caderent, quam sunt sapienter ac prudenter cogitata, tum sane magnum et praeclarum quiddam praestaret. Potest regna et respublicas condere, legibus utilibus ea sepire et stabilire, bonis consiliis, salutaribus praeceptis moderari et gubernare, multa praescribere ad conservationem rerumpublicarum, et societatis humanae utilissima. Sed tamen non semper illius consilia succedunt, nec tot tamque salutaribus et acribus legibus munit politias ac regna, ut in officio improbos continere possit, ut non multa quotidie desiderentur, ut non saepe peccetur. Optima consilia saepe in diversum et contrarium cadunt, si rationis, inquam, consilia successum secundum haberent, tum sane haberet, quod gloriaretur, cum autem tam raros habeant illius etiam optima consilia successus, lux quidem est ratio, sed lux non lucens.

Quamvis autem in suo genere sit lux, tamen hic a propheta haec lux vocatur tenebrae. Estque revera ad coelestem illam lucem collata ratio nihil aliud quam merae tenebrae, et caligo densissima, hoc est, nihil per se intelligit istius spiritualis sapientiae, justitiae et pacis. Quae sit Dei erga nos voluntas, certo constituere non potest, quae sit vera pax, quae vera coram Deo justitia, non novit. In his tenebris et Judaei et gentes ambulant, ut scriptura

testatur, omnes peccaverunt etc., item, Conclusit Deus omnes sub peccatum etc., et hoc loco propheta, Habitantibus in terra umbrae mortis etc.

Quare haec vita est vita in terra habitantium, ambulantium, gubernantium, quorum multi quidem justitiae et sapientiae nomine sunt conspicui, sed omnes tamen illi sunt in tenebris aut in umbra mortis, quod idem est. Tenebras enim scriptura vocat umbram mortis, sive per periphrasin, sive emphasin, sive tapinosin.

Umbra autem per se non triste nec odiosum est vocabulum, in aestate enim nihil gratius et jucundius, quam umbra obumbrari. Nihil itaque mali, duri., inauspicati et horrendi in se haberet vox ipsa umbra, si sola hic posita esset, sed additus est genitivus alterius cujusdam vocis valde tristis et terribilis, videlicet mortis. Hic genitivus aufert voci umbrae, quidquid habet grati et amoeni, et vocem per se jucundam et gratam facit teterrimam, funestissimam et horrendissimam. Primo quidem gustu videtur suavis et salubris potio, sed vox mortis addita philtrum esse et potionem veneno infectam indicat. Est panis seu caruncula in speciem pulchra et appetitui grata, sed cave ne species te prima seducat, quia venenum subest.

Umbrae igitur vox in scripturis saepe in optimam partem pro refrigerio, defensione, tutela usurpatur, et gratissima ac pulcherrima vox est. Sed vocabulum mortis additum bellam illam umbellam minime bellam, sed tetram et horrendam facit, quia vox mortis est tetra, odiosa et horrenda res.

Si ergo definire voles tenebras tapinosi, nihil est nisi umbra mortis, quia mors nihil est aliud

quam tenebrae. Sic Hiob, In tenebris stravi lectulum meum. Si lux solis obtenebresceret aut desineret, si non luceret mundo sol, si vivendum esset sine sole, tum vita nostra non vita esset, sed ipsissima mors et umbra mortis.

Sic tenebrae vocantur umbra mortis, quia omnes, qui sunt in morte, sunt in tenebris. Talis autem est haec vita, etiam omnimodis commoditatibus affluentissima, et omnis generis voluptatibus cumulatissima. His tenebris obducti sunt, et in hac tetra mortis umbra sedent omnes homines, non solum calamitosi, insipientes, peccatores, sed humano more etiam sapientissimi, justissimi, potentissimi, in terris nondum verbo illuminati.

Sic Lucas clare ostendit se loqui de hac vita, Illuminare his qui in tenebris sunt, aut (ut Esaias habet) sedent, id est, habitant. Johannes Baptista non est missus ad defunctos jam vita, aut ad eos, qui diem suum per mortem corporalem obierant. Et tamen pater ejus Zacharias dicit, Et tu, puer, propheta altissimi vocaberis, praeibis enim ante faciem Domini ad parandum vias ejus, ad dandam scientiam salutis populo ipsius, in remissione peccatorum eorum, per viscera misericordiae Dei nostri, quibus visitavit nos oriens ex alto, ut illucesceret his, qui in tenebris et in umbra mortis sedebant etc. An non Zacharias hic ex Esaiae ore loquitur et verba ex ore prophetae sumit, qui hanc vitam, praesertim judaicam terram vel habitationem vocat terram umbrae mortis?

Hoc cum subjecto et argumento hujus loci apte quadrat, quod loquatur de die ac luce Christi spirituali, videlicet de illuminatione, de justitia, de

vita, et pace aeterna, et contra de nocte aut tenebris etiam spiritualibus, scilicet de Zalmaveth et nocte teterrima legis, peccati, mortis, diaboli, et inferni. Sic applicanda sunt verba ad totum argumentum. Habitantibus itaque in terra umbrae mortis, id est, tenebrarum, quo hominum genere nihil potest esse miserius, nihil calamitosius, nihil afflictius. Non enim in umbra aut umbella aliqua simpliciter sedent, (umbra enim sola, maxime in aestu, gratissima est), sed sedent in umbra mortis, hoc est, in densissimis et profundissimis tenebris. Illis, inquam, qui in umbra illa mortis sedent, affulget, vel exsplendescit lux, inquit propheta.

Ebraea vox נָגַה *) significat splenduit, fulsit. Inde nomen נֹגַה **) splendor, estque proprie radius, der Glanz, ut cum sole oriente radii sparguntur. Quo respicit epistola ad Ebraeos, vocans Christum splendorem gloriae patris. Christus enim est patris נֹגַה **), graece ἀπαύγασμα, latine splendor, refulgentia sive relucentia, germanice heller Schein. Ignis est lux, sed radius seu splendor procedens e luce illa est נֹגַה. **) Hanc lucem et radios salutis sparsos per hunc solem, infantem et filium, nobis ortum et datum viderunt et adhuc vident Judaei et gentes. Lux et sol est Christus, radii sunt verbum Dei, eucharistia, baptismus, absolutio et mirabilia, quae fecit ac facit. Sic Christus est etiam splendor in hoc mundo, sicut est splendor paternae gloriae.

Rabini nihil intelligunt, nihil sciunt, sunt enim in Zalmaveth, et majore etiam caecitate, hanc lucem

*) In edit. 1546: Nagah. **) In edit. 1546: Nogah.

et nogah non habent. At sine hoc sole, sine hoc nogah, id est, splendore, nihil est, nisi mera caligo. Hinc est quod נֹגַהּ hoc loco interpretantur Luciferum, quem Graeci φωςφόρον*) vocant, sed proprie est Nogah splendor, relucentia, הֵילֵל**) significat Ebraeis luciferum, ea voce utitur Jesaias cap. 12, Quomodo, inquit, cecidisti הֵילֵל**)

Haec est una pars prophetiae, videlicet lucem esse ortam per et propter istum infantem, aut autore isto parvulo, rege aeternae justitiae, lucis et pacis. Orta est autem primum Judaeis, sed non Judaeis tantum, verum et gentibus. Qualis autem est illa lux? Lux est longe maxima ac clarissima, siquidem illuminat sedentes in tenebris spiritualibus et in umbra mortis, liberat a peccato, lege, morte, inferis, damnatione. Haec lux adfert cognitionem mysteriorum divinorum, sapientiam, justitiam, pacem, vitam aeternam. Quid est lux rationis aut solis ad hanc novam et admirandam lucem? Nihil, et tenebrae prorsus. Sequitur,

Multiplicasti gentem, non magnificasti laetitiam.

Sanctissimi viri prophetae multa passi sunt ab isto pessimo et nequissimo populo, aerumnis, miseriis et calamitatibus multis sunt conflictati, odium et invidiam maximam reportaverunt et lucrifecerunt, cum cum populo illi optime consultum vellent, pro laboribus sanctissimis et concionibus atque admonitionibus ad pietatem et vitae innocentiam saluberrimis, malignissima ipsis resposita est gratia.

*) In edit. 1546: phosphorum. **) In edit. 1546: Lelil, Helel.

Diligenter et sedulo fidem et caritatem inculcaverunt, a vitiis et flagitiis deterruerunt, sed nihil aut parum promoverunt, nullum viderunt sequi fructum aut exiguum.

In tanta populi ingratitudine, improbitate et malitia, nihil aliud facere potuerunt, quam quod nos facimus, clamaverunt, suspiraverunt, adventus Messiae exspectatione se consolati sunt et confirmaverunt, ardentibusque votis ejus adventum expetiverunt. Sicut nos hodie sub nostris oneribus gementes clamamus, Veni domine, veni, vitae pertaesi dissolvi cupimus, et esse cum Christo. Quid enim faceremus in mundo? Quo te vertis, omnia plena sunt offendiculis, nihil est quod te delectare, quod exhilarare in mundo vere possit.

Regna nihil sunt nisi anarchiae. Populus contemnit conciones, exsibilat verbum, ridet Deum, conditorem et redemptorem suum, quae Deus per suos ministros minatur et monet, habentur pro mera fabula. Ipse filius, parvulus, rex aeternae justitiae nihili fit, in nullo pretio, in nullo est honore, infinita ejus beneficia nobis oblata summa ingratitudine repudiantur et proculcantur, gloria ipsius ei eripitur, blasphemiis horribilibus per missas aliasque idolatrias afficitur etiam ab iis, qui sanctissimi videri volunt.

Sic et Judaei pro nihilo habuerunt terram desiderabilem, et in vanitate sua defecerunt. Hoc vehementer movit prophetas, non potuerunt non graviter hinc dolere, quod viderunt se, doctrinam suam, promissionesque ipsis de Messia factas contemni. Ideo concluserunt, Venturus est quidem Messias, sed sic veniet, ut improbos et sceleratos

vos, fastu tanto turgentes nebulones, sit confusurus, ad insaniam redacturus, et in furorem versurus. Magis adventu ipsius offendemini quam laetabimini.

De qua re agit praecedens caput 8: 'Erit (inquit) in lapidem offensionis et petram scandali duabus domibus Israel, et in laqueum et in ruinam habitantibus Jerusalem. Et offendent ex ipsis plurimi, et cadent, et conterentur et irretientur et capientur. Quasi dicat, non sustinetis audire nos, contemnitis omnes minas, nihili facitis promissiones. Recipietis itaque aliquando mercedem his factis dignam. Cum venerit et praedicaverit vobis Messias, tum demum cadetis, tum impingetis, sic ut in totum evertamini, et miserrime pereatis. Christus enim suo splendore horribiliter eos offendit.

Quod et Simeon prophetavit de hoc parvulo, ubi dixit, eum positum in ruinam et in signum, cui contradicitur. Nam oriente hac luce, sicut et nunc accidere videmus, furit et insanit satan, fremunt gentes, insurgunt reges contra dominum et Christum ejus, Psal. 2. Insaniunt et tumultuantur principes, episcopi, sapientes omnes uno ore et furore conjunctis viribus et communicato consilio contra hanc lucem et veritatem.

Sed quid facit interim Deus? Non vult frustra lucere ac fulgere hos radios suae justitiae, vitae et pacis. Non vult frustra nasci hunc puerum, non vult frustra datum nobis esse hunc filium. Non vult esse servum, sed regem in throno sedentem et regnantem. Ad regni Messiae autem constitutionem non una persona requiritur, ergo habet populum peculiarem. Hic totis turbatur agris, hinc

ille furor et insania, hinc illi fremitus, consilia et meditationes contra dominum et Christum ejus. Quare convenitis omnes? quid machinamini? quid tentatis? satin' sobrii? satin' sani estis? Quae vos intemperies agitat? Quo furore perciti ferimini? An non cogitatis, contra quem insurgatis? Contra illum insurgitis dominum, cujus via inscrutabilis est, cujus judicia abscondita et abyssus multa, cujus potentia infinita. Quidquid contra hunc moliemini, frustra moliemini, et in vestrum recidet caput.

Sic concordant prophetae, tale regnum Christi describentes, quale et apostoli viderunt, et experti sunt, quale et nos nostra experientia didicimus et hodie videmus. Quo plures accedunt ad evangelium, hoc magis insaniunt adversarii. Nunc gloriantur et insultant nobis iterum, ac nituntur praesentia Caesaris, quem putant esse armatum contra nos, spemque jam certissimam fovent, futurum ut nos brevi subvertamur.

Sed tot spes, tot consilia, tot conatus, Deo sic gubernante, interierunt, in cassum cesserunt illis, toties confusi sunt his 26 annis. Et haec spes, quam nunc concipiunt, etiam corruet, cum maxima ignominia, confusione, incommodo, exitioque ipsorum, et cum augmento gloriae Christi. Non succedent ipsis consilia eorum et conatus, modo nos simus grati, et non dubitemus de hoc puero et filio, qui natus et datus nobis sit in regem et et lucem. Si in hunc spem et fiduciam nostram fixerimus, nihil est periculi etiam tum, cum videtur imminere nobis summum periculum.

Si patiendum nobis erit, si etiam nos trucida-

verint, et e medio sustulerint, quid tum, non tamen hanc lucem, Christum, nobis eripient, non radios evangelii e medio tollent. Spes illorum eos fallet, conatus frustrabitur, etiamsi longe adhuc plures diaboli cum suis squamis nos infestarent, immo non timebimus, si terra loco moveretur et montes in medium maris praecipitarentur. Puer enim natus, filius nobis datus, fiducia et fortitudo nostra est, et adjutor in tribulationibus, in cujus luce et splendore delectamur certo scientes, regnum nobis ab ipso paratum, in quo perfruemur pace, justitia, vita et beatitudine aeterna etc.

Regnum igitur Christi habet adversarios omnibus temporibus, praecique cum evangelii vox sonat, qui id acerrime oppugnant, sed ut maxime conjunctis viribus, consiliis et totis conatibus sese illi opponant, tamen evertere non possunt. Hactenus frustra id conati sunt, Romani imperatores et pontifices, vi et dolo instructissimi, frustra id tentarit Turca tot seculis, tam potens et infensus nominis Christiani hostis. In summa, quotquot delere id voluerunt, adeo non potuerunt, ut summi Christiani nominis hostes in suis regionibus Christianos ferre cogantur, ut multi hodie sunt in Turcia, multi in aliorum regum, principum et episcoporum, nedum terris, sed etiam aulis, qui acerrimi hostes evangelii sunt. Unde hoc? Quia propheta hic dicit, Multiplicasti gentem etc.

Adversarii nostri nunc aliquot annis, ut dixi, etiam speraverunt et adhuc sperant, brevi futurum, ut opprimamur, et nihil magis habent in votis. Ubi Caesaris adventum exspectant, aut praesentem in Germania habent, bone Deus, quam gestiunt, quam

tripudiant, quantam de nostro exitio et internicione spem concipiunt. Nunc, nunc, clamant, opprimet Caesar haereticos istos, nunc aliquando instat illorum finis. Sic semper sperant, et ardentibus assiduisque votis nostrum exitium expetunt, et omnibus viribus in nostrum exitium incumbunt. Sed ut spes illorum illos saepe frustrata est, ita posthac illos frustrabitur, et consilia conatusque illorum parum felicem successum habebunt. Nunquam exstinguent hanc lucem, nunquam subvertent hoc regnum. Cur? Quia multiplicasti gentem, ait hic Esaias.

Adversarii conantur deterrere nos a coepta verbi puriore praedicatione atrocibus vocibus clamantes, nos sceleratos, seditiosos et contumaces esse, quod ausi simus docere evangelium, verum sacramentorum usum ostendere et petentibus ea porrigere, non interrogato prius Caesare, non consultis regibus, pontificibus, conciliis. Citra horum consensum putant nihil docendum aut tentandum fuisse contra antichristum Papam, contra ejus impia, scelerata et futilia decreta, contra idolatricam sanctorum invocationem etc.

Sicut et apud Judaeos judicabant horribile nefas et sceleratum facinus, quod docuerunt Christus et apostoli contra circumcisionem, legem, templum et locum illum sanctum, non consulto Caipha et Hanna, ut videre est in Act. 5 et saepe alias, ita et pro sua autoritate postulant pontificii, et volunt, ut supplices provolvamus nos ad illorum genua, ac dicamus, Sanctissimi et reverentissimi in Christo patres ac domini, quid vultis ut doceamus? Nihil enim sustinebimus docere, nisi quod vos jusseritis, et vestra autoritate approbaveritis. Verum Christus non vult

subjici istis, sed dicit, Ite, docete, spargite hos radios et lucem meam inter Iudaeos et gentes. Nihil moveat vos, quod indignantur et insaniunt.

Quare sicut Christus et apostoli, ita et nos praedicabimus et orabimus, nihil morantes, quid contra nos et regnum Christi conentur. Ubi officium nostrum facimus diligenter, tum nihil est periculi, tum videbimus, quid velint aut possint movere contra nos, et an lucem hanc exstincturi sint. Movebit quidem haec lux horribilem indignationem et furorem diaboli ac squamarum, quae diabolo adhaerent, hoc est impiorum membrorum ejus, sed quantumvis indignentur et furant, omniaque contra nos moliantur, nihil tamen proficient, nunquam tamen eam lucem exstinguent.

Hoc vult propheta, ubi dicit, Multiplicasti gentem, non magnificasti laetitiam, quasi dicat, Non sustinebitis audire me, rejicietis me, lucem meam contemnetis, sed id facietis magno vestro malo. Nihilo minus tamen ut maxime bona pars rejecerit oblatam gratiam, nonnulli tamen ex Judaeis et multi e gentibus profanis convertentur, magna multitudo confluet.

Sed per quem convertentur? Quis est is, qui multiplicaturus est gentem tantam? Nimirum rex ille patruelis et frater meus. Nam patruelem eum cap. 5. vocat. Magna sane est inter regem hunc et Esaiam familiaritas. Valde enim familiariter loquitur cum rege hoc. Quid tentas? quid moliris, mi patruelis, mi frater, cum orietur lux tua in orbe terrarum? Ideone oritur lux illa tua et splendet in orbe, ut multiplices gentem? Sed hoc ipso magnas concitabis turbas? magnam cladem adduces? Multiplicabis quidem gentem, sed non magnificabis laetitiam.

Quare non magnificabis? quia concitabis inter eos, qui populus Dei et de sanguine S. patrum orti sunt, horribiles iras, qui ob id irascentur, quod multiplicas gentem, Si adduceres et colligeres paucolos e gentibus, quos cito possent delere et exstinguere, non tantopere fremerent et indignarentur. Sed quod sic mulplicas gentem, quod tot millia gentium luce ista tua tibi jungis, quod tantam multitudinem, quae deleri non possit, tibi subdis, quod lux illa major est, quam ut eam obstruere et exstinguere queant, hoc hoc vero est, quod eos mordebit, quod ad insaniam adiget, hoc turbabit omne gaudium, hoc pessime illos habebit. Quanta est lux illa, tanta futura est ira, furor ac horror illorum. Loquitur de re illa grandi verbis satis humilibus et contemptibilibus, sed plus significantibus quam sonantibus. Sic nos Germani dicimus, Fero illi nuntium, quod illi parum gratum futurum et parum allaturum est gaudii. Instruam convivium illi quidem, sed unde parum laetus discedet, et quo se parum hilariter reficiet.

Laetus ergo gloriatur, multam fore lucem, quasi dicat, hoc nomine gratias Deo meo ago, quod tanta est futura lux illa, sed quid futurum sit scio. Ubi orta lux illa fuerit, praestringet oculos, et effundet tenebras oculis Judaeorum meorum. Sicut et nunc papistis nostris accidit, qui non minus quam Judaei luce ista offenduntur, irritantur et exacerbantur. Nec aliter fieri decet. An non dignissimi sunt, qui sic offendantur, et luce, qua illuminari debebant, excaecentur, cum pugnent contra conscientiam. Cur exsecrantur hanc tam amabilem et almam lucem, ultro se ipsis offerentem.

Fatentur doctrinam nostram esse veram, non pugnare cum scripturis, et nolentes volentes id fateantur oportet. Docemus primam et secundam tabulam, confitemur Christum passum, crucifixum, mortuum, et tertia die ex mortuis resuscitatum etc., quod et ipsi fatentur. Quare igitur pugnant contra nos, cum ipsi fateantur vera esse, quae de Christo docemus? Coguntur Judaei etiam fateri, quod recte doceamus decalogum. Quid igitur in nobis desiderant? Cur nos tanto odio et furore persequuntur?

Ob magnas, si Deo placet, causas id fit. Quas? quaeso. Non servamus traditiones seniorum, non lavamus manus, non servamus sabbatum, vellicamus in sabbato spicas, hoc est, non credimus papam esse caput ecclesiae, non radimus capita, non sumus restiferi, saccogeruli, loripedes, lignipedes, nulipedes, funigeri, linostolii, pullati etc. Ob haec tanta flagitia scilicet damnamur.

Sed quid illa ad rem? rogas. Illa, quae nulla sunt, ipsis sunt summa, tanta est eorum caecitas, tam praeposterum judicium et sceleratum. Audiunt nos docere decem praecepta, audiunt nos credere, quae sunt in eis et in evangelio, sed quia negamus sanctos invocandos, non credimus purgatorium, quia rasuras, quas Deus non exigit, nihili facimus, quia abominamur quae exsecratur in verbo suo Deus, quia sartam tectam verbi divini autoritatem et dignitatem volumus, quia gloriam Dei et Christi Domini nostri constanter tuemur, contra traditiones humanas et cultus fictitios atque idolatricos. Ideo damnamur, haeretici et seditiosi vocamur.

Sic pugnant contra agnitam veritatem, contra lucem tam clare splendentem, et radiis suis oculos

ipsorum praestringentem. Propter res nihili, ob nullam nostram culpam, damnant nos. Volunt ut adoremus istas Zalmaveth tenebras, umbras mortis pro luce illa vera nobis lucente, sed id faciemus nunquam, hunc regem, hunc filium in throno David sedentem, hanc lucem, hunc solem adorare volumus et fortiter perrumpemus et discutiemus istas tenebras, lotiones, rasuras etc. Sed si id tentaveris, non magnificabis laetitiam, accerses tum periculum, nam occident te. Quid tum? Possunt quidem me opprimere, sed non oppriment hanc lucem.

In principio causae evangelicae dixit quidam frater ex ordine nostro ad me: crede mihi, frater, pudore suffundet nos et grave erit ac difficile confiteri, quae tu doces, quia hoc ipso confitemur nos errasse. Revocare illa, quae tot annos docuimus et credidimus, durum erit. Magna reverentia et gaudio amabat et exosculabatur verbum vir ille bonus, sed tamen hoc videbat, quod pauci errorem essent confessuri, quod cum magna difficultate id futurum esset. Et id videmus nunc sic fieri. Nolunt fateri, quod in una syllaba erraverint, quod ambulaverint in tenebris, et habitaverint in terra umbrae mortis.

Nihilo secius tamen sunt quidam boni homines, qui habent bonam conscientiam et spem vitae aeternae. Hi accedunt et expetunt hunc regem justitiae. Hi conversi per radios hujus lucis abjiciunt vespertiliones, talpas, monstra, idola Zalmaveth, opera tenebrarum, quae adoraverunt.

Ista tenebrarum opera volunt adversarii a nobis adorari, eaque monstra a nobis coli, cumque id facere non sustinemus, cum obedientiam hac in re detrectamus, furore quodam immanissimo perciti ac rapti

hil nisi caedes spirant, nosque ad unum omnes elere conantur.

Sed utcunque insaniant et furibundi in nos erantur, nunquam tamen huc nos cogent, ut vepertiliones et talpas illas adorare et retinere sustieamus. Orta est nobis lux, Christus lux illa vera, ianc lucem servabimus ac retinebimus, hanc amplectemur, hanc adorabimus et colemus, nihil morantes illorum iras, furores, insanias, loedoria et convicia, nihil deterriti, periculis et insidiis vitae iostrae structis, hoc nos consolemur, quod et Christus praedixit futurum, ut irascerentur et efferati in os exardescerent, nihilque non contra nos ab hanc rofessionem molirentur.

Et propheta hic praedicit idem futurum in poulo illo suo malitioso et pertinaci. Nec vanus it, nihil enim minus ferre potest Populus ille retitus[1]), quam lucem illam, quam tanto perseiuntur odio, ut summe eam exsecrentur et horriliter conspuant.

Sic et hodie irascitur diabolus et squamae us, lucente evangelio, etsi nunc tantum scintilla ijus lucis micat, quid fiet, cum orietur sol, cum iristus ipse apparitarus est? Si hanc lucem ferre in possunt, si contra hujus lucis radios tantopere saniunt, quid fiet in illa die contra ipsum solem? iam horribiliter irascentur, cum se sol ipse clarissima luce conspiciendum ostendet, cum pro judio hanc proferet sententiam: Ite maledicti in ignem aeternum etc. Quantae tum illae aeternae, exsecrales et horribiles blasphemiae ac irae futurae sunt?

1) In edit. Wittemb. legitur: nihil enim minus ferre ssunt.

Hoc hoc est quod propheta hic dicit, Multiplicasti gentem sed populo tuo in perniciem. O Messia, fili David, hoc ipso, quod multiplicaturus es gentes, quod illae amplexurae sunt lucem, hoc ipso non magnificabis laetitiam, hoc est, magnificabis et excitabis horribilem tristitiam, furorem et zelum, hoc ipso adiges ad insaniam diabolum et squamas ejus.

Haec interpretatio coacta non est, sic enim concordant verba, res et experientia nostra cum argumento. Rabini hic nugantur et somniant nescio quid, nec adferunt sani quidquam, dicuntque nec coelum nec terram attingentia, et a sensu prophetae alienissima. Non itaque illis inhaerendum nec fidendum est. Ac commendo Ebraeis, ut cogitent emendare linguam. Rabini non curant cohaerentiam illam aut consequentiam, sed lacerant eam et depravant prophetarum dicta, ut hoc loco pro adverbio, non, legunt pronomen, ei, ad hunc modum, Multiplicasti gentem, ei magnificasti laetitiam. Sic volenter corrumpunt et depravant prophetae sententiam, cum nec res nec consequentia consentiat.

Breviter, propheta hoc dicit, Puer ille natus nobis multiplicavit gentem, id est, collegit magnam inter gentes ecclesiam, aut multos ex gentibus vocavit in ecclesiam suam, sed non magnificavit laetitiam, hoc est, illa multiplicatio seu multitudo gentium fuit occasio horribilis illius furoris, qui adhuc in Judaeis durat et durabit semper. Nam puerum illum occident, et populum Christianum horribilibus crudelitatibus persequentur. Sed cum hic dicat laetitiam non magnificatam aut nullam fuisse ejus populi de nato Christo, quid sibi vult, quod statim subjicit?

Laetabuntur coram te, sicut qui laetantur in messe, sicut exsultant victores capta praeda, quando dividunt spolia.

Hic loquitur propheta de iis, qui ex Judaeis et gentibus conversi sunt, non de excaecatis et obduratis Judaeis, qui Christum oblatum repudiaverunt. Facit itaque duplex hominum genus. Ubi ait, Non magnificasti laetitiam, intelligit de populo judaico illo obdurato, qui Christum rejecit, et adeo non percepit ullam ex adventu Christi laetitiam ac voluptatem, ut in furorem inde sit actus contra Christum et fidem Christi profitentes.

Ubi dicit, coram te laetantur, intelligit id de iis, quibus lux illa orta est, qui Christum agnoverunt et susceperunt. Ac satis manifeste discernit duas laetitias. Non magnificasti laetitiam, scilicet extra te, in iis, qui te respuentes in tenebris manserunt. Quamvis autem inter excaecatos illos non magnificata sit laetitia coram te, tamen illi, qui fuerunt in tenebris exterioribus, quibus orta est magna illa lux, laetabuntur. In illa enim luce verum summum et unicum est gaudium, summa et infinita voluptas, atque ideo addit, Coram te, id est, in illa luce tua.

Ponit autem duas similitudines, quibus ejus laetitiae amplitudinem aliquo modo exprimat, prior est in his verbis, Sicut qui laetantur in messe, posterior in his verbis, Sicut exsultant victores capta praeda, quando dividunt spolia. Ac sunt aptissimae et insignes similitudines. Altera est oeconomica, aut ab oeconomia mutuata, altera politica, aut a politicis sumpta.

Ac similitudines ab oeconomia sumptae saepe in prophetis occurrunt. Utuntur enim saepe his ac

similibus verbis, Luget agricola, ager, vinea etc. Quando penuria annonae est, aut cum malignius nec cum magno foenore reddituri videntur agri, quod ipsis creditum est, tum agricolarum atque omnium hominum vultus tristes ac tetrici sunt. Nostrum enim gaudium et vita est ipse ager aut terra, et coelum foecundans terram.

Ac gaudere de feliciore et copiosiore frugum proventu honestissimum gaudium est, sincerum et purum. Gaudemus enim data divinitus nobis esse abunde, unde conservari queat et ali familia, liberi etc. Non est tale gaudium aut talis voluptas, qualis est turpis illa et foeda voluptas carnis in libidinibus etc. Quando spem magnam nobis faciunt agri, aut cum messis est opima et magna, cum fruges copiose provenerunt, tum rident omnium hominum et animalium corda, omnia sunt tunc laetissima.

De vere dixit Virgilius, Omnia tunc rident, tunc formosissimus annus, sed id de messe verius dici potest. Est quidem in principio anni, in vere tempus laetissimum, cum omnia florent, sed id tempus non impinguat, non pascit ventrem, sed oculos duntaxat. Sine Cerere autem et Baccho, hoc est, corpore, non habente necessaria, ventre non saturo nulla constat laetitia, juxta illud Psalmi 104: Ut educeas panem e terra et vinum, ut laetificet cor hominis, ut exhilaret faciem in oleo et panis cor hominis confirmet. Germani dicunt, Es ist bös singen und tanzen mit hungrigem Bauch, hoc est jejuno ventre et crepitantibus fame intestinis carmen laetum cani non potest. Et sobrius nemo saltat. His ac similibus vocibus significant corporis laetitiam constare bona ex parte in cibo ac potu.

Ideo pulcherrima et appositissima est haec similitudo ab oeconomia sumpta. Quia ubi messis est copiosa, ubi fruges non maligne provenerunt, ubi non capiunt horrea messis opes, ubi domus' cellaria et promptuaria omnia replentur, ubi abunde et affatim est, quo corpus alimus ac sustentamus, ibi mirifico gaudio exhilarantur homines. Hinc dicitur, copiosus anni proventus, liberalior annona, dives et opimus auctumnus exhilarant homines.

Porro similitudo haec a messe sumpta nondum res est. Sicut verbum, quod loquimur, tantum signum est, rem tamen in verbo promissam exspectamus, sic laetitia, quam messis benigna ac copiosa parit, est figura verae illius aeternae ac spiritualis laetitiae, quae melius pingi non potest, quam hac similitudine.

Altera vero similitudo politica est, a victoria in bello sumpta. Nam ex victoria de hostibus prostratis parta vehementer etiam laetatur populus victor, et solida illa est laetitia, cum victis et oppressis hostibus redditur alma et gratissima pax. Messis est oeconomica laetitia, victoria de hostibus graviter nobis imminentibus parta est politicum gaudium. Utrumque gaudium, tam id quod ex messe quam quod e victoria provenit, est mirificum ac maximum gaudium.

Ablata pace et grassante bello tristes sunt facies omnium hominum terrae et animalium. Sed caeso hoste, et parta victoria, paceque reddita ridetur, tripudiatur, animi omnium recreantur, tristitia omnis abjicitur, epinicia [1]) et gratulatoria carmina componuntur,

1) In edit. hujus Enarrationis etc. Wittenb. 1546 legitur: epimythia.

Undique tunc felix niveis et alacribus alis
Laetitia exsultans gestit, luditque per omnes
Vicos atque domos, celebrantur gaudia ubique,
Jubila tolluntur toto resonantia coelo.

Haec sunt vera et solida corporis gaudia, ac longe sunt majora, quam foeda illa et pecuina carnis et libidinis gaudia.

De victoriis et de laetitia victorias subsequente plenae sunt omnes historiae. Quanta est magnitudo periculi in bellis (est autem belli temporibus periculum praesentissimum et maximum, cum nullo momento de vita tuti simus cumque omnes fortunae ac opes, uxor ac liberi in eodem nobiscum discrimine versentur), tanta est et gaudii magnitudo, ubi caesis ac profligatis hostibus pax beata redditur; tunc laetis animis canitur: Laqueus contritus est, et nos liberati sumus, Psal. 124.

His itaque duabus similitudinibus eximium, solidum et maximum gaudium exprimere et significare voluit propheta. Sunt enim messis benigna et pax solida devictis hostibus parta duo maximi et inaestimabiles thesauri, qui hanc vitam tuentur, et citra quae non modo vita non suavis est, sed nec ullo modo constare potest. Quam itaque nobis grata est ipsa vita, tam nobis grata sunt vitae alimenta et pax, cum his sublatis vitae praesens immineat periculum. Fames enim et gladius omnia perdunt, vastant, subvertunt, consumunt etc.

Cum vero est abunde, unde alamur, cum messis opes sunt copiosae, cumque ablato bello ac caeso hoste reddita est pax, omnia tunc gaudiis perstrepunt.

Tunc juvenes blanda modulantur carmina voce:

Gaudia testantur Cytharae festiva sonantes,
Et clarae resonant plectra canora lyrae.
Plurima sublata tolluntur jubila dextra,
Jubila justitiae non habitura modum.

Summam itaque et maximam laetitiam propheta his duabus similitudinibus significat et depingit. Sed ubi est tanta laetitia?

Coram te.

Porro similitudinem de victoria non una voce effert. Non dicit simpliciter, Sicut exsultant victores, sed addit, Sicut exsultant victores capta praeda, quando dividunt spolia. Nos nostra spolia distribuimus more nostro, hoc est, in spiritu laetamur et exsultamus, non de messe uberiore corporali, non de victoria politica, neque de spoliis victo hoste collectis, sed de victoria et spoliorum distributione per hunc infantem natum parta et nobis donata. Quare nostra laetitia et exsultatio non est talis, qualis eorum est, qui laetantur in messe et victoria corporali, sed ut proheta inquit, Coram te est illa laetitia nostra vera, id est, in luce tua. Ibi est messis plena et aeterna, ibi victoria certissima, ibi vere reportantur opima spolia, ibi satiabimur et inebriabimur bonis tuis exuberantissimis, ibi in aevum cantabimus, ut vinum bibentes cantant, ibi os nostrum implebitur risu et lingua nostra exsultatione, ibi omnia gaudiis et tripudiis plena erunt in perpetuum.

Hoc autem spirituale est gaudium, et haec messis aeterna est, dum lucet evangelium, et triticum congregatur in horreum. Hic incipit quidem hoc gaudium, sed in futura vita perficietur. Ibi de-

mum abundantia omnium rerum perfruemur, ibi videbimus prostratum hostem, ibi habebimus veram pacem, non quam mundus dat, sed quam puer ille natus, filius ille datus nobis peperit, ut alibi dicit, Johann. 16.: In me pacem habetis. Haec longe diversa, longe major, solidior et praestantior pax est, quam ulla mundi pax ac laetitia, sed aliquo modo tamen significata est per temporalem illam laetitiam, qua afficiuntur homines in pace post bellum parta, et in messe copiosa et abundante.

Nunc ostendit propheta, quinam sint illi hostes, quibus caesis et profligatis infans ille, rex aeternae pacis et justitiae, tam insignem et gloriosam victoriam pepererit, tamque opima spolia reportarit. Non sibi, sed suo populo luce illa magna illuminato, unde et tantopere laetatur et exsultat. Verba prophetae sic sonant:

Jugum enim oneris ejus et virgam humeri ejus, et sceptrum exactoris ejus, tu confregisti etc.

Mors, peccatum et lex sunt hostes et tyranni nostri, qui pleno jure et summa potestate in nos saeviunt et dominantur. Hos describit S. Paulus 1 Corinth. 15. ubi ait, Aculeus mortis peccatum est, virtus vero peccati lex. Hi hostes potentissimi et immanissimi in omnes Adae posteros grassantur, ac totum genus humanum hauriunt. Contra horum crudelissimam tyrannidem prorsus nihil consilii et auxilii est, neque ab hominibus, neque ab angelis. Quomodo igitur liberabimur a jure et potentia, quam in nos habent? Audi hic prophetam, is laetus canit, hos tyrannos toti mundo nedum formidabiles, sed

venenum ac pestem totius generis humani, prostratos et deletos esse, per infantem et filium nobis natum et datum, his verbis, Jugum enim oneris ejus etc. quasi dicat, Gaudium populi tui, o rex pacis, justitiae et vitae aeternae, super quem splendet lux tua, magnum et inenarrabile est. Quare? Quia jugum oneris ejus, virgam humeri ejus, et sceptrum exactoris ejus superasti seu confregisti.

Quibus verbis describit Jesaias mortem, peccatum, legem, hostes illos et tyrannos nostros longe crudelissimos, qui nobis omnibus, ut dixi, dominantur, captivos et in servitutem longe miserrimam redactos nos tenent sine ulla spe liberationis. Lex convincit nos esse peccatores, perterrefacit corda nostra. Peccato per legem excitato et ostenso, homo statim contra se ipsum mortis sententiam fert, Peccasti, ergo reus es aeternae damnationis. Ita mors habet jus confodiendi et occidendi nos per aculeum suum, peccatum, quod lex, peccati virtus, excitat et ostendit.

Contra hanc captivitatem et servitutem legis, peccati, mortis in nos durissimam, qua oppressi sumus, nihil est remedii et consolationis in tota rerum natura, nisi fide apprehendas hanc et similes conciones prophetarum et apostolorum, qualis est hoc loco Esaiae: Jugum oneris ejus etc., item, parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis. Is consolatur et bene sperare nos jubet, inquiens, confidite, ego vici mundum; item, In me pacem habetis etc. Ubi hunc Infantem Mors, Peccatum, Lex in fide audiunt nominari solum, mox exterriti fugiunt, non ferentes mentionem ejus fieri. Lex, peccatum, mors enim accusarunt, damnaverunt, in

crucem adegerunt, et trucidaverunt eum, sed insontem. Ideo impegerunt in illum justitiae solem, qui peccatum non fecit, sed ipsa veritas, justitia et vita est, ideo nullum jus accusandi, damnandi, et interficiendi eum habuerunt. Quod autem ab eis sustinuit damnari et occidi, id nostra causa fecit, ac per hoc satisfecit pro peccatis totius mundi.

Quotquot igitur in hunc infantem et filium credunt, illis condonata sunt peccata, et quae reliqua sunt adhuc in carne, ea illis non imputantur propter fidem in ipsum. Cui autem peccatum remissum est, in hunc nihil juris habet mors, nam et ea absorpta est in aeternum per hunc infantem; peccato vero et morte sublatis nihil invenit lex, quod accuset et damnet.

Quantumvis igitur grave jugum et onus sit mors, asperrima virga humeri peccatum, durus et implacabilis exactor lex, non est tamen, quod sibi metuat populus infantis et regis hujus, sed laetetur potius et animo bono ac securo sit. Puer enim natus nobis vicit hos tyrannos, et eorum potentiam ita confregit, ut nihil amplius juris in populum suum ambulantem in luce habeant. Quin cum Paulo summa cum fiducia suis hostibus nunc insultare potest: Ubi est mors victoria tua? Ubi est mors stimulus tuus? et certa fide statuere, quod peccatum, ut Paulus alibi ait, de peccato damnatum sit, quod chirographum, quod nobis contrarium erat per decreta, sublatum sit e medio et affixum cruci, quod Christus mortem aboleverit et vitam ac immortalitatem in lucem produxerit, 2. Timoth. 1.

Idque facit citra intermissionem in omnibus piis per totum ipsorum vitae curriculum, et ad con-

mmationem usque saeculi, donec mors finaliter asebit et ablata prorsus fuerit.

Sed quo modo id facit? Per evangelium et cramenta, quibus indesinenter maxima miracula eratur. Incendit lucem illam suam in cordibus stris, adfert laetitiam illam omnium maximam, qua ndemus de superatis nostris hostibus, et laeti vidimus spolia nostra, certo scientes, quod de tana, morte, peccato etc. triumphaturi simus. Item ntes imperio mortis et diaboli subjectas per evangelium non solum ad gratiam vocat, sed ex illis sis gentibus subinde eligit ejus gratiae innumeros inistros, qui alios doceant, a morte, lege et regno tanae liberent. Hi enim, quibus commissum est inisterium verbi, redimunt homines a potestate aboli, a morte, peccato etc. At hi, qui liberantr ab istis potentissimis et immanissimis hostibus, n possunt non summe gaudere.

Hoc gaudium operatur et parit infans ille, per inisterium verbi sui et sacramenta, praesertim in s, qui gustaverunt horrores mortis, qui senserunt, quid sit jugum oneris portare, scilicet nullo omento certum esse, semper ad mortis mentionem albescere, et ad ejus pavorem tremere, nec tamen ullum unquam videre effugium. Hoc onus omnium certe onerum longe est gravissimum, intolerabile et importabile. Sed beneficio et merito filii us nobis dati sublatum est, hoc est, mors ipsa ccati poena destructa et prostrata est.

Virga humeri.

Peccatum impellebat et aggravabat id onus, aut bat vires huic oneri; est enim peccatum calcar

mortis et flagellum ejus. Cum sentit igitur homo vere peccatum, tum fugit et exhorrescit mortem et infernum, tum nihil aliud cogitare et statuere potest quam hoc, Peccasti, ergo morieris. Peccatum enim adfert secum mortem ceu poenam. Onus igitur et virga illa imposita humeris et calcar ac flagellum hoc asinum illum excitat, agit et circumagit; hoc est, sic eum gravat peccatum, ubi id vere sentit, ut, quo se vertat, nesciat, videatque sibi moriendum et pereundum esse.

Contra hunc aculeum mortis non est aliud consilium et remedium, quam quod propheta hic ostendit, nempe quod Christus Dei filius hanc aculei mortis aciem hebetavit, hoc est, peccatum damnavit. Haec alias copiosius tractata sunt a me, ideo obiter ea nunc percurro.

Tertius hostis est sceptrum exactoris, videlicet lex. Der Reuter, der den Stecken in der Hand hat, Eques insidens equo et manu tenens baculum seu flagellum, regens cogensque equum est lex. Si lex non esset, si ea non accusaret, non esset peccatum, exactor non stimularet. Si peccatum non esset, onus nos non premeret. Lex cervicibus nostris incumbit, nostros humeros premit, nos urget, onus nobis imponit, nos pungit et impellit sceptro seu baculo suo, hoc est, peccato; jubet nos implere praecepta Dei, ubi non possumus praestare quod jubet, figit et fodit nos sceptro suo, et dicit, Moriendum est tibi. Maledictus enim omnis, qui non permanserit in omnibus etc. Bene intellexit propheta et Paulus, quid esset lex. Propheta idem dicit quod Paulus, videlicet, legem esse virtutem peccati, 1 Corinth. 15.

In principio evangelii, cum audirent adversarii ›s docere, quod lex esset virtus peccati, paene rabiem acti, et nos hoc docentes horribiliter ex›crati sunt, sed non vident hanc esse doctrinam ıuli. Neque intelligit ratio, quomodo lex sit vir›s peccati. Illustrata enim naturali suo lumine sic dicat, Lex est doctrina praecipiens bona et ho›sta, ac prohibens mala ac turpia, ergo certe bona t et sancta, ergo non est virtus peccati, sed virs justitiae. Ergo Paulus est maximus haereticus, ıi audet os blasphemum in coelum contra Deum tolre et dicere, quod lex sit virtus peccati, id est, ıod augeat, quod fortificet et roboret peccatum.

Hinc ratio audiens legem esse virtutem pecıti, nullo modo id ferre potest, est enim in ea peruasione, quod infirmet, aboleat et destruat peccaım, quod sit virtus justitiae, ideoque putat hanc octrinam Pauli esse blasphemiam. Magno et muls laboribus constitit nobis, ut hunc textum et siıiles in prophetis et Paulo intelligeremus. Patres cent, et inconvenientia dicunt, immo prorsus ob›urant tales locos.

Sed quomodo lex sit virtus peccati, quomodo ›ccatum augeatur et roboretur per legem, id non ratione, sed ex Paulo ad Galatas et Rom. 7 diendum est, ubi inquit, Lex operatur iram, et est ›tus peccati. Non quod incitet et cogat peccare, d quod peccatum facit, ut fiat peccans peccatum, c est, facit, ut agnoscamus gravitatem et atroatem peccati, ostendit peccatum, non tollit, dicit idem et jubet, quae facienda sint, videlicet, diendum esse Deum ex toto corde, et proximum ut me ipsum etc., sed virium nihil suppeditat,

non me juvat, ut id quod jubet praestare possim. Exigit a me ea, quae humanae naturae sunt impossibilia, neque enim natura suis viribus ex toto corde Deum et proximum sicut se ipsum diligere potest. Quo autem plus impossibilitatem naturae intelligo et sentio, hoc magis et fortius sentio peccatum, aut eo fit gravius peccatum.

Divinae tamen bonitatis singulari beneficio fit, quod nullus ad finem et plene perfecteque intelligit ac sentit, quid sit peccatum et legis virtus. Quando conscientia hominem vere tangeret et angeret, quando peccati gravitatem et magnitudinem vere sentiret, si non subito moreretur, diu tamen vivere non posset. Quo clarius ac magis intelligitur et cognoscitur peccatum, eo fortius, gravius, atrocius et immanius est, et subinde fit gravius, donec tandem occidat.

Sic exactor ille, hoc est lex, impellit et urget peccatum, peccatum impellit, et infert mortem, mors et pavores mortis tollunt hominem. Ideo multi sunt et fuerunt, qui vere peccatum sentientes, quia non habuerunt hunc puerum et filium nobis natum et datum, inconsolabiles fuerunt, et in desperationem prolapsi sunt.

Considera et inspice totam faciem ecclesiarum sub papatu, an non illi, qui vere senserunt onus peccati, omnes eadem ratione legi occurrerunt? an non omnes suis bonis operibus pro peccatis satisfacere tentaverunt; et satis facturos se somniaverunt? Sed adeo nihil profecerunt, ut quo magis sudarent, eo gravius exactor ille eos premeret.

Sic et mihi accidit sub papatu, celebrabam quotidie missas, et in singulis missis tres patronos

invocabam, jejuniis et vigiliis macerabam corpus ac putabam me hac ratione legi satisfacturum esse, et conscientiam a sceptro exactoris pacaturum. Sed nihil proficiebam, quo magis his viis insistebam, hoc terrebar magis, adeo ut desperaturus fuissem, nisi Christus clementer me aspexisset, et luce evangelii sui me illuminasset.

Quare non vanus testis esse possum, quid sit mala conscientia, quidque possit hic exactor, lex, in conscientia. Nam aliqua ex parte ego ipse sum expertus, deinde etiam vidi et audivi quosdam miserrime sensu peccati vexatos et excarnificatos. Gerson scribit, quod multi legis et peccati onus sentientes visi sint sibi crocitare ut gallina, aut canere ut gallus.

Quid multa? Conscientia mala est infernus. Id facit exactoris sceptrum, lex. Quando hic exactor hominem premit, quando acriter sceptro et flagello suo instat et urget, tum non manet sanitas in carne et ossibus. Anima aut conscientia sic cruciatur, quasi in inferno esset, cujus rei testis est et David Psal. 6.

Nihilo secius tamen lex est bona, Rom. 7; sed sua bonitate roborat et auget peccatum non extensive (quamquam et hoc faciat), sed magis intensive. Lex sufflat in ignem, et sopitum ignem excitat, carbones accendit et inflammat. Utque ignis eo fit major, quo plus additur materiae, et quo magis in eum sufflatur, sic et lex, quo magis cognoscitur, quo nobis instat acrius, eo peccati sensus nos gravius premit et angit sicque inflat in ignem, ut ardere faciat prunas usque in infernum.

Quod autem propheta legem appellat sceptrum exactoris, et Paulus virtutem peccati et ejus

ministerium ministerium mortis et damnationis, hoc non de humanis aut juris legibus accepi debet. Non sunt haec juridica et humana. Jurista non debet dicere, quod leges humanae augeant peccatum, hoc tantum locum habet in vera et sublimi theologia, ubi scitur quid sit conscientia, quid lex, quid peccatum, quid mors. In hoc loco dicitur lex tyrannus et exactor.

Non tamen tyrannus et exactor est sua culpa, sed nostra culpa. Nos enim sumus in peccatis concepti et nati, ac in peccatis vivimus, peccatum vero accendit lex, et ex peccato inflammat et ardere facit infernum, hoc est, facit peccatum excellenter peccans, Rom. 7, et quantumvis parvum sit peccatum, atrocissimum, gravissimum et maximum fit, cum lex in id sufflat et id exaggerat. Quo magis peccatum agnoscitur, eo magis nos torquet. Sic homicida pallescit, et quo magis agnoscit et introspicit ejus facinoris atrocitatem, eo magis pallescit. Sic omnia peccata auget lex, deducens nos in peccatorum agnitionem penitiorem. Non potest autem homo non angi animo, ubi foeditatem et atrocitatem peccatorum propius et penitius introspexit, et iram Dei justam contra peccatum cognovit.

Sic fit lex carnifex, exactor et tyrannus noster, sed ad tempus, non in perpetuum, Sceptrum enim exactoris confregisti, inquit propheta. Lex per Christum est sublata nunc, non tamen omnibus, sed populo qui lucem videt. Hic populus a tribus illis immanissimis tyrannis, peccato, morte et lege liberatus est per Christum, horum hostium victorem.

Lex tamen non sic sublata intelligi debet, quasi moraliter nihil faciendum, quasi nunc exlegibus no-

is liceret pro libidine vivere et cupiditatibus libere idulgere. Absit; sed ablata est lex in cordibus ostris, ne nos accuset, ne amplius sit virtus pec- ati. Cum enim molesta est mihi lex, possum nunc icere, Vade domina lex cum stimulo exactoris tui, ux orta est magna hibitantibus in tenebris, item, arvulus natus est et filius datus. Per hunc adempta st tibi virtus peccati, ut amplius meam conscien- am conturbare et accusare non possis.

D. Paulus diligenter legit et valde dilexit hunc rophetam. Nam mortem, peccatum ac legem ad undem nobis modum depingit, illisque insultat, et ı spiritu gaudet, omnesque in Domino, horum ho- tium victore, nos gaudere jubet. Et cur non gau- lerent, cur non tripudiarent et gestirent pii, cum tam pima spolia dividant? cum diabolus, autor peccati t mortis, lex, sceptrum exactoris, Moses minister nortis, cum hi tyranni sint superati ab hoc puero.)uae rapuerat satan, ea puer hic nobis reparavit icto satana. Puer hic est fortior superveniens, qui icit illum fortem, et universa arma ejus, in qui- us confidebat, ejusque spolia abstulit.

Aufert autem et rapit hic puer per ministros ios e manibus et potestate diaboli hic in terris s, qui sub morte, peccato et lege accusante cap- ri vexantur. Ministri ubi dicunt, Baptizo te, vel solvo te in nomine patris et filii et spiritus sancti :., reddunt impavidos et tutos homines, ne quidquam i metuant a morte, peccato et legis accusatione, animos consternatos erigunt et confirmant, cum nunciant hanc libertatem et redemptionem per nc parvulum et filium nobis natum ac datum.

Haec est victoria, per quam pax est parta, quam

pacem et Petrus precatur delectis juxta praefinitionem Dei patris, in ipso statim epistolae suae prioris initio, ubi ait, gratia vobis et pax multiplicetur. Haec sunt vera et solida gaudia, quae per victoriam parvuli hujus nobis parta sunt. Et haec gaudia quotidie sentiunt pii in cordibus suis, eaque operatur spiritus sanctus in terris per manus et linguam nostram in ecclesia sua. Manus et linguae nostrae res quidem sunt caducae et mortales, sed per haec media, per caduca et terrena haec vasa, filius Dei potentiam suam exercere vult; thesaurum divinum illum habemus in testaceis vasculis, ut virtutis eminentia sit Dei.

Vox Ebraea, quam reddidit latinus interpres, superasti, proprie: fregisti redditur, maxime quando refertur ad animum. Animus enim fractus dicitur animus consternatus, desperabundus, anxius, conterritus, trepidans et perterrefactus. Proprie itaque vox Ebraea hic significat frangere seu deterrere et absterrere. Et sic usurpatur saepe in scripturis. Vult autem propheta significare, quod Deus longe alio utatur medio ad exterrendos, fugandos et prosternendos illos suos hostes, de quibus hic propheta loquitur, quam mundus. Non gladio, non potentia aliqua carnali, non armis, non laxatis iracundiae impotentisque animi habenis, sed terrore tantum utitur (ut Midianitis incutiebat terrorem), aut deterret aut avocat a coepto et consiliis, dicens, Desine, cessa, fac finem. Tam levi (quod dicitur) brachio opponit sese suis hostibus, et tam facile vel voce potest illos retundere, illorum vires ac conatus infringere, et eos a consiliis coeptisque deterrere. Frangit impetum mortis, peccati, legis et satanae, etiam

impetuosissimum et truculentissimum, una voce duntaxat, non adhibet vim, sed moto digito aut innuens digito terret et deterret hostes illos, ne quid atrocius et gravius in nos moliantur, ac jubet tantum, ut desistant a coeptis etc.

Qui fit hoc? qui tam levi impulsu et momento tanti hostes sese deterreri et suos conatus infringi paterentur? Gravissimi quidem sunt hostes, fateor, atrocia moliuntur, et in nostrum exitium summis incumbunt viribus, sed hic puer terrere et caedere eos levi opera potest. Nam quando vel maxime te urgent, quando conscientiam tuam afflictam excruciant, et te vehementissime oppugnant, tum nulla facta mora confer te ad ecclesiae ministrum, sive ad fratrem pium, et pete absolutionem et consolationem. Hic ubi minister aut frater ad te, imposita tibi manu, dicit, Absolvo te etc., ad hanc vocem (si credis) statim fugit lex, peccatum, mors. Sic solo terrore infirmae manus et linguae conterriti hostes isti immanes cedere coguntur. Nam ubi de peccatis vere doles, et credis Christum sua morte pro eis satisfecisse, petisque absolutionem, tum vere absolveris, nec tum periculi erit quidquam vel a morte, vel lege, vel satana.

Sed an non longe maxima et admiranda res est, quod tam levi motu, tam facile, duntaxat ad impositionem manuum, et prolationem seu sonum vocis humanae, satan fugam capessere, quod peccatum mortem nobis intentans desperare, quodque lex et conscientia finem terrendi et excarnificandi nos facere coguntur? An non mirifica haec est regnandi ratio, quod puer istorum tam terribilium hostium impetus et furores tam levi opera ac momento

infringit et inhibet, eosque terret? An non haec grandia et longe maxima opera, quod sic potest puer hic terrere diabolum, ut fugiat audita tantum voce? Vox illa est potentia tanta, quam virtus legis et ipsa ira Dei fugit. Tanta est virtus, tanta potentia hujus pueri, veri quidem hominis, sed veri etiam Dei.

Si itaque credis, tum motus digituli et linguae, seu vox, qua te absolvo, cor tuum vivificare potest. Cum dico, Confide fili, remittuntur tibi peccata tua, statim hac voce mors moritur, peccatum conficitur et aboletur, satan terretur et in fugam conjicitur.

Haec tanta fieri per verbum vocale hominis res est admiranda et stupenda, quod manus fratris aut sacerdotis, et absolutio est tantae virtutis, ut frangat istum impetum maximum et impetuosissimum tantorum tam horribilium hostium. Ideo etiam magnifice et pleno ore hoc inenarrabile donum, hanc mirificam et immensam potentiam praedicant illi in evangelio, ac laudant Deum, qui dedit talem potestatem hominibus.

Maxima sunt haec et infinita Dei erga genus humanum beneficia. Simus igitur grati et probi, praedicemus haec pueri hujus opera et beneficia, libenter audiamus verbum hoc vitae, justitiae et pacis, ut contra mortis et peccati terriculamenta, et spiritus tristitiam, consolationem et firmamentum habere possimus. Hoc facientes, profecto fieri non potest, quin immensa et incredibili laetitia exundemus, cum tam insignis victoria nobis sit parta, cumque tam opima spolia dividamus, fugatis, fusis ac prostratis tantis hostibus, aculeo mortis, lege augente

peccatum, satana, peccato abolito, morte occisa et exstincta. Das mag ein Kindelein und Herr heißen; Mirificus hic puer, potentiae magnae Dominus est, qui talia ac tanta solo verbo per hominem prolato operatur. Per hominem quidem proferuntur ea verba, non hominis tamen illa opera sunt, sed Dei.

Ergo puer ille natus Deus sit oportet. Non enim hominis opera sunt, unius digituli motu et levi linguae sono mortem prosternere, peccatum abolere, legem relegare et ablegare, satanae potentiam vincere, illumque absterrere et terrere, ut vel voce audita fugere cogatur. Cum igitur puer hic tanta faciat, certum est eum esse verissimum et cum patre et cum s. spiritu unum Deum. Has tam longe maximas res tam brevibus verbis propheta complexus est. Et addit:

Sicut in die Midian.

Hactenus audivimus prophetam non loqui, nec intelligi posse de ulla alia quam de illa magnifica, augusta et longe gloriosissima victoria, illius pueri nati et filii dati salvatoris nostri Jesu Christi. Judaei, ut dixi, lacerant, concerpunt et vitiant hunc textum miserrime ac scelerate, detorquentes eum ad Ezechiam, cujus temporibus laetatus sit populus de confracto exactoris sceptro, hoc est, de exercitu Sanherib fuso ac fugato etc. Quamquam familiare et usitatum est prophetae, ut per virgam seu sceptrum accipiat tyrannidem temporalem, sic enim utitur hac voce cap. 14. de rege Babyloniorum, tamen hoc loco neque praecedentia neque sequentia ullo modo ferunt de corporali aliqua victoria aut hoste illo Sanherib intelligi.

Vident Judaei verba illa, Multiplicasti gentem, non magnificasti laetitiam etc., contra se ac suam sententiam stare ac pugnare, ideo non legunt, Non magnificasti laetitiam, ut in Ebraeo est, sed corrupto textu pro, non, legunt hoc modo, Multiplicasti gentem, et magnificasti ei laetitiam. Haec est impia et scelerata audacia, in sacris literis e proprio cerebro pro libidine torquere verba et fingere sibi sententiam nostri capitis somnio congruentem, ut in his verbis, Multiplicasti gentem, et magnificasti laetitiam. Quae sic exponunt, quod nullus fuerit, qui non mirifice et maxime sit laetatus. Sed cum ad eum modum exponitur, fit verbis prophetae injuria maxima. Non enim potest intelligi aliter, quam de luce magna et de infante nobis nato et filio dato.

Porro quod addit, sicut in diebus Midian, alia est similitudo. Nota est historia, quae scribitur de inclito duce Gideone *), qui percussit Midianitas, Amalechitas et Arabes, orientales populos et australes, quorum numerus erat sicut arena maris. Sic enim dicit textus, Madian et Amalech, et omnes orientales populi fusi jacebant in valle, ut locustarum multitudo. Cameli autem innumerabiles erant, sicut arena, quae jacet in littore maris. Tantam hominum vim occidit Gideon nullo gladio, nullis armis etc. Ideo vel hinc videtis prophetam loqui de alio bello, quam corporali, aliaque victoria, quam quae est per regem aliquem ipsorum parta.

Dicit igitur de quadam victoria, quae victoriae de Midianitis obtentae assimilis sit. Gideon cum

*) Judic. 7. Historia Gideonis.

trecentis viris occurrit tantae multitudini; testatur enim historia centum et viginti milia caesa hostium, et occurrit maximae illi multitudini maxima infirmitate. Nihil enim aliud facit, quam quod dat singulis illis trecentis viris, secum contra hostes euntibus, tubam in dexteram manum, lagenam in sinistram, cum lampadibus in medio lagenarum.

Mirificum sane bellum, bellum sine gladio. Sinistra occupatur testula misera et fragili, eaque est loco clipei. Tuba in dextra est loco gladii. Quale, quaeso, hoc bellum et proelium futurum est, pugnare his armis tam fragilibus contra tantam tam potentium, tam efferatorum hostium multitudinem?

Necesse est fuisse illos viros trecentos excellenti spiritu et maxima fide donatos, quod contra tantum exercitum, his armis, testulis et tubis Deo vocante procedunt. Quid his misellis et ficulneis gladiis atque armis efficerent? Si contra stipulas aut muscas pugnandum fuisset ipsis, satis armati fuissent. Sed quid rationi magis ridiculum, quid stultius quam contra tantum exercitum omni telorum et armorum genere instructissimum tam ridiculis, tam infirmis, tam ficulneis ac nullis armis prodire? Sed Deus sic solet armare suos milites, et sic quantumvis ridicule et stulte armatis adest, ut his armis innumeram hostium vim fundant ac prosternant.

Quomodo istae testae paratae quaque forma fuerint, non possum imaginari. Textus habet, quod fuerit ipsis inclusus ignis, qui erupit collisis seu fractis testulis sive ollis illis. Quomodo eas pararint, an pice aliave materia obductae fuerint, nescio.

Cum facerent igitur trecenti illi viri, in tres

acies ordinati, ut a Gideone edocti erant, hoc est, cum singuli in loco suo per circuitum castrorum stantes clangerent tubis, ac confringerent lagenas, confractisque illis sinistra manu ardentes lampades tenerent, quae testis inclusae fuerant, et dextra tubas sonantes, clamarentque, Gladius Domini et Gideonis, hostes audientes clangorem et sonitum trecentarum tubarum, qui satis magnus et horrendus fuit, videntesque lucem in nocte magnam, quam trecentae faculae praebebant, noctu enim haec facta sunt, subito sunt conterriti. Et quamvis nihil fuerit nisi sonus et lux, tamen hanc cogitationem illis injecerunt, ut putarint totum regnum Aegyptiorum et congregationem aliorum infinitorum populorum coactam, cui nullo modo resistere possent, contra se pugnare. Tot enim tubae, ut sonum maximum et terribilem ediderunt, sic et terrorem maximum illis incusserunt. Tót etiam lampades seu faculae magna luce omnia circumquaque illustrarunt.

Hoc igitur strategemate (cujus autor fuit Deus) consternati sunt hostes, et perculsi animis, nec aliud quam praesentem sibi jam mortem imminere, et in extremo vitae periculo versari se putabant, nec quidquam hic spei esse nisi in fuga. Quare fugam capessentes, dum quisque vitae suae consulturus perrumpere et aufugere nititur, in hac compressione mutuis sese lanienis et gladiis confodiunt et conficiunt. Quia proximo obsistente, fugere tanta pernicitate non poterant qua volebant, ideo praecedentem confodit insequens, ut consuleret vitae. Ita conterriti divinitus incusso pavore ipsi hostes mutuis sese vulneribus confecerunt. Trecentis illis,

quorum dux erat Gideon, nullum gladium educentibus, imo nihil aliud agentibus, quam quod singuli, ut dixi, starent in loco suo, tenentes manu sinistra lucernas ardentes; dextra autem tubas, quibus clangebant.

Hanc historiam celebrat hic Ezechias, celebrat eam et David Psalmo 72, ubi de Messia vaticinatur dicens, Descendet sicut pluvia in vellus, sicut stillae irrigantes terram. Petivit enim Gideon signum hoc, ut ros descenderet in vellus et sicca maneret terra. Rursum petivit, ut vellus esset siccum terra rore conspersa. Judaei et hunc locum, ut omnia, depravant, et sic reddunt, descendet sicut pluvia super tonsum, hoc est, in pratum tonsum seu desectum aut demessum. Sed vocabulum Ebraicum significat proprie tonsionem, sicut oves tonduntur super tonsam lanam.

Cum itaque haec historia a Davide et Esaia hic celebretur, commendata esse nobis debet, lectioneque dignissima est. Gloriosissima enim victoria haec fuit Gideonis de Madianitis, Amalechitis et Arabibus, gravissimis et potentissimis hostibus, cuncta vastantibus usque ad introitum Gasae, nihilque (ut habet textus) omnino ad vitam pertinens in Israel relinquentibus, non oves, non boves, non asinos. Ipsi enim et universi greges eorum venerant cum tabernaculis suis et instar locustarum universa complebant, innumera multitudo hominum et camelorum, quidquid tetigerant devastantes.

Contra trium tantorum hostium tres infestissimos et maximos exercitus, Gideon tres itidem ordines seu acies ordinat, sed impari virtute. Trecentos enim in tres acies distribuit, eosque miri-

ficis armis, tubis scilicet et testis, in quibus ignis erat inclusus, instruit ad tantam pugnam, eosque sic alloquitur: Quod videritis me facere, hoc idem et vos facite. Ingrediar partem castrorum, et quod fecero, sectamini. Quando personuerit tuba in manu mea, vos quoque per castrorum circuitum clangite et conclamate, Domino et Gideoni. Ingressus igitur Gideon et trecenti viri, qui erant cum eo, in partem castrorum, custodibusque suscitatis coeperunt buccinis clangere, et complodere inter se lagenas, seu confringere testas, cumque per gyrum castrorum in tribus personarent locis, et testas confregissent, tenuerunt sinistris manibus lampades, et dextris sonantes tubas, clamaveruntque, Gladius Domini et Gideonis, stantes singuli in loco suo per circuitum castrorum hostilium. Ibi castra omnia turbata sunt, et hostes vociferantes ululantesque fugerunt, direxitque Dominus cujusque gladium in proximum suum idque per omnia castra.

Sic caedet et parvulus hic noster hostes suos, ad eumque modum obtinebit victoriam de omnibus adversariis suis. Talis non fuit victoria de Sanherib obtenta, bellum contra Sanherib fuit bellum Tnupha per angelos gestum. Erat autem Tnupha*) sacrificium, quod movebatur in quatuor partes orbis terrarum, Thruma**), quod elevabatur. Ut in papatu ritum hunc servant elevantes calicem, item, consecrantes, ut vocant, panem, faciunt crucem in quatuor partes.

Tale bellum erat contra Sanherib, videlicet bellum Tnupha, hoc est, quod gerebatur in quatuor parti-

---

*) תְּנוּפָה **) תְּרוּמָה

bus in modum crucis. Angeli enim straverunt exercitum Assyrii sic, ut in omnibus angulis hostes sint prostrati et caesi, numero 185 millia. Non fuit ergo ibi infirmitas humana, ut hic in exercitu Gideonis, sed potentia angelorum, qui in modum crucis exercitum permeabant et delebant. Longe ergo alia victoria fuit quam obtinuit Gideon. Non fuit hic angelorum potentia, sed summa infirmitas. Illis armis fugati ac fusi sunt hostes, quibus videbantur non magis fundi ac caedi posse quam stipulis.

Et hoc admiratur Esaias, quod in extrema illa infirmitate, qualis fuit in Gideone, sit parta illa gloriosissima victoria. Quid enim infirmius cogitari potest, quid etiam admiratione dignius quam trecentos viros, nullis armis, quibus hostes caedi possent, instructos? (nam si habuerunt quippiam eorum armorum, non tamen iis in hoc proelio usi sunt), tam paucos, inquam, numero, nihil omnino armatos ac munitos, sed buccinis tantum et testis, igneque testis incluso, prodire contra tantum exercitum omni armorum genere instructissimum, eumque tantum exercitum his armis, tubis scilicet et testis, prosterni. Solus enim tubarum sonus, feriens aures, et flamma perstringens oculos, gloriosam hanc et mirificam peperit victoriam.

Ad eundem modum et noster parvulus ac filius nobis natus et datus vicit suos hostes, talemque nobis peperit victoriam. Ezechiae nihil simile quippiam obtigit, quod cum victoria Midianitica conferri possit. Itaque de eo hic locus non potest intelligi, ut stulti Judaei somniant.

Allegorias non multum moror, nisi ubi neces-

sitas huc nos cogit. Hoc vero loco vel maxime est necessaria allegoria. Significatur enim hic bellum spirituale, quia propheta loquitur de occidenda et delenda morte, peccato et lege. Hoc totum bellum itaque accommodandum est ad spirituales Amalechitas ac reliquos hostes, et ad Gideonem spiritualem. Tres illos hostes populi Dei fudit et conficit Gideon cum suis sola tuba ac flamma. Non tamen flamma eos combussit, nec sonus tubae occidit aut prostravit, sed tantum terruit, ut dixi. Solo terrore prostrati sunt ex auditu tubae, et conspectu flammae; non senserunt flammam seu ignem, non vel pilus capitis igne in ipsis laesus, sed solo conspectu ignis et sono tantum audito sic consternati et contriti sunt, ut fugendo se ipsos confoderent. Egregia profecto fuit fides eorum, qui cum Gideone occurrerunt tam magnae multitudini.

Sed videamus allegoriam. Tuba est proprie vox evangelii. Dux est filius ille datus et puer nobis natus, ille Gideon abbreviator et praecisor. Hic ducit exercitum. Quem et qualem exercitum? Apostolos et verbi ministros per orbem terrarum, quibus armis instructos? Non gladio, non ferro, non flamma, aliisve armis corporalibus, ut mundum his armis infestent, evertant ac vastent. Arma enim militiae nostrae, inquit Paulus, non carnalia sunt, sed potentia Deo etc. Militamus quidem in carne, sed non per carnem aut carnaliter. In peccatis quidem nati sumus, sed vocati in exercitum hujus ducis, nihil aliud habemus et gestamus quam tubas et in testis lucernam, confringimusque testulas, hoc est, tollimus crucem, et subjecti sumus afflictionibus, quibus omnes pii exercentur.

Non profiteor me professorem et artificem perfectum allegoriarum, sed tamen hanc judico hoc loco aptissimam et appositissimam esse. Tuba vox evangelii est. Sola ea vox prosternit hostes. Nos sumus vasa testacea, portamus thesaurum in summa infirmitate in vasis fictilibus. Sumus infirmissima vasa testacea, martyrizatae, vexatae et mortificatae consciéntiae ostendunt virtutem Spiritus sancti facientem mirabilia. Sic virtus Gideonis nostri in infirmitate nostra perficitur. Si ignis testis inclusus debet erumpere et conspici, oportet testam confringi, id est, subjici nos variis afflictionibus et periculis mortificari. Sicut gentiles etiam dixerunt, non fieri facinus magnum et memorabile sine ingenti periculo. Necesse est collisionem et luctam angustiamque hic esse talem, qualis est quodammodo in partu, ut mortificemur; Spiritus sancti enim dona ac virtus tum exserit sese, et eminet praecipue, cum maxime premimur, angustiamur et collidimur.

Observet autem hoc loco quisque studiosus sacrarum literarum, quod omnes occisiones hostium, quae occurrunt in sacris historiis, significent occisiones spirituales, quas operatur puer ille cum suis ministris per sonum tubarum et lucem testis inclusam, hoc est, per verbum et spiritum sanctum ita terret ac movet hostes populi Dei, ut resipiscant, et se ipsos occidant suis gladiis, utque dicant ad pastores animarum suarum, agnosco peccasse me, domine pastor. Ante non vidi tubas ac testas, nunc video miseriam et perditionem meam, ac doleo de peccatis contra Deum meum a me procaciter admissis. Doleo me persecutum esse populum Dei, veram

religionem, ac pie docentes. Ignosce, quaeso, et absolve juxta mandatum Christi miserum me, sub hoc peccatorum onere gementem et peccatis confossum atque excarnificatum.

Ubi sic nos ipsos judicamus, non judicamur a domino. Judico autem me sic, et confodio me meo gladio, cum damno stultam, procacem, exsultantemque carnem meam, item cum deploro et doleo ex animo, quod missando blasphemavi Dei filium, quod filium Dei habui ostentui, quod sacrilegus fui, sicut fui ego annos quindecim, sicut et Paulus 1. Timoth. 1. queritur, et fatetur se blasphemum, persecutorem et contumeliosum fuisse. Illum totum veterem hominem, qui fuit stultus et impius, qui filium Dei contumelia affecit et crucifixit, illum, inquam, occido et confodio proprio gladio, lingua mea et omnibus viribus meis, et dico ex corde, peccavi. Ista caedes seu occisio proficiscitur e sono tubae et e luce flammae.

Haec est victoria illius pueri nobis nati ac dati, sic gentes convertit verbo ac spiritu sancto, ut se ipsas conficiant, hoc est, judicent, non gladio, sed poenitentia vera, et laetitia spirituali, ut serviant ei in timore, et exsultent in tremore. Confitentes et agnoscentes peccata, et ad Christum confugientes incorporantur Christo, fiuntque sic spolia, quae Luc. 11. erepta sunt diabolo, qui autor est peccati et mortis.

Sic occiduntur mala conscientia, peccatum, mors, quae sane sunt gloriosae et magnificae victoriae. Hactenus per legem vexata et legem accusantem ferre coacta conscientia nunc laeta et exsultans gratias agit Deo nostro, quod tam felici et

gloriosa victoria potitur, quod peccatum est absorptum, jamque liberata canit, Mors ubi victoria tua? Ubi stimulus tuus, inferne?

Quamquam autem victoria illa de peccato, lege et morte in hac vita non impletur, quamquam non sic vincantur hi hostes nostri, ut non redintegrent contra nos proelium, ut non semper nobis negotium facessant, tamen incipit cantari hic canticum hoc, Ubi est stimulus tuus, inferne? Ubi victoria tua, o mors? Nos habemus omnia per Christum longe melius reparata et restituta, quam in paradiso amissa fuerant per transgressionem primorum parentum, quamquam adhuc in lucta. Sed Deo sit gratia, qui dedit victoriam de peccato, mortis aculeo, item quod lex non accusat, aut si vult accusare, tunc fide apprehendere possum hunc infantem, et opponere eum morti. Quamquam igitur redit lex, nec desinit lacessere et impetere, vexandique finem in hac vita facere, tamen victoria tandem penes nos est, donec illic compleatur.

Filius ergo Dei, puer ille nobis natus, ad hunc modum in hac vita mortem, peccatum et legem, hostes illos nostros gravissimos, terret et absterret, fugat ac fundit. Non quidem in totum, non plene deletur in hac vita mors, non penitus peccatum aufertur, non cessat omnino conscientiarum accusatio, exalbescimus nonnunquam ad mentionem mortis, animisque percellimur satis vehementer, contristamur aliquando, sed tamen habemus remedium, quando opponimus infantem, et certa fiducia dicimus: Scis, diabole, quod calcaneo hujus infantis sis insidiatus? scis, lex, quod hunc filium innocentem accusaveris et damnaveris? scis, mors, quod

insontem hunc voraveris? Mox, ubi audiunt hujus infantis nomen, absterrentur et fugam capessunt, viriumque nihil in nos habent.

Quare? Quia diabolus inexpiabile peccatum admisit, reus igitur est mortis et damnationis aeternae, occidit enim filium Dei innocentissimum, summam illam personam, adorandam illam majestatem, nullam prorsus habens causam, sicut dicit Christus Johann. 14: Venit princeps hujus mundi, sed in me non habet quidquam. Non potuit invenire diabolus quidquam culpae in ea persona, nihilominus tamen eam morti adjudicavit et e medio sustulit. Ergo jam diabolus est in aeternum reus, peccatum hoc ab ipso in hanc personam patratum est irremissibile et inexpiabile, quia nunquam potest satis facere pro eo, quod occidit Filium Dei. Ideo Christus in se ipso absorbuit diabolum in se grassantem, ac summo etiam jure non solum virtute divina prostratum sua potentia exuit, ut in aeternum ei subjectus sit, et sic subjectus, ut vel audito nomine ejus pallescat ac contremiscat, inque fugam sese conjiciat, et fallacias struere cesset, quia scit in conscientia sua se judicatum esse et damnatum.

Sic mirabili consilio et modo infans hic peperit victoriam hanc gloriosam, eamque nobis peperit ac dedit. Si itaque credis in Christum, habes virtutem ejus et per illum vinces peccatum, mortem et diabolum. Et haec victoria nondum quidem completa et absoluta est in his terris, sed tamen eliciter est coepta, et post hanc vitam felicissime perficietur. Sic igitur pius quisque in Christum credens est longe potentissimus in Christo dominus, habens virtutem super potestatem diaboli. Luc. 10

ait Christus, Ecce do vobis potestatem super omnem virtutem inimici, et nihil vobis nocebit; et Psalm. 91. scriptum est, super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem; item Job. 40: Num extrahes Leviathan hamo, et fune ligabis linguam ejus? etc.

Hanc vere divinam potentiam vincendi hostes nostros, et calcandi super eos, habemus, ut dixi, beneficio et merito filii Dei. Is enim, ut pro peccatis mundi moreretur et satisfaceret, ac credentes in se a maledictione legis et morte aeterna liberaret, venit in mundum ac assumpta humana natura inanivit se, formam servi accipiens. Hac specie deceptus diabolus, putans peccatorem esse similem aliis, legi eum subjecit, et morti adjudicavit. Quia autem non solum erat justus et verax, sed ipsa justitia, veritas et vita, justificans et vivificans omnes credentes; lex, peccatum, mors, diabolus, nullum habuerunt jus accusandi, damnandi et occidendi eum. Quod autem fecit, sponte fecit propter nos, ideo injuria summa illi facta est.

Lex ergo coram Deo in aeternum rea est, rea est et mors, reum est peccatum etiam, reus est et diabolus. Omnes hi hostes victi per gloriosam hujus impeccabilis et indamnabilis personae victoriam, de his omnibus triumphavit hostibus. Ideo credentibus in Christum dicitur, Non est, quod timeas diabolum, peccatum, mortem, legem accusantem, sis laetus et animo bono, parta est victoria per parvulum hunc natum et filium nobis datum, qui est subjectus legi, peccato, morti et diabolo, nec tamen potuit subjici. Ideoque amiserunt jus suum lex, peccatum, mors et satan, et victi jure bellico

sunt in servitutem redacti. Sic debemus sperare victoriam et salutem per hunc parvulum et filium nobis natum ac datum in hoc, ut hostes istos nobis vinceret, nosque illorum tyrannide pressos liberaret.

De hac spirituali et longe maxima gloriosissimaque victoria loquitur propheta Esaias, non de caede exercitus Sanherib, ut Judaei somniant. Porro hoc argumentum seu materiam hanc de abrogatione legis, de hostibus his, morte, peccato et satana victis tractavimus alias satis copiose.

Hanc theologiam non intelligit humana ratio, nec theologi nostri sub papatu eam intellexerunt, certe pro dignitate tractare non potuerunt ex Esaia propheta et Paulo, id quod inde satis liquet, quod ea capita delegerunt tantum, quae moralia sunt, raro ea, quae de theologia illa loquuntur, quae docet, quod sine operibus, sine meritis nostris, gratis venimus ad incredibilem et inaestimabilem gloriam, quod constituimur domini et victores judicesque super mortem, super peccatum, super ipsam legem accusantem, super inferos et totum diabolorum exercitum. Sed satis est nobis dictum de hac gloriosa victoria, quamvis earum rerum tanta est amplitudo et majestas, ut nunquam satis et pro dignitate tractari possint. Sequitur in textu,

Quia omnis violenta praedatio cum tumultu, et vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem et cibus ignis.

Nunc propheta exponit, quod futura sit victoria illa per sonitum et apparitionem flammae. Non erit bellum corporale, quale Judaei exspectant et imaginantur. Sanguinarii enim homines eo cupiunt redire

rem, ut gladio interficiant gentes, et soli regnent in mundo deletis omnibus gentibus, sic ut non supersit gutta sanguinis Christiani. Tanta est in illis Christiani sanguinis sitis. Ideo occidunt Christianorum parvulos vel veneno vel gladio, et quacunque possunt arte; et arbitrantur hic se obsequium etiam Deo praestituros esse, si omnes gentes perderent, et terrarum orbem solis filiis Israel possidendum traderent. Contra hoc dicit Esaias, Dixi de victoria, qualis et quanta ea futura sit, nempe clarissima, sed non erit bellum aut victoria corporalis.

Labor hic est in grammatica. In Ebraeo non est, Omnis violenta praedatio, ut Hieronymus vertit, sed sic est, Omnis Seon Seen*) in tumultu, et vestimentum involutum sanguine etc. Supra habuimus aliquot vocabula, quae apud grammaticos in Ebraea lingua ignota sunt, quia concidit magna ex parte, quantum attinet ad grammaticam positivam, ubi docentur vocabula et dictiones rerum. In syntaxi est etiam magnus defectus, nisi latina et graeca biblia habuissemus, fortassis Ebraeam vix dimidiam haberemus. Declinationes quidem et conjugationes satis diligenter docuerunt, vocabula rerum et figuratas sententias non explicant sed obscurant. Occurrendum ergo ex novo Testamento, praesertim Paulo et Johanne, qui multa vocabula illustraverunt.

Non est certum, quid sit vox סְאוֹן, nusquam enim reperitur in bibliis, quam hoc loco. Quantum autem ex circumstantia colligi potest, videtur significare proelium, pugnam seu conflictum, quem Germani vocant eine Schlacht, ipsum congressum

*) סְאוֹן סֹאֵן

partium in ipso proelio, ubi manus conseruntur, ubi haeret pede pes, densusque viro vir, ut poëta ait. In eo conflictu magna est collisio armorum, magnus motus, magnus tumultus, et in summa, ibi terra et coelum videntur tremere, huic infligitur vulnus, illi perforatur venter, huic fluit sanguis in dorso, illi in pectore etc.

Fremit aequore toto
Insultans sonipes, et pressis pugnat habenis,
Huc obversus, et huc, tum late ferreus hastis,
Horret ager, campique armis sublimibus ardent,
Crebra, nivis ritu, funduntur undique tela.
Connixi incurrunt hastis, praefractaque quadrupedantum
Pectora pectoribus rumpunt, legitque virum vir.
Tum vero et gemitus morientum et sanguine in alto,
Armaque, corporaque, et permixti caede virorum,
Semianimes volvuntur equi etc.

In tali conflictu, qualem his versibus describit Virgilius, magnus motus, magna armorum collisio, magnus tumultus est. Illum actum et ipsam pugnam, cum est in primo impetu aut in ipso fervore, cum taratantara et tuba canit, cum conclamatur ad arma, id vocant Seon, quem tumultum excitat clamor virorum, et hinnitus strepitusque equorum, bombardarum, tubarum etc.

Haec igitur videtur esse sententia, Tu superasti jugum oneris, sceptrum exactoris, et virgam humeri, sicut in die Midian, ubi nullus fuit congressus hostis cum hoste, nam Gideon buccinas tantum trecentas inflavit et totidem testas ignem habentes confregit. Non fuit bellum gladii contra gladium, hastae contra hastam, nec vulnus contra vulnus, sed

mutuis gladiis ac lanienis adversarii ipsi sese conficiebant.

Supra audistis allegoriam, hic significatum esse, peccatores et impios confici propriis linguis, hoc est, errores peccataque sua confiteri, tuba evangelii et spiritus sancti igne territos ac motos.

Quoniam conflictus confligentium in tumultu, et vestimentum involutum sanguine comburetur, et erit cibus ignis.

Ebraea vox רעש non significat proprie tumultum, ut dixi, sed maximum motum, clamorem, strepitum equorum, armorum et virorum, qualis in pugna est, aut horribilem tempestatem, ut Psal. 18: Commovebatur et contremiscebat terra etc., ubi prosopopoeia quadam horribilis facies tempestatis aëriae, vel ira aetheris seu nubium describitur. In tempestate enim, sonante illo domino et edente mugitum, commoventur et contremiscunt omnia, coelum, terra, mare, aether concrepat tonitruis, erumpunt e nubibus densis et crassis fulgura, funduntur et prosternuntur arbores, occiduntur animalia etc.

Vult ergo dicere propheta, Omnis pugna seu conflictus in proeliis fit mugitu, clamore, strepitu et tumultu horribili, commotione ac trepidatione maxima, infliguntur vulnera, fit caedes miseranda, sanguinis rivi fluunt, sanguine vestes cruentantur et maculantur. Talis vero pugna, tales congressus non futuri sunt in hujus infantis regis et salvatoris nostri regno, quia talem tumultum, talem mixturam et involutionem vestimenti in sanguine devorabit et absorbebit ignis, hoc est, nunquam in ecclesia erit tale tam cruentum bellum.

Sed quid vult, quod dicit ignem devoraturum

esse etc. Judaei scelerate haec verba corrumpunt ac sic interpretantur: omne proelium seu omnis pugna fit quidem in tumultu, vestesque in pugnis sanguine miscentur aut tinguntur, sed hoc bellum, quod Messias noster gesturus est, futurum est in igne tempestatis de coelo descendentis, quale fuit tempore Sanherib. Horribilis est Judaeorum caecitas et audacia, qui pro libidine omnia ad suorum cerebrorum somnia detorquent.

Non vult id hoc loco propheta, quod somniant isti, sed significat id regnum infantis futurum esse regnum pacis et securitatis, non belli, non pugnaturum esse regem hunc mundanorum regum more, non profusurum sanguinem hostium, non prostraturum obvios quosque, non facturum caedes horrendas, quales in conflictibus fiunt etc. Hinc paulo post vocat eum propheta principem pacis, et cap. 11. describit ejus regnum his verbis, Non nocebunt, neque occident in universo monte sancto meo; et cap. 2: Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad bellum. In ecclesia enim non erit corporale bellum, quia repleta est terra cognitione domini. Sic inundabit cognitio Dei, ut aquae in diluvio, ut non sit opus bello aut gladiis. Conflabuntur tum gladii in vomeres, et lanceae in falces.

Eandem prophetiam, quam cap. 2. habet, hic quoque proponit de regno Christi, ac significat Deum missurum esse ignem in terras istius regis tempore, qui ignis devoraturus sit horribilem istam bellorum tempestatem; sicut et Psalmus 46. ait: auferens bella usque ad finem terrae. Arcum conteret et confringet arma et scuta comburet igni. Vaticinatur itaque hic futurum esse, ut spiritus sanctus, ignis

Dei, devoret omnia arma; ignis in conspectu ejus exardescet, inquit Psalmus 50., hoc est, inundante cognitione domini, id est, quando rex ille pacis, justitiae et vitae aeternae praedicabitur, tam copioso evangelii verbo replebit orbem terrarum, ut omnes linguae et gentes audiant et cognoscant, tum cessabunt proelia, tum non amplius conserentur manus, non dimicabitur armis corporalibus, vulnera infligentibus et caedem facientibus.

Illustre discrimen est et clara differentia inter regnum temporale et regnum Christi. Non venit Christus, ut occideret et perderet, sed ut credentes in eum vitam haberent, et salvarentur, ut in evangelio testatur. Non venit, ut gereret bella hic in terris, sed ut contereret caput serpentis, hoc est, ut liberaret nos a durissima servitute diaboli, qua per peccatum et mortem subjecit sibi totum genus humanum etc.

Significat ergo propheta his verbis: conflictus confligentium etc.; non futurum tale bellum, quale gerit mundus, sed longe aliud: Spiritum sanctum enim devoraturum istud bellum, et mutaturum corda, ut homines sint inter se concordes, ut unanimiter Deum laudent, piosque crucifixuros et occisuros alios hostes, quam sunt terreni hostes. Qui vero sint isti hostes, quos pii confecturi sint, dixit ante, videlicet jugum oneris, et virga humeri et sceptrum exactoris. Hoc erit istud bellum, in quo victoriam pii tandem gloriosissimam obtinebunt virtute infantis, qui est rex pacis etc. Proinde etiam vehementer gaudebunt, se liberatos a lege, peccato, morte et diabolo.

Hoc, inquam, erit illud bellum, quod Christiani

gesturi sunt, non tale bellum, quale gerit mundus. Christiani enim non belligerantur more mundi hastis ac ferro, arma militiae nostrae, inquit Paulus, non sunt carnalia, sed potentia Deo; II Cor. 10, acuta et potentia sunt, inquit, non carni, sed Deo. Ad quid? in quem usum? Ad destructionem munitionum, quibus armis consilia destruuntur et omnis celsitudo, quae extollitur adversus cognitionem Dei. Haec est alia pugna, quam mundi. Haec arma expugnant omnem scientiam et sapientiam, quae se opponit sapientiae et cognitioni Dei. His armis pugnatur contra sapientiam legis, contra justitiam legis, immo contra justitiam totius orbis terrarum in moralibus.

Sunt ergo nostra arma spiritualia, quibus contra peccatum, contra mortem, contra legis accusationem, contra nequitias spirituales in coelestibus, contra rectores tenebrarum pugnamus. Expugnamus etiam et demolimur munitiones diaboli, quando occidimus spiritualiter homines, in carnis justitia viventes, quando miseros peccatis et tenebris obrutos, velut vino somnoque sepultos, liberamus, et ad vitae meliorem frugem ac resipiscentiam revocamus, in viam reducimus, coelesti illa sapientia imbuimus, ad cognitionem veritatis perducimus, ut nobiscum glorificent et confiteantur filium illum Dei nobis datum et parvulum nobis natum, victorem illum mortis, peccati, legis, inferni et diaboli, hostium horribilium et teterrimorum. Haec suavissima et gloriosissima pugna est, citra arma corporalia, citra vulnera alieno labore et periculo vincere, victoriamque incruentam de tantis hostibus reportare.

Gladius corporalis contra mortem, diabolum et

legem conscientiae accusatricem nihil potest, nullam habet aciem, non vulnerat, non laedit, non fugat, non caedit hostes istos nostros spirituales. Nihil itaque spei nobis est in illis armis corporalibus. Abjiciuntur ergo a Christianis, suntque exusta per ignem Spiritus sancti.

Sunt autem exusta non solum quoad usum spiritualem, aut quoad spiritualia, sed etiam externe, quia Christianus contra Christianum non pugnat, nec utitur armis illis corporalibus. Spiritus sanctus enim infusus in corda nostra nos mutat, concordiaeque amorem pacisque studium nobis inserit, ad benevolentiam mutuam nos invitat. Et sic animos nostros fingit ac format, ut mutuum condonemus offensas, libenter remittamus delicta, patienter toleremus errores et imbecillitatem in proximo.

Hic est ignis ille Spiritus sancti, mutantis et refingentis corda nostra, sic ut nec ego contra te nec tu contra me incidentibus forte offensionibus arma capias. Sunt ergo arma omnia carnalia inter vere pios combusta et in cineres redacta.

Idem dicit D. Paulus Ephe. 2, ubi ait: Per Christum destructam inimicitiam, et dirutam maceriem inter nos gentes et Judaeos, nosque copulatos et reconciliatos in unum corpus, in unum novum hominem, ut vivamus in uno sensu, corde et anima. Quod tu credis, credo et ego, quod tu speras, idem spero et ego. Hinc mutuum amamus, sumusque inter nos carissimi fratres. Ubi corda per eandem fidem sunt coadunata in unam animam, ibi certe non potest esse bellum.

Hoc est Christi parvuli hujus nostri pacificum et almum amabileque regnum, consistens in fide

una, in pura caritate et concordia spirituali. Parochus concionaturus non stringit gladium (uti Mohametanis mos est, apud quos doctores Alcorani interim, dum docent, strictum gladium manu tenent, significantes gladio eam doctrinam partam ac confirmatam, gladio etiam defendendam esse); nec ego dicturus pro concione aut concionem auditurus adfero gladium, non instruuntur acies, non concurritur hastis infestis, sed in unum congregati colligimur in unum filium Dei, in unam eandemque gratiam remissionemque peccatorum, et laetamur in spiritu inter nos simul, Deoque gratias agimus, eumque laudamus et praedicamus, qui nos in Spiritu sancto et caritate vera concordes fecit. Hoc, inquam, facit ignis ille coelestis, per quem arma illa corporalia prorsus exuruntur. Is ignis Dei spiritus sanctus accendit corda nostra, et devorat arma.

Et hinc videri potest, quod sit discrimen inter regnum filii Dei et regnum mundi. Per regnum hoc infantis, hujus nostri filii Dei, non tollitur magistratus et ordinationes politicae, obedientiaque subditorum, immo secundum veterem et externum hominem sumus subjecti huic civili vitae, quia non omnes sunt Christiani, qui tales se profitentur. Major pars mundi manet impia et incredula. Cum itaque impietate et effreni vitae profligatae ac flagitiosae licentia mundus Deum offendat, ideo vel nulla, vel rara et parva est pax in mundo. Et hoc est praemium, quod redditur mundo pro impietate et malitia sua. Sic Deo dat poenas.

Necesse igitur est nos vivere inter homines, qui bella gerunt. In hoc impiorum hominum hospitio et castris vita transigenda est. Apud impios

non est bellum sublatum, sed apud et inter pios tantum est sublatum. Omnes Christiani sumus fide unum corpus, Ephes. 4, 1 Corinth. 12, sed secundum corpus, quod circumferimus, subjecti sumus potestati et rebus politicis. Ecclesia, regnum Christi, concors et unanimis est per omnia. In politico regno aliter se res habet, et secus omnia geruntur, quam in illo spirituali. In his terris inter impios non potest esse et constare illa pax, propter impietatem et flagitia mundi contra Deum, ut dixi.

Cum ergo simus secundum externum hominem sub magistratu, necesse est parere edictis magistratus, et in bellum etiam proficisci, si sit opus. In oeconomia agrum exercemus, domum gubernamus, familiam regimus. Hae ordinationes divinae quidem sunt, sed tamen externae. Non pertinet oeconomia ad regnum coeleste, sed tamen ea opus est, dum hic vivimus. Sic et politicis ordinationibus opus est, iisque secundum externum hominem sumus subjecti.

Diligenter et prudenter haec sunt distinguenda. Vix enim prohibere possumus, quantumvis summo studio in hoc incumbamus, ne politica et ecclesiastica misceantur et confundantur. Papa perrumpit, nullum hic discrimen facit, sed tanquam coquus multa jura miscet, confundit, perturbat et interturbat, dissipat et evertit omnia. Et egregie respondet hic nomini suo. Dixit enim Christus Matth. 24: Eum esse abominationem desolationis, significans eum vastaturum, foedaturum et turbaturum miserabiliter politiam, oeconomiam, et ecclesiam novis dogmatibus, baptismatibus, humanis traditiunculis, ficticiis et impiis cultibus propriisque justitiis contra Christum et evangelium ejus invectis et confirmatis, subjec-

turumque sibi his artibus ecclesiam et politiam, leges et reges, quos sic sibi subjugavit, sic dementavit, sic captos tenuit, ut huic foedo monstro, huic devastationi seu vastatori ac desolatori ad nutum in omnibus parere coacti fuerint.

Pro autoritate enim illa sua, sic inquit papa, non dedignentur leges sequi sacros Canones. Si dixisset, Non dedignentur leges sequi verbum Dei recte et pie dixisset. Nam leges cum verbo Dei non consentientes juxta verbum emendari oportuit. Sed sacris, immo exsecratis illis Canonibus suis pugnantibus cum verbo Dei, pro libidine leges ipsis etiam Caesaribus tulit, breviter in omnibus et super omnia regnavit ac mundanum sibi imperium vendicavit, et ad hunc modum horribiliter politiam vastavit.

Vastavit et oeconomiam, rapiendo filios et filias, occidendo parentes per inobedientiam liberorum in coenobia sese abdentium, aut matrimonia contrahentium citra parentum suorum consensum, quos contractus papa voluit esse ratos. An non et totius fere orbis opes rapuit, ut nemo fuerit, quem non spoliarit, cujus facultates non attenuarit, a quo non vel indulgentiis, vel privilegiis, vel excommunicationum minis ac fulminibus aliisque artibus atque imposturis argentum emunxerit?

Propriissimum itaque epitheton addidit ei Christus, ubi desolationem seu vastationem vocat, cum vastarit non ecclesiam tantum, sed politiam et oeconomiam quoque. Vastavit autem, confudit ac miscuit sic omnia, ut magno negotio vix cujusque vitae ac status genus ad suos limites revocare ac suis terminis circumscribere atque sepire possimus.

Ideo clamamus et pugnamus summo studio, ut conservetur certa et diserta atque indubitata distinctio, et propria cujusque status definitio, quod oeconomia pertineat ad gubernationem liberorum ac familiae, ut parentes regant domum, ut politici principes gubernent rempublicam, subditi obediant. Item, ut in ecclesia doceatur cognitio filii Dei, ut credentes omnes consentiant in eundem infantem nobis datum et natum, ut occidamus peccatum, ut adjuvemus et sublevemus fratrem lapsum, ut subveniamus egenis, ut faciamus opera vitae contra mortem, opera justitiae contra peccatum, opera consolationis contra conscientiam anxiam, contra diabolum et desperationem, ut exerceamus inter nos mutuam caritatem, ut non scindamus concordiam, ut largiamur eleemosynas etc. Haec pertinent ad ecclesiam. Sed haec opera non sunt propria ecclesiae opera, nisi fluant e fide et caritate.

Haec distinctio inter politiam, oeconomiam et ecclesiam diligenter servanda est, et unaquaeque intra suos terminos coercenda. Et quamvis summis viribus in hoc incubuerimus, tamen satan non finem faciet haec miscendi ac turbandi, nec unquam defuturi sunt, qui se intra terminos suae functionis non sint contenturi. Spirituosi, fanatici ac seditiosi doctores non contenti suo munere politicam etiam administrationem sibi sumunt. Contra politicus magistratus ac principes mittunt suam etiam falcem in messem alienam, manusque suas admovent ecclesiae gubernationi et hic quoque imperium sibi sumunt. Sic satan semper habet, qui nobis hic turbas moveant, et suae vocationis praescriptos limites excedant.

Quare opera danda est magna, ut probe et di-

stincte conserventur definitiones hierarchiarum divinitus institutarum. Mulier non gerat vestes viri, nec vir mulieris, quisque maneat in sua vocatione, quisque tueatur suum locum, et intra terminos suae functionis se coerceat, nec metam transiliat, unumquodque vitae genus ac status in suo circulo, in suis limitibus ac metis contineatur.

Non odimus principes, non odimus juristas, (an ipsi nos ament, novit Deus, quidque de nobis sentiant, quam nobis bene cupiant, testantur ipsorum animi), non odimus nobiles, aut quemquam, sed hoc agimus, hoc cupimus, et in hoc laboramus, ut intra suos terminos hierarchia quaelibet conservetur, ut quisque suum faciat officium, nec vitae genera et distinctae functiones confundantur ac misceantur. Docemus quamlibet hierarchiam esse divinam aut divinitus institutam, nullam contemnimus. Sed in hoc laboramus, ne misceantur; mixtura hic non valet. Si politia cum oeconomia miscetur, fiunt stupra et alia horrenda flagitia; si oeconomia cum politia, fiunt tyrannides; si cum ecclesia, fiunt haereses. Breviter, quando miscentur haec, tum diabolus operatur. Ex operibus autem diaboli nihil fit boni. Prophetae ergo praedixerunt, ecclesiam fore regnum distinctum a mundi regno, non politicum, nec oeconomicum, sed spirituale.

Judaei omnes detorquent haec verba ad bellum corporale, putantque prophetam loqui de bello aliquo gesto cum hostibus populi Dei. Sed in hoc et similibus locis nihil minus volunt prophetae. Cap. 11. ait, Non nocebunt, neque occident in universo monte meo, quia scientia Dei regnabit, sicut mare abundat aquis, id est, verbum vel doctrina

de Domino longe lateque praedicabitur, filius ille infans regnabit per verbum per totum orbem terrarum. Idem ille omnem pugnam tumultuosam (in qua profunditur sanguis, et vulnera infliguntur caedesque fit) e medio ecclesiae, quae est fidelium congregatio per Spiritum sanctum, tollet. Quotidie autem nascuntur novi homines, semper ergo est cibus ignis comburens. Quare?

Puer enim natus est nobis, et filius datus est nobis.

Hic est insignis et illustris locus, si ad eum tractandum essem idoneus. Sed dicam et praestabo, quantum possum. Relinquam quaedam et aliis in scriptura magis exercitatis. Est autem ratio, ob quam hoc regnum non sit tumultuosum et cruentum, cur armis et bellis carnalibus non geratur. Quia, inquit, habemus puerum regem. Infans regnat, puerile regnum erit et jucundum. Pueri non utuntur armis, infans est infans. Non dicit, quia natus est nobis vir, rex, propheta, David aliquis, gigas aliquis, ut potuisset dicere, alibi enim sic vocatur Christus, sed puer, inquit, natus est nobis. Et hoc ipso describit, quale sit regnum hujus pueri, videlicet suavissimum, blandissimum et jucundissimum. Mores infantis pueri sunt innocentes, non rapiuntur pueri affectibus, non indulgent cupiditatibus, non laxant frena iracundiae, non feruntur impotenti animo in vindictam contra eos, a quibus laesi sunt.

Quod igitur puerum vocat hunc regem, eo regni ipsius qualitatem et faciem describit, videlicet, quod sit futurum suavissimum et amabilissimum regnum, et quod talis sit rex futurus, cum quo possis collu-

dere, tamquam cum puello unius aut alterius anni, quod sit futurus rex blandus, puerilis, suavis, a quo facile omnia impetrare, in quo et cum quo te delectare, ex quo summam voluptatem capere possis.

Quamvis autem puer sit, nihilominus tamen est et dominus ac princeps. Puer est, ne quisquam ab eo deterreatur, et sibi ab eo metuat; Dominus est et princeps, ne quisquam eum contemnat. In historia evangelica mira et incredibilis erga poenitentes et pios ejus est humanitas, comitas ac suavitas. Est et simplicitas tanta, ut hic infantes etiam superare videatur. Sic se submittit, sic dejicit, tam se tractabilem et affabilem exhibet, ut apostoli cum eo quasi ludant, et minus eum metuant, quam infantulum aliquem, tam blandum ac comem se regem esse ostendit, ut a puero nihil videatur differre. Nihil hic nisi meri lusus, blanditiae et jucunditates, quando nobiscum agit.

Nobis tamen est puer, qui in illum credimus, impiis vero non est puer, sed fulmen et tremendus judex, nec ipsis natus est, sed nobis. Nos, inquam, qui credimus in eum, habemus tam placidum et benignum regem, ac si haberemus puerulum, cum quo securissime et suavissime ludere, ex quo mirificam et summam voluptatem percipere possemus. Quid enim tremendum, quid metuendum in eo regno, quod nullis externis armis administratur? An metuendus is, qui jacet in praesepi, qui pendet in cruce, qui tanquam ovis ad lanienam se duci patitur? qui ultro moritur pro suis, qui in ulnis et sinu matris quiescit, qui sugit ubera? Quid tali rege placidius? quid minus metuendum? Cur ergo metuis tibi ab illo? Non est, quod trepides; non

mordebit, non discerpet, non laedet te, non habet gladium, sed ubera matris, infans est, jacet in praesepi.

Nihilo minus tamen dominus est orbis terrarum potentissimus, ut scriptum est, Psalm. 72: Dominabitur a mari usque ad mare, et à flumine usque ad terminos orbis terrarum. Et ecclesia canit, Hic acet in praesepio, qui regnat sine termino. Non tamen mortalis aut mundanus, sed spiritualis et aeternus dominus et rex perpetuae pacis et vitae est ıt idem Psal. testatur, In diebus ejus erit abundania pacis, donec auferatur luna etc. Ideo in regno ejus nulla sunt arma. Infans est, ait Jesaias, non ıabet dentes; non ungues, nulla in eo mordacitas est, sed summa placiditas. Describit propheta et cap. 42. eandem hujus regis humanitatem ac benignitatem, ubi ait dominus, Ecce servus meus, quem elegi, in quo bene complacitum est animae meae; ıon contendet neque clamabit, neque audietur vox ejus in plateis; arundinem comminutam non conringet, et linum fumigans non exstinguet. Non erit ristis aut terribilis.

Paulus Tit. 2. dicit eum esse φιλάνθρωπον. Est enim in eo summa suavitas, summa χρηστότης, benignitas, humanitas et comitas. χρηστόν vocant Graeci hominem commodum, suavem, placidum, comem, benignum, facilem, humanum, cum quo omni fiducia possis confabulari, commode cohabitare, qui omnia boni consulit, qui non facile offenditur, quem scis esse propitium, clementem, ignoscentem, qui velit plus facere quam tu petas. Talis erit et noster rex. Ideo impossibile est, ut possint esse bella et vulnera, aut caedes in regno ejus, quia

rex infantulus est, quem nemo metuere, sed omnes cum fiducia invocare possunt ac debent.

Sed nobis (ut dixi) dicitur et est puer, nobis est filius. Adversariis non est talis, quos quamvis gladio non occidat, judicabit tamen suo tempore. Distinguendum ergo inter nos et omnes incredulos. Credentibus in ipsum est puer, blandus et propitius, non potest ferre, ut hi damnentur.

Cum Pharisaei et Scribae damnantes discipulos Christi dicerent, Discipuli tui transgrediuntur traditiones patrum, non lavant manus, vellunt et edunt spicas, Christus respondet, Si sciretis quid sit, misericordiam volo et non sacrificium, non condemnassetis innocentes. Hic videmus, quam ferre non possit Christus, ut credentes in ipsum damnentur.

Sic in tota historia evangelica vides infantilem blanditiem, suavitatem, humanitatem, affabilitatem, comitatem et benignitatem cum tanta simplicitate, ut videatur puellus. Verum ubi excitatur et irritatur ab hypocritis, sacerdotibus, scribis etc., ibi aliam prae se fert faciem quam puerilem, ibi coelestem et infinitam potentiam et sapientiam exserit et ostendit.

Quod item addit, Filium nobis datum, id vero amplissimam et uberrimam consolationem et spem nobis suppeditat. Quid enim potuit dare nobis Deus majus et amplius, quam quod filium suum infinita bonitate et suavitate nobis dedit et obtulit, ut nobiscum loqueretur, luce sua nos perfunderet, et nos vicissim auderemus cum eo loqui, utque in fide istius infantis et filii contra portas inferorum et omnia diaboli terriculamenta consistere possemus. Puer nobis natus est, nobis etiam puer manet, sic

filius nobis datus est, et nobis filius manet, non fit alius quam fuit a principio nativitatis suae. Si autem habemus filium, habemus et patrem. Habemus autem infantem et hunc filium, mater parit eum nobis, lactat eum nobis, manet puer nobis in aeternum. Exhibet se nobis non tetra gravitate, non terribili aliqua majestate tremendum, sed exhibet se nobis parvulis parvulum, ac ludit nobiscum in aeternum in pueritia sua.

Praeter hoc tantum tam immensum beneficium datus est nobis filius tam dilectus tanti patris. Quid ergo timebimus? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Habemus pignus carissimum et infinitum. Quomodo igitur posset nobis irasci pater? Immo ipse pater in filio et propter filium cogitur quodammodo (ut sic dicam) repuerascere, ac nobiscum ludere, nobisque blandiri, cum habeamus filium ejus; propter hunc filium dilectum sumus et nos dilecti filii et haeredes Dei etc.

Vides, quam magnifice senserint et locuti sint prophetae de Christo venturo, quam exundarint gaudio vel de adventu ejus cogitantes, quam illos exhilararit vel sola tantarum rerum exspectatio et commemoratio. Nos ad illos collati, lapides et trunci sumus verius quam homines, qui nihil aut pertenuiter his tantis rebus afficimur, cum tamen nunc non in exspectatione nostra ea sit gratia et gloria, sed jam revelata, in manus nobis tradita, oculis proposita, auribus et cordibus nostris spiritus sancti oblata et ministerio inculcata.

Cum tanta igitur lux nobis affulgeat, nos tamen eam gratiam non satis pro dignitate aestimemus, immo multi etiam contemnant et repudient, cum tanta

sit ingratitudo nostra, tanta socordia, tantus torpor, non mirum est sane, quod Deus tantopere nobis irascitur, quod mittit Turcam, quod papae tyrannide nos premit, propter tantam ingratitudinem et contemptum erga hanc gratiam et lucem nobis revelatam.

Immensum et inenarrabile est beneficium Dei in nos, quod filium suum unigenitum donavit nobis, et cum eo omnia. An non summa et infinita haec φιλανθρωπία, amor et benevolentia Dei erga nos, moveret corda nostra, summoque gaudio nos perfunderet, et ad aliquam gratitudinem Deo pro tanto beneficio rependendam, ad gratiarum actionem perpetuam, ad vitae frugem meliorem, ad obedientiam erga tam benignum et misericordem patrem excitaret, si agnosceremus istud summum beneficium, si pro dignitate et magnitudine id aestimare possemus?

Ipse mihi vehementer displiceo, et me ipse odi, quod scio vera esse omnia illa, quae de Christo Scriptura dicit, quibus nihil majus, nihil amplius, nihil jucundius, nihil laetius esse quidquam potest, quae me summo gaudio delibutum reddere debebant, quod video scripturam in omnibus et per omnia consonare et consentire sic, ut de tantae rei veritate et certitudine nihil dubitari possit, et tamen impedior carnis meae malitia, sicque lege peccati captivor, ut non possim illud beneficium per omnia membra, per ossa et in medullas ipsas transfundere, ut quidem vellem. Bernhardus fatetur, quod aliquando gustarit quidem suavitatem istius cognitionis, quod repletus sit gaudio incredibili, sed idem queritur, quod impediente carne non diu duraverit is gustus. Augustinus eadem queritur etc. Comprehenderem et ego libenter et penitissime infigerem

cordi meo verba et promissiones illas laetissimas, sed maledicta illa caro, murus sensualitatis (ut pii monachi vocare solebant) sic gravat, obruit et captivos tenet nos, ut istas lautitias, ista immensa gaudia non possimus capere, sicut debebamus. Cor nostrum multo est angustius, quam ut tanti beneficii amplitudinem capere possit.

Tanta enim ejus est magnitudo, ut si quis comprehenderet, quod Deus omnipotens, creator coeli et terrae, nobiscum luderet, nobis blandiretur, tanquam filiis suavissimis, nobiscum laetaretur, et tantam nostri curam ageret, tanto amore et benevolentia nos prosequeretur, si plenam istius erga nos φιλανθρωπίας cognitionem haberemus, tum tantum esset ex ea cognitione futurum gaudium, ut prae immenso gaudio statim exspiraremus aut mori gestiremus.

Hincque videmus, quanta sit imbecillitas, quantus torpor noster, cum pauci non dico mare istud, sed vix guttulas aliquot immensi istius gaudii sentiant. Ergo non stertendum, sed contra malitiam carnis eo fortius insurgendum, summisque viribus laborandum, ut subinde crescamus in hac cognitione. Sicut et Petrus monet 2. Pet. 3, Crescite, inquiens, in gratia et cognitione domini nostri et salvatoris Jesu Christi. Subinde igitur progrediendum, semper discendum est. His meditationibus multum temporis dandum, ut subinde fiat in hac cognitione aliqua accessio. Nam absolutionem et perfectionem in hac carnis infirmitate et corruptione sperare non possumus. Apprehendere quidem possumus aliquo modo, sed non comprehendere.

Ergo exerceamus nos, et meditemur ista dili-

genter ac sedulo, ut subinde crescamus, et magis magisque roboremur in hac cognitione, donec plenitudo ejus illic veniat in vera et absoluta cognitione. Citra meditationem et exercitium non crescit haec cognitio. Non statim cognovisti Christum, ubi concionem unam atque alteram audivisti. Non est, quod dicas, audivi filium Dei pro me natum, ergo Christum scio et cognosco. Longe erras. Murus ille sensualitatis impedit, quominus sentiamus jucundissimum odorem istius infinitae misericordiae, quod creator omnium, et tuus, tua causa puer factus, tecum ludit, nec puer ille tantum, sed et pater in coelis, atque angeli omnes. Carne nostra impedimur, quominus in hac vita plenam ex hoc summo et ineffabili beneficio voluptatem in cordibus nostris sentiamus.

Sed ubi muro illo sensualitatis, ubi hoc limo et luto carnis nostrae liberati, in aeternam illam vitam pervenerimus, ibi de ineffabili illo gaudio, quod hic nunc copiose per verbum nobis obtruditur, disputabimus. Beatus, qui hic meditando ejus gaudii vel scintillas et guttulas aliquot sentit et apprehendit. Id autem consequemur, si legendo et audiendo nos exercuerimus, et in his cogitationibus, in suavissimis filii Dei lusibus, per pueritiam ipsius nobis exhibitis, animos nostros occupaverimus.

Et filius datus est nobis.

Dixi regnum Christi futurum placidissimum, filiale et puerile, quia rex noster natus est nobis puer, et filius datus est nobis, manebitque et est in aeternum nobis puer et filius. Singulis annis iteratur

cantio haec, Puer natus est nobis etc., et cantabimus eam in saecula saeculorum inque futura vita admirabimur et laetabimur plene in illa inaestimabili laetitia, quod Dei filius est parvulus noster, et filius nobis datus.

Porro filii vocem accipio, non tantum substantive, sed etiam relative, et in praedicamento relationis. Sic enim sonant verba, Datus est nobis filius.. Supra dixit, nos fuisse oppressos jugo oneris, virga humeri, et sceptro exactoris, hoc est, captivos diaboli, subjectos morti, servos peccati, obnoxios legi. Nunc vero per contrarium relative in Christum credentes amplius non sunt servi mortis, peccati, legis et diaboli, sed filii per hunc filium nobis datum. De qua libertate per Christum parta legito D. Paulum ad Galatas Cap. 3, Non est servus etc., sed omnes vos unum estis in Christo Jesu. Servitus illa, qua nulla potuit esse durior, per hunc regem, datum nobis filium, est sublata, et per eundem libertas ac filiatio nobis parta ac reddita.

Populus legis habet servum Mosen, qui habet officium mortis, peccati, damnationis et malae conscientiae. Ideo Paulus vocat officium ejus administrationem mortis, quia non justificat sed occidit, operatur iram, et captivat, non liberat. De qua servitute ac captivitate dictum est nobis supra, ubi ageremus de sceptro exactoris. Contra hunc servum et hoc mortis ministerium habemus filium datum, ut simus liberi, quia natus est Liber, et ut esset liberator, et liberos nos redderet. Non erat sub lege aut obnoxius legi. Factus quidem est sub lege, non tamen natus sub lege, nec ei fuit obnoxius, quantum ad ipsius personam attine-

bat, sed propter nos subjecit se legi. Ita includitur in vocabulo filii libertas Christiana, qua liberati sumus a Mose et ministerio mortis.

Haec tamen intelligenda quoad spiritum de novo homine. Vetus homo maneat sub lege. De qua re lege Paulum ad Romanos et Galatas. Homo vetus propter reliquias peccati in carne debet esse subjectus legi, ad eum usque diem, quo mandabitur sepulcro. Per totam vitam debet esse reus mortis et condemnationis, malaeque conscientiae stimulis divexari, et sic crucifigi, in bonum tamen suum, ut mortificetur ipse cum vitiis et concupiscentiis suis. Hinc D. Paulus ait, Etsi vetus homo noster corrumpitur, internus tamen secundum imaginem Dei creatus renovatur de die in diem etc. Novus autem homo qui credit in infantem, et filium nobis natum et datum, dominus liberrimus est, nulli legi obnoxius.

Non confundantur ergo homo vetus et novus. Homo ille novus non est subjectus legi, morti et peccato, sed filius Dei liber, supra legem, supra peccatum, supra mortem et infernum. Jugum ergo oneris non premat hominem novum, sed veterem, qui quotidie debet mori, ut destruatur corpus peccati. Corpus est mortuum, inquit Paulus, propter peccatum, spiritus est vita propter justificationem, propter reliquias peccati in carne judicamur a lege, damnamur ad mortem, nostraque carnalis vita non habet bonam conscientiam. Sed novus homo, qui credit in filium, est dominus omnium cum filio, est rex et dominus dominantium, non in mundanis et caducis rebus, sed caelestibus et aeternis, est dominus mortis, legis, peccati et inferni. Quando

me terret mors aut vexat conscientia, respondeo, Vade, exerce dominium tuum in carnem, dimitte animam et conscientiam in pace. Non est, quod me terreas, mors, credo in Jesum Christum, filium Dei. Quid in illum tibi est juris? Quid illi facies? Is datus est mihi, estque vere filius, qui est liberator, libertas et liberatio, sapientia, redemtio et justitia mea, 1. Corinth. 1. Et Johan. 11 et 14 testatur se esse resurrectionem, viam, veritatem, vitam.

Sic vox filii relative exposita consolatur nos contra servitutem peccati, mortis et inferni, sic omnis Christianus, quantum attinet ad externum hominem suum, est sub Mose seu lege, sub morte, inferno et diabolo; quia externus vel vetus homo adhuc crucifigendus est et mortificandus. Secundum fidem autem novus ille homo apprehendit filium illum datum, estque dominus mortis, legis, inferni et diaboli, ac dicere potest, Ubi mors stimulus tuus? Ubi, inferne, victoria tua? Sic, inquam, dicit secundum fidem, qua credit in filium nobis datum. Haec est libertas nostra, parta nobis per hunc regem, datum nobis filium, contra servitutem legis etc.

Igitur acute et probe distinguendum est inter Christum et Mosen, inter filium et servum. Servus Moses collocetur super humerum et dorsum, hoc est, super antiquum illum asinum, veterem Adam, ut mortificetur et destruatur corpus peccati, supra novum vero hominem Moses servus non ascendat. Non enim in novum hominem quidquam juris habet Moses servus, non ibi est regnum ipsius, regnum illud servitutis, peccati et mortis. Hoc regnum et ministerium mortis maneat in carne. In novo ho-

mine est filiatio, est justitia, est sanctitas, est salus, est redemptio et vita aeterna.

Hinc Christianus homo impavidus et securus contemptor est maximorum et teterrimorum hostium, peccati, mortis, inferni et diaboli propter fidem in Christum, filium illum datum, sic ut medium illis digitum ostendere, ac dicere possit, Quid facies, mors? quam mihi injuriam inferes? mordebis? nolo morderi. Accusabis me peccati? Nolo accusari. Quid tu, inferne? putas te triumphaturum contra me? immo ego contra te gloriose triumphabo. Nec tu, diabole, quidquam in me juris habes, saevi quantum potes, tuum tamen me nunquam facturus es, quia filius mihi datus est, ago nunc sub regno filii, qui attulit summam et perpetuam libertatem. Ejus regnum nulli subjectum est, Dei enim filius est. Non subjectus est legi aut morti secundum suam personam, sed propter nos descendit in lacum. Is dicit ad me, Propter te hoc patior, crede in me, qui credit in me, non morietur in aeternum, ac etiamsi mortuus fuerit, vivet. Hoc est esse liberum a morte. Haec altera antithesis est. Sic filium accipio relative contra servum, id est, jugum oneris, pro regno libertatis.

Praeterea significat propheta etiam his verbis, puer nobis natus, filius nobis datus, quod rex ille justitiae et princeps pacis sit una persona, ex duabus naturis constans, divina et humana, puer in tempore natus est ex matre Maria virgine, Filius ab aeterno genitus a Patre. Ex quo sequitur, quod Puer hic natus ex virgine sit simul filius in divinitate; ergo vere Deus et vere homo est.

In tota ergo hac prophetia loquitur de hoc

filio et puero, quod is omnium sit auctor, quae hic promittuntur, quod is omnia praestiterit et obierit. Ubi dicit, populum in tenebris sedentem vidisse lucem magnam, id beneficio et opera hujus regis, filii Dei et virginis, contingit. Quod dicit, Confregisti jugum oneris etc., id de filio et puero hoc intelligi debet, quod is hoc praestiterit, quod is fregerit et superaverit hos hostes nostros et has difficultates. Non fecit id quidem sine patre, sed filius tamen haec praestitisse et fecisse dicitur, quia id in persona filii factum est.

Exprimit ergo propheta hic in voce altera, Filius, personam in divinitate. Sic rex hujus libertatis summae, rex liberrimi populi, liberrimi, placidissimi, tranquillissimi, suavissimi et blandissimi regni, auctor, constitutor et operator, hic, inquam, rex est filius Dei in excelsis, et verus tamen homo, puer de muliere natus.

Hic ordo diligenter servandus est. Non ascendendum ad majestatis divinae inquisitionem, antequam infantulum hunc bene comprehenderimus, sed ascendendum est in coelum illa scala, quae nobis proposita est, his gradibus utendum, quos deus ad eum ascensum paravit et applicavit, Noluit filius Dei videri et inveniri in coelo. Atque ideo descendit e coelis ad haec infima, venitque ad nos in carnem nostram, et posuit se in gremium matris, in praesepe et in crucem. Hanc scalam posuit in his terris, qua ad Deum ascenderemus. Haec via ingredienda est. Si hac via relicta et sine hac scala de majestatis divinae gloria speculari tentaveris, speculaberis mirabilia super te, sed tuo maximo damno. Quare moneo, ut hac via insistas et

hac scala utaris, nec majestatem illam scrutari tentes.

Philosophi, praecipue Platonici, multo de divinitate imaginantur, quomodo Deus sit mens quaedam, quae gubernet mundum, et causa sit omnis boni in natura. Sed tandem volentes esse sapientes stulti facti sunt. Omnia enim, quae de Deo dixerunt, semper vertiginosam quandam imaginationem resipiunt. Et in hac parte prolixe et egregie stoliditatem et insulsitatem suam prodidit tota philosophorum natio. Necesse enim fuit eos obrui majestate, sic ut amiserint Deum, quaerentes et scrutantes Deum. Occurrerunt enim illis quaestiones rationi inexplicabiles, quare sic faciat Deus? sic mundum regat? etc. Ratione conabantur indagare et comprehendere modum gubernationis, quae rationi non est consentanea. Ideoque eos in sua sapientia infatuari necesse fuit.

Tu vero, qui impingere non vis, apprehende primum parvulum illum, nec ab eo oculos deflecte. Cresce cum eo et augesce, ac te exerce in fide illius, tunc invenies Deum, tunc dissolves omnes praedestinationis quaestiones, quae occidunt carnalem hominem. Cum senseris tibi placere filium, cum delectaris in eo, quod tibi parvulus factus est, cum amare eum coeperis, tunc confide et certo statue, te esse de numero justorum, et quem pater traxerit non tractu metaphysico, per revelationes et visiones. Singularibus enim illis illuminationibus, ecstasibus et visionibus, quales revelationes et illuminationes habuerunt aliquando monachi, non credendum est. Diabolus istarum rerum omnium saepe est auctor, et est tam potens spiritus, ut facile possit operari

et immittere jucundissimas cogitationes, ut putes te esse inter angelos etc. Quantumvis autem jucundae sint, infundit tamen eas in cor, longe alio consilio et in alium finem, quam putatur. Certe tales cogitationes et illuminationes sunt extra filium datum. Multi hic fregerunt collum, et graviter periclitati sunt.

Ego vero suadeo et moneo, ut contemptis his incipias fieri puer cum puero, filius cum filio. Hunc amplectere positum in praesepio et in matris gremio. In eo te oblectes. Si hic filius tibi placet, si hunc habes, si huic inhaeres et affixus es, non poteris aberrare, non hallucinari, non venire in ullum periculum. Cum hoc filio habes patrem coelestem, habes spiritum sanctum, habes faventes angelos et universas creaturas. Certe nulla creatura tibi vel minimam injuriolam inferre poterit. Ambulabis super aspidem et basiliscum, et conculcabis leonem et draconem. Es rex et dominus dominantium. Quid requiris amplius?

Primum omnium ergo hoc age, ut apprehendas hunc parvulum, hic tibi sit commendatissimus, hunc cordi tuo affige natum de Maria virgine, et Dei etiam filium. Si hunc apprehendisti, securus et tutus es ab omnibus diaboli insidiis et machinamentis. Si vero parvulum hunc, natum de virgine, ex oculis seposueris, et speculationes de divinitate intelligenda interim sectatus fueris, nunquam Deum cognosces. Crede hic mihi. Nam fui et ego in ista schola, ubi putavi me esse inter choros angelorum, cum tamen inter diabolos potius sim versatus. Meo periculo disce cavere tuum, et descende cum filio, qui ideo ad te descendit, ut in illo cognosceres

Deum. Ubi ego, inquit, sum, ibi erit et minister meus. Et hoc vult sequens quoque textus:

Et erit imperium ejus super humerum ejus (vel ut canit ecclesia, cujus imperium super humerum ejus).

In Ebraeo non est particula, ejus. Superfluum est igitur hoc pronomen, et tamen fere in idem redit, nisi quod significantius dicitur: et erit imperium seu principatus, non adjecto pronomine, ejus.

Porro hoc imperium est ipsa libertas, vel liberum illud regnum, abstractive vel concretive. Estque eadem vox, de qua audivimus Gene. 32. in lucta Jacob, a qua voce et Israel, item et Sara deducuntur. שָׂרָה significat praevalere, dominari, esse victorem. Hinc מִשְׂרָה, quo hic utitur propheta, deducitur, quae vox significat imperium, principatum, dominium, triumphationen, victoriam, libertatem, ut D. Paulus vocat Galat. 4. 5. 6, ubi de libertate habet disputationem, in hunc locum Esaiae respiciens et singulas voculas diligentissime expendens, sic ait, Non sumus filii ancillae, sed liberae etc. Item, in libertate igitur, qua Christus vos liberavit, state, et ne rursus jugo servitutis implicemini etc.

Ubi pulcherrimam et vere apostolicam disputationem habet, de duabus mulieribus, Sara libera et Hagar, quae serva est, et cum filiis suis servit. Sara peperit nobis Saraitatem, hoc est, libertatem, non carnis aut externarum rerum. Nam oportet, ut dixi, veterem hominem esse sub jugo, hoc est, sub lege, peccato, morte et inferno etc. Onus atque lex hic est, non libertas, non imperium. Ve-

terem hominem premi hoc servitutis onere necesse est, ut coerceatur, retundatur, et crucifigatur etc. Contra novus homo habet libertatem super mortem, peccatum, legem et inferos. Non premitur jugo oneris, non gravatur virga humeri, non urgetur sceptro exactoris. Ea enim confracta credit et sperat infantis et filii nobis nati et dati opera, eaque victoria laetus fruitur. Sic concordat haec vox מִשְׂרָה cum praecedentibus, cum filiatione et textu illo, jugum oneris ejus confregisti etc. Sic ergo sonat textus:

Filius datus est nobis et est libertas super humerum ejus.

Puellus et filius ille talis est Dominus, super cujus humerum non est jugum oneris, virga humeri et sceptrum exactoris, sed regnum, id est, libertas est super humerum ejus. Ipse portavit peccata nostra, et liberavit nos factus sub peccatum et legem propter nos, in libertatem asseruit nos, fecit nos reges, dominos, Freiherrn, proprii juris αὐτοκράτορας, fecit nos Saraitas, non Hagaritas. Non sumus ergo Agareni, sed vere Sareni, seu Saraceni (si ea vox non venisset in abusum, Turcae enim jactant se Saracenos, qui nihil sunt minus quam quod jactant), nos sumus vere Saraceni seu Saraitae, hoc est, libertas ipsa, redemptio, vita, justitia et dominium super peccatum, mortem, infernum et diabolum.

Sed illa libertas est super humerum filii illius nobis dati, non est nostris viribus aut virtutibus parta, ille propter nos subjectus est morti, peccato,

legi, diabolo, inferno, propter nos factus est servus legis. Sic nos Misrah, id est, libertas sumus propter servitutem, quam ipse pro nobis subivit, quam imposuit humero suo, ut in se peccata et onus nostrum reciperet. Sic recidit in idem, sive per imperium accipias ecclesiam, sive libertatem. Nos sumus liberi et libertas, reges et regnum, sacerdotes et sacerdotium, sed super humerum ejus, hoc est, ipse peperit nobis hanc libertatem, non nos.

Bone Deus, quam longe maximas res tam paucis verbis complexus est hic propheta? quam mirabiliter loquitur? Libertas (inquit) vel regnum erit super humerum ejus etc. Quod nos multis verbis docemus, id his paucis, sed pulcherrimis et significantissimis luculentissimisque verbis ab Esaia hic descriptum est, videlicet, quod Christus filius sit salvator generis humani. Huc enim omnia tendunt, quae dicit. Ideo venit filius in carnem, ut nos essemus liberi. Propheta dicit id suis verbis et brevibus, sed, ut dixi, significantibus. Legite D. Paulum diligenter, qui libenter et multum utitur verbis Isaiae. Fuit enim bonus et diligens Isaista. Has voces, Filius datus est nobis, item, libertas super humerum ejus, probe, ut dixi, et diligenter inspexit et pensiculavit D. Paulns, ubi ait ad Galat. 4, Nos esse filios Sarae liberae, ideoque non debere nec posse subjici legi etc.

Quando igitur venit lex, monstrans peccatum, terrens et condemnans nos, item peccatum intentans mortem, possumus dicere, Nos sumus Saraceni, filii et liberi, ergo nullum jus in nos habetis, mors, peccatum, lex, satan, nec potestis nocere nobis. Hanc libertatem peperit puer et filius pro nobis natus

datus, in quem credimus. Is supposuit humeros
ios pro nobis, ut essemus concultatores et domini
aboli, mortis etc. .Regnum hoc libertatis est et
sa libertas, sed est libertas a peccato, lege, morte,
diabolo, non est libertas carnis, quam mundus solet
xpetere, et hi nunc etiam, qui volunt evangelici
aberi, fremunt et furunt, ubi vel leviter taxantur
ec sustinent audire corripientes et admonitiones.
'olunt libertatem tantum praedicari, nec vitia et
agitia taxari a nobis. Secundum novum hominem
st triste audire legis doctrinam, sed populo crasso,
eteri homini, asino isti, praedicanda est. Secun-
um carnem es in peccatis, in morte etc. Carni
ulla justitia, nulla libertas praedicanda, sed scep-
'um exactoris imponendum. Extra fidem in carne
rgenda lex. Debemus enim corrigi, ut destruatur
›rpus peccati, quod et ante admonui, nec satis
lmoneri potest propter carnis lasciviam et petu-
ntiam, quae libertatem aucupatur ubique, cum legi
.m subjici necesse sit. Es liber a lege, quoad
›vum hominem, non es liber a lege, quoad veterem
›minem, qui sub sceptro exactoris sit oportet,
mortificetur. At novo homini sceptrum id do-
nari non debet. Is enim est liber, est rex et
minus super peccatum, mortem et diabolum, ut
ci, propter filium illum datum, qui habet liber-
:em in humeris suis.

Quando ergo venit peccatum, ut te vexet,
:ando diabolus terret, quando mors imminet, mox
tende ei filium. Et hunc filium inconniventer in-
ice, ab hoc nusquam oculos dimove, et dic, sum
srah, sum liber. Noli me vexare. Aufer te hinc.
ıil tibi in me juris, sed peccator es, inquit lex,

ideo mortis reus es. Fateor, et hinc ut castiges quidem me licet, sed morti non trades me etc.

Sic renati etiam secundum veterem hominem sunt sub sceptro exactoris, et opus habent legis doctrina, admonitione et correptione. Inspiciat unusquisque nostrum se probe, et penitius excutiat vitam suam, et videbit, quam multa desint, quam saepe impingat, qui sit carnis suae ad bene operandum torpor, quam procul absit a perfectione etc.

Secundum carnem igitur debemus subesse sceptro exactoris, carnem castiget lex necesse est. Sed in tristitia spiritus, in mortis periculo, in sensu peccatorum et inferni, dic, Domine exactor, descende et exerce officium tuum in carne. In carne me exerceas ac maceres licet, probe id merui, sed internum et novum illum hominem linque. Non debeo desperare. Non debeo conturbari. Turbabor (hoc est, potest me quidem lex et conscientia mala perterrefacere), sed non perturbabor, quia vulnerum domini recordabor, inquit D. Augustinus. Sic dices et tu, Terre lex et occide carnem, sic enim merui. Sed in desperationem tamen ne ducas me. Turber licet, non perturbabor tamen, non desperabo, sed infantis filii hujus mihi dati et Misrah mei recordabor. Mereor exerceri et crucifigi a te, sed ob id non abjiciam spem de salute, non despondebo animum, nolo ob id negare puellum illum nobis natum et filium datum.

Castiga itaque et crucifige me, sed sic, ut crux illa sit mihi salutare martyrium, quod valeat et cedat, non ad damnationem, sed mortificationem veteris hominis et vivificationem novi, 2. Corinth. 4. Sic martyres variis tormentis subjiciebantur, et

corpus eorum mortificabatur, sed novus homo triumphabat, quia erat Misrah, erat libertas illa, quae humero filii hujus imposita est.

Haec est igitur Christiana cognitio et summa sapientia, cognoscere, quod simus filii, domini et Saraceni in spiritu. In spiritu, inquam. Caro subjiciatur sceptro exactoris, hoc est, legi, conjiciatur in ignem, excarnificetur, plectatur capite, variis modis exerceatur et maceretur, ut certe variis etiam tentationibus, miseriis atque aerumnis quotidie vexamur, sic ut attenuentur hinc etiam vires corporis nostri. Sed non ob id periclitabimur. Ea res non nocebit, non adferet nobis quidquam incommodi, sed cedet ad cumulum gloriae nostrae. Dominus, infantulus ille, manet nobis filius, Misrah, regnum, triumphus et victoria nostra. Per hunc non possumus non esse domini liberrimi, per hunc utimur et fruimur liberrima libertate, sed secundum internum hominem, non externum. Secundum carnem libertas illa nihil operatur boni. Carnem necesse est esse sub lege, sub tortoribus diaboli, qui nos semper divexent, et sub malis etiam hominibus, qui nos exerceant. Haec mala pertinent ad sceptrum exactoris.

Sed Sara tamen victoria, praecellentia et libertas, superet et adsit semper, consoleturque et confirmet novum hominem, ut dicere possim, Patiar, quantum patiar, quantumvis graviter in carne crucier, multisque malis ac miseriis conflicter, vivit et vivificat tamen dominus, filius ille mihi datus et liberator meus.

Sic legimus de quodam cive Romano, magnis opibus affluente, quod propter Christianae religionis professionem, et bonis omnibus spoliatus, et in

exilium etiam actus sit, quae magna profecto poena et crux fuit, praesertim delicato Romano. Sed spoliatus omnibus facultatibus, et in exilium deportatus, sic se consolans dixit, Saltem Christum mihi non auferent, ut maxime auferant res, corpus et vitam. Egregia vero vox, et Christiano dignissima. Optime distinxit inter sceptrum exactoris, et Misrah, et regnum hujus parvuli.

Sic assuescamus et discamus nos quoque dicere, cum caro nostra exercetur, moriar sane, moriendum est enim carni, quia sum subjectus oneri secundum carnem. Sed ut maxime moriar, Christum tamen non amittam, et libertate illa, quam mihi peperit, fruar in perpetuum, eroque dominus, ero rex, ero Misrah etc. Sed pergamus, audiamusque hujus regis nomina, consolationis plenissima.

Et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater aeternus, princeps pacis.

Hic locus praecipue est varie tractatus, et laceratus etiam. Immo totus hic textus, quem suscepimus tractandum, misere et scelerate a Judaeis est crucifixus. Sicut enim ipse puer crucifixus est ab eis, sic ab iisdem et hic locus et scriptura ejus quotidie crucifigitur. Et nostri etiam interpretes, ut maxime sana loquantur, tamen varie hunc locum tractant. Hieronymus satis frigide et tenuiter eum tractat. Lyra praestat, quod potest, nec textui satisfacit. Cogimur ergo attentius et diligentius verba hujus loci excutere, et meditari, atque ex circumstantiis, et ex novo testamento firmiorem et locupletiorem eorum sententiam eruere, ut supra

fecimus, de jugo, virga, sceptro, bello, luce, pace etc.

Judaei crucifixores Christi sceleratissime hunc locum depravant et corrumpunt. Propheta sex nomina infanti et filio huic tribuit. Quinque priora legunt in nominativo, sextum in accusativo, ad hunc modum, et vocabit nomen ejus is, qui est admirabilis, consiliarius, Deus, fortis et pater aeternitatis, principem pacis. Haec est maledictio manifesta, et intelligunt de Ezechia rege, sed quod sic intelligi non possit, diximus et ante. Textus loquitur de principe parvulo nato et filio dato, de laetitia aeterna, sicut de victoria mortis, peccati, legis et de rege, cujus regni non sit finis; item, pacis non erit finis. Quid ergo latrant contra manifestam grammaticam. Manifeste hic et scelerata malitia eorum sese prodit, ut ubique. Sicut enim Christum crucifixerunt, sic et verba prophetae ipsius crucifigunt.

Sex sunt distincta nomina, ut dixi, et tamen priora quinque faciunt alterius casus, quam sextum, et interpretantur sic, Ille Deus admirabilis etc. vocabit hunc regem Ezechiam, principem pacis. Et vel hinc patet, quod Deus eos tradiderit in reprobum sensum. Vere ira Dei super eos venit in finem.

Nostri interpretes et omnes Christiani de Christo salvatore nostro intelligunt, de quo solo loquitur. Quidam ex interpretibus haec sex vocabula sic conjunxerunt, ut fierent tria nomina combinata: Admirabilis consiliarius, Deus fortis, pater aeternus et princeps pacis. Hieronymus sentit esse sex, et recte. Eamque sententiam nos servabimus.

Et vocabit.

Lyra pugnat, quod debeat legi, vocabitur, et habet consentientes interpretes. Et quod sint haec Messiae nomina, testatur et Chaldaica versio. Sed recentiores Judaei, ut dixi, de Ezechia omnes exponunt.

Praeter hos excaecatos consentiunt omnes interpretes de Messia salvatore nostro debere intelligi. Interpretes LXX legunt, cujus imperium super humerum ejus, et vocatur magni consilii angelus, ut canitur in introitu. Postea addunt reliqua nomina, Admirandus, Consiliarius, Deus, Fortis, Potens, princeps pacis, pater futuri saeculi. Et additur, adducam enim pacem super principes, et sanitatem ei. Sed ex Ebraeo non potest sic legi. Qui igitur factum sit, quod sic legerint aut reddiderint, aut quid sibi voluerint, nescio. Quare relinquo ista Ebraeis excutienda.

Quod vero dicitur in Ebraeo legi, Vocabit nomen ejus, non vocabitur nomen ejus, inanis est cavillatio Rabinorum, constat enim saepe verbum activum accipi passive, seu potius impersonaliter, ut dabunt mensuram, id est, dabitur; sic vocabit pro vocabitur. Ac prorsus usitatum est, impersonalia etiam afferri per activa. Videtur textus per punctatores corruptus, qui pro וַיִּקָּרֵא passivo scripserunt וַיִּקְרָא Nam literae, sive cum punctis sive sine punctis leguntur, eaedem sunt, et optime constat Grammatica. Sed Judaei homines pestilentissimi saepe depravant prophetarum sententias suis punctis et distinctionibus, et ipsorum puncta, quae tamen sunt recens inventum, plus volunt valere, quam simplicem et germanam, et

recte cum grammatica consentientem sententiam. Quare ergo non admodum moror superstitiones istas grammaticas, quamquam pro nobis stat grammatica, si recte punctetur. Et Judaei ipsi fatentur, sicut saepe Lyra dicit, sibi non licere discedere a Chaldaica interpretatione.

Consentientibus ergo nunc LXX et Chaldaeo interprete nobiscum, quod textus hic intelligendus sit de Messia, et quod haec nomina sint Messiae nomina, non est, quod de punctis in hoc uno verbo simus anxie solliciti. Satis sit id nobis, quod ipse Chaldaeus interpres et LXX nobiscum sentiunt.

Quae sequuntur ergo, sunt nomina, quae proprie tribuuntur Messiae, neque valet Judaeorum cavillatio, qui has appellationes hic dicunt de ipso Deo (hoc est, patre) dici. Est enim figura et consuetudo loquendi, tribuere nomina alicui ab officiis seu effectibus, etiamsi non sunt propria personae, sicut grammatici vocant propria.

Admirabilis.

Sunt autem sex distincta nomina, quae quamvis a me pro concione paulo ante tractata sint, tamen pauca et hic dicam. Primum nomen istius pueri seu infantis nobis nati dicit esse פֶּלֶא, id est, Admirabilis. Quis autem pro dignitate potest explicare summam hujus vocabuli majestatem? In omnibus et per omnia est admirabilis. Quid mirabilius, quam quod Deus et homo una persona est? quod Dei et Mariae unus filius est? Quis unquam et in aeternum comprehendet hoc mysterium? quod Deus est homo, quod creatura est creator, et creator creatura? Hoc mysterium admirabimur in aeternum, post hanc etiam vitam. Ipsi angeli in

id desiderant prospicere, nec tamen inspiciendo unquam explebuntur. Nos beati sumus, vel credendo ista incomprehensibilia, sed beatiores, immo longe beatissimi futuri sumus, cum in visione ea viderimus, cum fides evacuata fuerit, cum conspexerimus eum sicuti est, cum manifestati fuerimus cum eo in gloria, cum ea, quae nunc cernimus per speculum in aenigmate, facie ad faciem cernere datum fuerit. Quid mirabilius, quam quod filius nascitur ex matre sine patre, contra communem nascendi consuetudinem?.

Quis haec personalia mirabilia explicaverit? quae ego hoc loco non tractabo, nec in illis enumerandis immorabor. Nam propheta proprie loquitur de regno et administratione regni Messiae. Non tantum persona incomprehensibilis, quod filius Dei et filius virginis est, sed et omnia opera ejus sunt admirabilia, et incomprehensibilia. Et praecipue respicit ad Misrah. In opere et effectu admirabilior est multo.

Lyra nimis ternuiter hanc vocem explicat, dicit enim eum admirabilem vocari propter miracula, quae in historia evangelica ab eo facta leguntur. Id verum quidem est, nam hoc quoque nomine, admirabilis, non inepte vocatur. Sed miracula non pertinent proprie ad ejus regnum. Non est Misrah super humeros ejus, fuit adhuc servus et minister circumcisionis, nondum sedebat ad dexteram Dei, cum miracula illa ederet. Sed longe majora et mirabiliora miracula edidit, ubi ascendisset in coelos. Ibi triumphavit de principe mundi et deo hujus saeculi, de Tartaro; item, confregit jugum oneris, virgam humeri, baculum exactoris. Haec sunt longe

majora mirabilia. Eaque etiamnum operatur, durabuntque, donec puer et filius ille duraverit, nec unquam cessabunt. In aeternum futurus est admirabilis, nunquam cessabit operari mirabilia, longe mirabiliora, quam quae fuerunt miracula illa, cum caecis visum restitueret, aegrotos sanaret, ac similia. Sunt enim longe maxima miracula, quod verbo suo vivificat animas, quodque vivificaturus est corpora in extremo die, quod baptisat nos in sanguine suo, eoque peccata abluit, quod quotidie exspoliat infernum, mortem, peccatum, legem, quae exspoliatio non cessat. Idque facit mirabili facilitate, et sine ulla molestia per os Petri, Pauli atque aliorum apostolorum, et nunc per os nostrum, qui in officio sumus, et in necessitate per os omnium Christianorum, sic dicendo tantum, absolvo te a peccatis, aperio tibi coelum, occido diabolum. Annon hoc mirabile? Sic non tantum persona Christi admirabilis, sed et opera ejus continua non minus mirabilia etc.

Nec illa tantum opera, quae fecit ipse, sed illa etiam, quae per ministros suos edidit multo majora fuerunt, quam quae ipse in sua persona fecit. Excitavit mortuos, sanavit infirmos etc. Haec fecit, cum adhuc esset servus, cum nondum esset glorificatus, nondum dato Spiritu sancto. Sed dato Spiritu sancto longe fiunt majora. Nam Spiritu sancto dato quasi impetu facto irruit in totum terrarum orbem, loquitur omnium gentium linguis, nec expellit tantum daemones, sed exuit diabolum regno, et jugum oneris, virgam humeri, sceptrum exactoris confringit, sicut in die Midian testae ibi collisae, buccinae inflatae, hostes fusi et caesi.

Ascendit in altum, accepit dona pro hominibus, captivam duxit captivitatem. Haec sunt vere mirabilia et summa miracula, quod sic venit fortior super fortem, ejusque spolia diripuit, idque opera levissima nimirum solo verbo et manu hominis, vel Christi ministri vel cujuscunque Christiani tempore necessitatis.

Haec miracula mundus non videt, sicut Christus ipse dicit, Dabit alium paracletum, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum. Accedimus ad conciones, baptizamur, absolvimur, et sic in fide Christi morimur, ac mortui vivimus. Haec maxima mirabilia, quod morientes vivimus, nemo videt. Mulus et equus non vident adesse spiritum sanctum, eumque hic operari, eum credentes vivificare et consolari. Sed credens haec videt. Item, infantem baptismo renatum, positum in gremium Dei, filium et haeredem Dei, et cohaeredem Christi factum esse, non videt mundus, sed solus Spiritus sanctus in credentibus ista mirabilia videt, et de his mirabilibus loquitur proprie Esaias, ubi Christum vocat פֶּלֶא, id est, admirabilem.

Sed aliis etiam de causis mirabilis jure vocatur hic rex et puer, videlicet, quod mirificat sanctos suos Psal. 4, quod mirabiliter regit nos. Morimur, et ecce vivimus 2. Corinth. 6, quasi impostores, et tamen veraces, quasi ignoti et tamen noti, quasi correpti, et non occisi, quasi dolentes, semper tamen gaudentes, quasi pauperes, multos tamen ditantes, ut nihil habentes, et tamen omnia possidentes. Mundus floret, nos arescimus, mundus regnat et triumphat, nos succumbimus. Sic omnia fiunt mirabiliter et active et passive in ecclesia.

Sic etiam est consiliarius. Lyra putat Christum ideo vocari a propheta consiliarium, quod consilia praeceptis decalogi addidit. Sed haec indigna fuerunt, quae dicerentur a theologo, immo a quoquam homine Christiano. Vos omnibus modis hanc scholarum de consiliis sententiam damnare debetis. Edita est a me quoque Scheda de XII consiliis evangelicis. Fuit enim meo tempore haec receptissima theologia; et Johannes Huss in concilio Constantiensi eam defendit. Usitatissima fuit in omnibus scholis, sed perniciosissima et pestilentissima doctrina est. Exstinguit enim doctrinam evangelii et legis.

Papistae non sustinent agnoscere errores, abusus, idolatricos cultus, multas falsas atque impias doctrinas a se in ecclesiam invectas esse. Niemand will jetzt das Wasser betrübt haben, nemo nunc inter illos quidquam deliquit, nemo sibi culpae ullius conscius est. Accusant nos graviter et impingunt nobis disciplinam a nobis solutam esse, seque disciplinam habere gloriantur. Sed si papatus nihil aliud peccasset, quam quod invenit et in ecclesiam invexit duodecim illa consilia, hoc vel uno delicto ad imum inferni in ignem aeternum deturbari meritus esset. Collegi ergo ea consilia, ut exstarent perpetuo in ecclesia, utque manerent in memoria, et ut pro magna luce, quae nunc nobis orta est, Deo gratias ageremus.

Quod itaque Lyra dicit, Christum ideo vocari consiliarium, quod addidit consilia evangelica praeceptis, hoc est, quod e praeceptis rigidissimis Christus fecerit consilia, in eo horribiliter erravit. Horrenda enim est et plane impia doctrina haec et Thalmudica, quod e quinto Cap. Matth. faciunt

consilia, hoc est, quod dicunt sine illis praeceptis posse salvari hominem, nec necesse esse, ut servet ea homo, nisi quis velit fieri perfectus, id est, monachus. Et distinguunt ecclesiam in Christianos perfectos et imperfectos. Imperfectos relegant ad decalogum, eumque ab illis servandum esse dicunt, et eos, qui decalogum servant, salvari docent, Perfectis vero dicunt servanda esse consilia, quae ipsi putant a Christo Matth. 5. esse tradita, videlicet, non irasci fratri, inimicos amare etc. Quis enim potest amare inimicos? inquiunt. Haec est theologia illa Scholastica, immo vere diabolica. Hos exsecrandos errores peperit nobis papatus et Sorbona Parisiensis. Nihil tamen horum errorum agnoscere sustinent. Inter consilia ea enumerant etiam continentiam, Matth. 19: Qui potest capere capiat. Hae fuerunt horribiles tenebrae.

In his tenebris atque errore fuit, ut dixi, sanctus ille martyr Johannes Huss. Sed ignis et sanguis hunc ejus errorem purgavit, ut Augustinus de Cypriano dicit, Confessio ejus pulcherrima de Christo hunc errorem de Anabaptismo absorpsit. Sic et errorem S. Johannis Huss. Expedit autem vos meminisse talium monstrorum, ut caveatis vobis, utque gratias agatis Deo, quod inde liberati sumus, et ut habeatis, quod superbientibus et ferocientibus papistis de sua ecclesia opponere possitis, quo modestius glorientur, nec se ab omni culpa immunes esse nihilque unquam in Christi ecclesiam admisisse putent. Quid enim dicent? quo ore se excusabunt? quo colore sceleratum atque impium errorem hunc tuebuntur, quod contra apertum Dei verbum duodecim consilia evangelii fecerunt? Quid,

laeso, putaverunt aliud esse evangelium, quam aecepta Mosi vere Thalmudica?*)

Christus dicit, Audistis, quod dictum sit veteris, Non occides, at ego dico vobis, quisquis irasitur fratri suo temere, obnoxius erit judicio. Quinque vero dixerit fratri suo Racha, obnoxius erit ncilio; quisquis autem dixerit, fatue, obnoxius it Gehennae incendio. Haec sane non consilia nt, sed praecepta, non consulit sic, ut liberum ea facere, aut non facere, sed serio praecipit, faciamus. Isti tamen male nati theologi plane ntrarium dicunt, Christum non loqui praeceptive, d consiliative, seu consilium dare, et licere irasci posse hominem salvari, etiam haec non servann. Illis tantum haec praecipi aut consuli a Christo, i perfecti esse student.

Similia docuerunt Thalmudistae et legis docres, scribae. Lex dicit, non occides; hic dixerunt, cides est verbum singularis numeri, et significat am personam. Quare si tres vel plures unum cidunt, illi non peccant, idque non est vetitum, ia non scriptum est, vos non occidetis, sed, non cides, quae vox uni duntaxat personae competit. stri juristae etiam tales fere sunt in glossis suis almudistae. Sed ego admoneo, ne tales pergant se utque Christo cedant, cui omnes cedere debent, cujus solius doctrinam magnifacere et adorare s convenit et oportet.

Porro sicut in numeri singularitate Christi praeptum scelerate corruperunt Thalmudistae, et elu-

*) In edit. Wittemb. opp. lat. Luth. hoc loco haec erserta leguntur: Refutatio doctrinae de duodecim conis evangelii.

serunt, sic et in interpretatione vocis occidendi. Interpretati sunt enim vocem occidere esse manu propria confodere aut trucidare, odium itaque ac proditiones non esse peccatum, aut licere odisse aut prodere aliquem. Sic Saul tradidit Davidem Philistaeis, nec tamen putavit se contra legem Dei peccare, Christus per Judam proditus. Judaei crucifixores Christi hanc culpam procul a sè relegant in Actis, ubi ad apostolos dicunt, Vos vultis sanguinem istius inducere super nos, quasi dicant, Nos non occidimus eum, sed Pilatus etc. Sic cum Petrus objecisset illis, quod Christum occidissent, negant a se illum occisum, sed traditum Pontio Pilato. Quia putabant se non occidere, cum procurarent quemquam occidi, nec aliud judicabant esse occidere, quam eum quis manu propria quempiam confoderet.

Sic corruperunt Dei mandata, ut nostri theologi Scholastici ex claris Christi praeceptis consilia fecerunt, de quibus admonitus a Lyra hic obiter addere aliquid et inculcare volui, ut impietatem hujus scholasticae doctrinae abominaremini. Christus disertis verbis clare dicit ac praecipit omnibus piis, non consulit, nihil justitia vestra (inquit) abundaverit plus quam scribarum etc; item, Qui solverit unum ex mandatis hisce minimis etc.; item, Diligite inimicos vestros etc., ut sitis filii patris vestri, qui est in coelis. Nam si dilexeritis eos, qui diligunt vos, quod praemium habetis? Nonne et publicani idem faciunt etc. Estote igitur vos perfecti, quemadmodum pater vester, qui est in coelis, perfectus est.

An non haec satis clara sunt praecepta? Isti

tamen belli homines docuerunt contra, scilicet posse salvari homines, etiamsi non sint perfecti, quia Christus non omnibus hominibus illa praecepisset, sed tantum perfectis, hoc est, monachis etc. Certe illa verba ad discipulos suos, hoc est, omnes credentes loquitur, quibus eos monet, ut justitia ipsorum plus abundet quam Pharisaeorum et scribarum, qui putabant, ut dixi, se hoc praeceptum servare, et justos esse, si manu neminem occiderent; non cogitabant hoc praecepto, Non occides, mandatum esse, ut non solum manu, sed et ore, lingua et corde abstinerent a caede. Quare cum Christus adhortatur suos debere esse perfectos, perstringit Pharisaeos et Thalmudistas, qui distinxerunt praecepta in opus, in cor et in linguam. Et dicunt non peccari odio, invidia et maledicentia contra praeceptum, Non occides, sed tum, cum manum addis, et ferro aut telo quempiam occidis. Sic pro libidine interpretantur mandata domini. Idem faciunt in multis aliis. Nec pudet ipsos etiam a natura abhorrentia et exsecranda scelera suis glossematis sacrilegis probare. Legunt Rabini: Vir habet potestatem in concubitibus mulieris, quia vox concubitibus est pluralis, hinc interpretantur homines isti impuri et nefandi, maritos habere potestatem abutendi uxore secundum naturam, et contra naturam. Quis ambigat hoc genus hominum ab ipsis diabolis totos captos et agitatos esse, quos non puduit tam horrenda scelera etiam scriptis committere. Velim denuo excudi Fortalicium fidei, in quo similia his plura congesta sunt.

Item sicut non putant peccari in quintum praeceptum, nisi quis manu occiderit, ita et in sextum

peccari negaverunt, si quis cum maritata, aut alterius uxore concumbens petitam voluptatem non perciperet etc. Sic et theologi nostri seu Mataeologi potius suaves homines coeperunt docere, fornicationem simplicem non esse peccatum, quia Terentius dixit, non est flagitium scortari adolescentem. O impiam, sceleratam et pudendam atque exsecrandam vocem, approbare et excusare scortationem a spiritu sancto aperte damnatam, qui clare pronunciat, scortatores non possessuros regnum Dei, item judicandos a domino etc.

Haec sunt illa praeclara, scilicet, papatus consilia, quibus scelera et flagitia nefanda stabiliverunt. Ego, cum occasionem mihi forte subministrasset Lyrae erronea interpretatio dicendi de his consiliis obiter errorem hunc, ut dixi, indicare volui, ad commonefaciendos vos, ut eum serio exsecremini, utque obturetis ora adversariorum, qui hunc horrendum et impium errorem in ecclesiam invexerunt, nec tamen errorem fateri, aut culpam agnoscere sustinent, quamvis nihil habeant, quod respondeant, et quo se excusent, aut horrendum hunc errorem tueantur. Per hanc doctrinam sublatum est evangelium cum lege, et translatum ad monachos, qui soli, si Deo placet, servare poterant consilia. Sic crucifixerunt verbum Dei, et sustulerunt de mundo solem, Christum salvatorem. Hoc scelus illis objici debet, cum de illa sua impura perfectione gloriantur. Nec leve id scelus est, sed tam atrox, tam enorme flagitium, ut Turca gravius contra Christum non commiserit, nec admittere possit, utque Turca melior sit istis, qui horrendum hunc errorem de consiliis invexerunt.

Non igitur consiliarius hic vocatur Christus, quod consilia illa duodecim dederit, ut Lyra interpretatur toto coelo errans, sed vocatur mirabilis et consiliarius propter consilia sua admiranda optima, sublimia, praestantissima et praesentissima, quibus adest membris suis.

Postquam enim homo admirabiliter est liberatus per verbum et baptismum a potestate diaboli et factus Christianus (quod est admirabile opus Christi), statim sequuntur pugnae et luctae, incidunt variae ac multiplices difficultates, vexamur multis tentationibus et aliquando talibus, quae liquefaciunt cor, et sic exercent nos, ut vita etiam nobis sit acerba futura. Et his difficultatibus ac tentationibus conflictantur vel maxime in publico ministerio episcopi et pastores. Hi coguntur onera gravissima in se suscipere, hi saepe sic exagitantur et vexantur, ut non procul absint a desperatione, utque nihil usquam in mundo supersit opis et consilii. Hic statim adest et consulit hic consiliarius noster Chirstus.

Surgunt Ariani, Pelagiani ac similes, perturbantes et concutientes ecclesiam tam horribiliter, ut videantur omnia casura, sed Christus consiliarius hic vivit. Is adest spiritus sancti virtute, eaque suos conservat, opem fert, per eundem subministrat sapientiam divinam, consilium praesentissimum, argumenta firmissima et invicta, solutionesque robustissimas contra omnes portas inferorum, sic ut confundantur haeretici et fanatici, nec cessat diabolum expellere, caput ejus conterere, eumque deridendum praebere. Sic adest consilio suis, ecclesiamque suam servat, cum vel maxime periclitari, et jam ruinam minari videtur.

Sed privatae etiam tentationes non parum negotii nobis facessunt, de tentationibus spiritus praecipue loquor, diffidentia et desperatione, ubi tentantur pii usque ad mortem et infernum. Ubi his tentationibus conflictamur, tum vel maxime opus est consilio et auxilio. Tum clamatur et clamari debet, Nunc adsis, o Christe consiliarie, praesenti consilio et auxilio tuo. Cum sic luctamur, non destituit nos, sed adest consiliarius. Ibi consulit spiritus sanctus vel per fratrem vel per suggestionem scripturae.

Ego habui tentationes inenarrabiles, in quibus nulla creatura consulere mihi potuit. Sed destitutus humano omni consilio et auxilio, non tamen destituebar ab hoc consiliario, qui remedium invenit in omnibus malis, et in omnibus difficultatibus praesenti et mirabili consilio mihi adfuit.

Sicut igitur, ut dixi, nomen primum, Admirabilis, pertinet ad fidem et novam creaturam, qua efficimur Christiani per mirabilia ipsius, ita hoc nomen, consiliarius, pertinet ad passiones et crucem, quae docet nos orare, auxilium et consilium a Deo petere. Illa ipsa etiam crux docet nos, quod sit consiliarius hic puer, aut quod solus ille consulere possit in omnibus difficultatibus. Sic Psalmus 16. ait, Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum, ebraice est, qui mihi consulit. Sic experientia discimus hunc solum posse consulere. Et ubi consuluit nobis, benedicimus et laudamus eum exemplo Davidis.

Tot tentationibus conflictatur homo per miracula Christi redemptus et regeneratus, ut impossibile sit eum subsistere posse, nisi novo subinde consilio hujus consiliarii roboretur. Id posset no-

stris exemplis pulcherrime declarari. Et ut de privatis nihil dicamus, quibus, quam acerbis doloribus, quantis tentationibus, quantis curis animos nostros excarnificatos putas, propter turbas et scandala a sacramentariis, ab anabaptistis ac seditiosis rusticis in ecclesia nostris temporibus excitata. Sed consuluit nobis hic quoque consiliarius ille verus.

Sic et omnibus temporibus ecclesiae suae adfuit. Cum Arius, Pelagius et alii sic vexarent et turbarent ecclesiam, ut omnia desperata et deplorata viderentur, hic Dei filius, consiliarius ille unicus, mirabilia invenit consilia, ut emergeret ecclesia, et liberarentur pii ex omnibus difficultatibus, cum ad ipsum clamarent, ejusque consilium et auxilium expeterent.

Sic ergo hoc nomen, consiliarius, ut dixi, pertinet ad afflictiones et crucem, quae docet nos orare et invocare regem illum nostrum, consilium et auxilium ab eo petere. Cum eo res redit,ut videantur omnia deplorata, cum pericula et difficultates tantae nos circumsistunt, ut actum esse putetur, non tamen desperetur, sed levemus oculos nostros ad montes, ut docet Psalmus; inde consilium et auxilium veniet nobis praesentissimum.

Habeo multa exempla non solum publica, sed privata etiam hujus experientiae. Res saepe eo mihi redierat, in tam arctum meae non semel coactae sunt copiae, ut Comici verbis utar, tantis saepe angustiis sum circumventus, ut jam actum esse videretur; ut nullo consilio ac remedio subveniri et consuli rebus tam exulceratis posse videbatur, praestantissimum tamen consiliarius ille praestantissimus invenit consilium.

Habui tentationes, quales cogitavi neminem

in terris habuisse, et disputavi cum D. Paulo (et adhuc delector ea disputatione), quid fuerit σκόλοψ, palus seu stimulus ille, quo crucifixus est, et colaphus, quo vapulavit a diabolo. Et fui aliquando tam superbus, ut putarim me cum eo posse hac de re disputare, aut me tantundem tentationum, tam gravium et multiplicium sustinuisse, quantum ipse sustinuit, (quia stimulos et colaphos eos putant fuisse tentationes desperationis). In tantis difficultatibus, tam gravibus tentationibus, nullum usquam fuisset remedium ac consilium, nisi venisset Christus, et aperuisset biblia, suoque verbo mihi consilio ac solatio fuisset. Sic Deus (sicut Paulus ait 2 Corinth. 1) consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus consolari eos, qui in afflictione sunt.

Appositissimum itaque nomen hujus pueri est hoc secundum nomen, consiliarius, estque nomen officiale et in hunc solum vere et proprie competit. Nemo enim praesentius et praestantius consilium suppeditare ecclesiae potest in difficultatibus quantumvis gravibus, quam hic consiliarius.

Saepe immerguntur fideles in varias et inextricabiles tentationes, ubi nulla videtur salus aut spes superesse. In his tamen angustiis non destituuntur a suo consiliario. Omnibus ille malis invenit remedium, praeclarum suppeditat ubique consilium, et facit una cum tentatione ἔκβασιν seu eventum, quo possint sufferre. Et adest, ne succumbant, sed ut ex omnibus difficultatibus eluctentur et gloriose liberati triumphent.

Si id non faceret, fides, quae per miracula illa est facta et excitata in homine, concuteretur

et succumberet. Quare invenit consilium in omnibus periculis et tentationibus, et tam mirabile, ut liberatus dicat, Hoc non cogitassem futurum, hoc consilium non fuisset in mea aut ullius hominis sapientia. Hoc semper fateri cogimur, ubi consilium Dei experti sumus. Et ideo Deus sinit nos aliquando tam gravibus difficultatibus implicari, et tantis tentationibus oppugnari, quibus nulla humana sapientia consuli ac mederi potest, ut ostendat suam sapientiam esse supra omnem sapientiam, astutiam, dolum ac potentiam etiam portarum infernalium.

Non est itaque, quod de auxilio et consilio desperes in ulla difficultate aut tentatione quantumvis gravi; consiliarius vocari voluit, ex re nomen habet, et vult et potest solus consulere in omnibus afflictionibus, periculis et aerumnis.

Nec est quod cogites te solum pati talia, quae nemo alius sit passus. Scitote eandem passionem fieri fraternitati vestrae, inquit Petrus 1 Cap. 5. Semper itaque cogitabis, quod similes et non minus graves tentationes sint perpessi et alii pii, quales tu pateris. Ego saepe illis tentationibus sum divexatus, ut putarim neminem tam graves passum, sed falsus tamen sum, quamvis paucos credo tam duris tentationibus conflictari.

Certe Papa et episcopi nihil patiuntur harum tentationum, qualibus pii vexantur, habent fundamentum quo nituntur, opes, potentiam, gloriam. Et quia nullis gravibus ac veris tentationibus exercentur, ideo nec consiliarii hujus consilium et auxilium vere expetere possunt etc. Quando igitur Deus subtrahit fundamentum nostrae sapientiae ac

fiduciae, cumque sinit nos pendere inter coelum et terram, tunc vere discimus orare, et ad consiliarium hunc confugere, tunc clamamus, o Jesu Christe, consiliarie ecclesiae tuae, adjuva nos, fer opem etc.

Et consilium consiliarii hujus etiam experimur et experti sumus his temporibus, saepe etiam in corporalibus tentationibus. Quoties cogitaverunt adversarii nunc plus quam 20 annis nos prorsus opprimere? Sed omnia illorum consilia et conatus frustanei tamen fuerunt, beneficio consiliarii hujus nostri, hic nobis consulente et adversariorum consilia ac molimina frangente.

Sic experimur in omnibus difficultatibus et tentationibus tam privatis quam publicis vere esse puerum et regem hunc quod dicitur, hoc est, verum consiliarium, quod secundum est nomen ejus.

Nunc videamus et tertium nomen hujus infantis et filii, quod est אֵל. Non jacto me Ebraeum, sed certum est hanc vocem אֵל originem etymologicam habere a fortitudine, et significat Deum ipsum quando est nomen, ut hic, estque unum de decem Dei nominibus. Ut Adonai, Jehova, Tetragrammaton sunt propria Dei nomina, ita El nusquam invenitur in singulari, nisi de vero Deo, ut Psal. 42, Sitivit anima mea ad El, id est, fortem, et Psal. 50, Deus Deorum dominus locutus est. Sed tamen sive fortis appellative, sive Deus dicas, videtur significare proprium nomen Dei, et redit in idem. Malim tamen exponi Deus, etsi vocabulum Deus non exprimit appellationem fortitudinis, nam nos hac voce nihil aliud intelligimus, quam ipsam divinitatem, quae est super omnia. Sed Ebraicum אֵל in sin-

gulari sic significat Deum, ut simul significet etymologiam originis, scilicet fortem. Et haec fortitudo non est illa activa, de qua sequitur in voce גִּבּוֹר, sed substantiva substantia, quae est sua natura, firmitas seu firmitudo, ut lapis solidus firmus dicitur, cui quis certo et tuto innititur. Ideo in translatione nostra germanica reddidimus Kraft. Quod enim in se ipso non est debile et languidum, sed subsistens in sua soliditate et firmitudine, id apud Ebraeos illa voce dicitur. Et haec est proprie hujus fortitudinis significatio. Deus est ille fortis, id est, ipsa substantiva firmitas, et invicta ac stabilis soliditas.

Quando ergo finita est tentatio, quando liberati sumus consilio hujus infantis consiliarii, quando, sicut Paulus dicit, factus est una cum tentatione successus seu eventus, tunc, inquam, est אֵל nobis, ut possimus sustinere, ibi simus אֵלִים, id est, Christus vere tum in nobis Deus est naturali sua firmitate, qua roborat nos, sicut Paulus dicit, ut roborati, confirmati et consolidati possimus sustinere omnia mala etc.

Cum fidem inserit per verbum et sacramenta, est Admirabilis cum, defendimur et liberamur consilio ejus, est Consiliarius. El vero est, cum nos reddit solidos, firmos, fortes et certos, sicut petram, plenosque plerophoria. Hic videmus, quod tentationum utilitas sit longe maxima. Nam cum in tribulatione patientes sumus, animumque adversus omnia mala obfirmamus perseverantia, ex ea patientia sequitur, probatio, hoc est, homo probatus, fit certus, firmus, ut nihil dubitet, non fluctuet, non vacillet, ut non sit tristis et incertus, pavidus et

anxius, sicut ante fuit in tentationis paroxysmo, sed plane fit et ipse El; fortis, sed per infantem hunc, qui roborat eum suo auxilio et consilio, ut perdurare et sustinere omnia mala possit.

Paulus 2 Corinth. 12, Datus est mihi, inquit, palus in carnem, angelus satanae, qui me colaphizet, hoc est, satan excarnificat, coquit, macerat, assat, divexat, et discerpit me miserrime, significant his verbis longe gravissimas et durissimas fuisse has passiones seu tentationes, quibus est vexatus. Sed quid fit in his luctis et conflictibus? Exspectat consiliarium, Ter, inquit, rogavi dominum, et dixit mihi, sufficit tibi gratia mea. Virtus enim mea per infirmitatem perficitur.

Hoc est, quod hic dicit, eum esse El, quasi dicat, In hac tua infirmitate, qua petis consilium, hanc do tibi consolationem, Sufficiat, quod es mihi dilectus Paulus, quod te amo, quod gratiam meam habes, est et utile tibi sic te colaphizari, ne extollaris. Infirmitas illa non cedet tibi in perniciem, non abjicieris a me ob id quod pateris et crucifigeris, ob id non minus te diligo, ob id non periclitaturus es, non succumbes, sed per hanc infirmitatem tuam mea virtus perficitur, id est, in hac infirmitate tua fio El, hic declaro me id esse quod dicor, hic meam potentiam et virtutem exsero, et te hoc modo solidum et firmum reddo, ut subinde fias fortior et firmior.

Haec sunt opera nostri regis in sua ecclesia, mirabiliter justificat et gubernat in fide, deinde in tentationibus, quibus exerceri vult fideles, consulit, consolatur et liberat, postea consolidat, roborat, confirmat ac perficiet consolidabitque et modi-

cum passos fulciet, roborabit et stabiliet (ut Petrus ait 1 Petr. 5.), ut perseveremus usque in finem. Sic tertium vocabulum El etiam ad officium infantis proprie pertinet, quamquam persona etiam per omnia significetur esse verus Deus.

Gibbor.

Quartum nomen est Gibbor. Est autem גִּבּוֹר proprie fortitudo illa bellica aut bellatrix, non substantiva, sed activa, quae vires suas exserit, quae invadit hostes, et omnia adversantia et resistentia diruit, vastat, perdit, cui resisti non potest etc.

Est igitur Gibbor potens aliquis bellator, egregius dux, invictus heros, Hercules et Achilles aliquis, non substantiva aliqua fortitudine et virtute, quae in eo manent, sed quae prorumpit, et impressionem facit, fugat, caedit ac prosternit, nunc hic, nunc ibi, magno numero hostilem exercitum, qui circumquaque omnia vastat etc.

Sic dicitur de Nimrod, quod fuerit robustus venator, hoc est, tyrannus, qui circumquaque vastarit et subegerit sibi omnia. Sic גִּבּוֹרִים vocantur fortes viri Davidis, principes et duces exercitus.

Breviter, Gibbor, qui animo virili et magno praeditus est, qui virum se praestat, qui non solum sibi aut pro se robustus est, sed active, qui virtutem et vires suas exserit, qui magnifice se de hostibus suis ulcisci, et illorum libidinem, conatus, ferociam atque petulantiam coercere et refrenare, injuriam atque vim illatam aut intentatam fortiter depulsare potest.

Talis Gibbor est Christus hic puer et rex noster in ecclesia, ubi est piis פֶּלֶא, יוֹעֵץ et אֵל, ibi fit

quoque גִּבּוֹר, ein Krieger, fortissimus et invictus miles ac pugnator, Hercules et Achilles. Pugnat enim et gerit bella contra partes adversarias, contra haereticos, contra diabolos, contra tyrannos, et contra omnia vitia carnis, cum quibus quotidiana pugna Christianis est.

Nam etsi non cum haereticis dimico, ob id tamen non in alta pace ago, sed sentio aliam legem rebellantem legi mentis meae, et captivantem me. Hic certe pugnandum est, et quidem acriter. Non enim est hoc bellum bellum dormitantium et otiosorum, et hominum non sentientium legis officium, peccati et mortis terrorem, sed est bellum pugnantium contra dubitationem in fide, contra infirmitatem spei, contra ignita tela diaboli, contra astutias haereticorum. Hae non sunt leves dimicationes aut contemnendae pugnae.

Hic nobis pugnantibus adest Gibbor. Is per spiritum suum in nobis pugnat pro nobis, hostesque nostros fugat ac fundit etc. Est ergo rex et pugnator omnipotens.

Et ut est longe maximus et potentissimus rex ac Gibbor, sic et hostes contra se habet non contemnendos, sed longe ferocissimos acerrimosque, nempe maxima et innumera diabolorum, haereticorum, malorum hominum, tyrannorum et persecutorum, vitiorumque nostrorum agmina.

Porro non tantum contra carnem in suis pugnat hic puer et filius, sed etiam pugnat cum sapientia mundi 2 Corinth. 10, et contra sapientiam carnis nostrae, quae pugnat contra spiritum, ut excutiat fidem, ut faciat stertentes et securos doctores, donec satan eos opprimat. Contra eam carnis

et mundi sapientiam et reliquos ecclesiae hostes pugnat hic rex et infantulus, idque facit non semel atque iterum, sed perpetuo. A principio enim et semper ejus nomen est Gibbor.

Pater futuri saeculi.

Quintum nomen est, אֲבִי־עַד, hoc est, pater aeternus, seu potius perpetuo pater, particula ebraea עַד non significat proprie aeternum, sed ultra ultra, Germanis fort und fort, ergo latine redderetur proprie, perpetuo pater. Sic autem vocat, ut significet regnum Christi non esse unius aetatis aut saeculi, sed perpetuum et quod in aeternum sit duraturum, das immer fort und fort gehen werde.

Est itaque hic rex et infans in hac vita perpetuo pater, hoc est, semper generat et multiplicat filios, non ut David, Salomon aut alius rex quispiam mundanus qui generant annis plus minus viginti, quod est brevissimum tempus, post moriuntur. Ad noster hic rex talis est pater, qui generet, non annos viginti, triginta aut centum, sed semper usque ad finem mundi.

Et tales generat hic pater filios, qui semper vivunt. Igitur regnum ejus aliud regnum est, quam rerum corporalium, et alia potestas, quam terrena. Ab initio mundi habuit suos filios, semper ab illo usque tempore, usque ad finem mundi conservabitur ecclesia. In novo testamento quotidie baptizantur parvuli, nascuntur ex evangelio credentes. Sic generat hic pater suos filios per verbum et spiritum sanctum ex baptismo, absolutione et sacramento altaris. Et hi ejus filii non moriuntur, obdormiunt quidem in fide hujus infantis et filii, et

a vermibus corroduntur, non tamen manebunt in morte, sed resurgent, congregabuntur ad populum electorum, viventque in aeternum.

Judaei somniant Messiam regem, ut Salomonem moriturum cum filiis. Et hinc etiam eorum horribilis caecitas sese prodit, quamquam nihil in prophetis intelligant. Vel ex hac voce Abiad intelligere possent, aeternum regem fore, si non excaecati, indurati et prorsus in reprobum sensum traditi essent. Si autem Pater est futurus perpetuo, ergo semper manet pater, semper generat filios usque ad diem illum restitutionis omnium, et filii itidem ejus, ut pater, semper manebunt etc.

Item, cum regnum ejus sit regnum libertatis, non servitutis, non generat servos, quales generabat Moses sub lege, sed est ultra et extra legem Pater, ac proinde ejus filii non servi sunt, sed liberi et haeredes Dei ac cohaeredes regis et infantis hujus. Hinc dicit Paulus Galat. 3: Igitur non est servus etc.

Sic Misrah regis nostri est regnum filiorum et summae atque aeternae libertatis, quia jugum oneris, virgam humeri et sceptrum exactoris confregit, est ergo regnum seu dominium supra peccatum, mortem et inferos etc. Idque regnum durat in perpetuum. Etsi enim hic moriuntur, ut dixi, et ex hac vita corporibus migrant, qui ex hoc patre nati sunt, suo tamen tempore resuscitabuntur a mortuis, ut vivant in aeternum et sint filii et haeredes Dei ac cohaeredes Christi. Sic Johan. 11 dicit Christus, Ego sum resurrectio et vita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet etc.

Princeps pacis.

Hoc sextum nomen est. Loquitur autem de pace, cujus non sit finis. Si enim pater perpetuus, si filii perpetui et regnum perpetuum, ergo et pax perpetua sit, oportet. Talis certe rex non fuit Ezechias, de quo Judaei haec intelligunt, tale non fuit ejus regnum. Qualis enim fuit pax sub Ezechia? Aut nulla aut admodum tenuis. Quare de nullo alio quam puero nobis nato et Christo rege intelligi potest, qui solus regnat in pace.

Porro ubi manent mors, peccatum et lex, ibi non est pax a jugo oneris, virga humeri, a sceptro exactoris. Haec animam et conscientiam non sinunt quiescere. Habet quidem mundus pacem, vivunt in summa securitate, laetitia et pace, carnales et impii homines, sed omnia illorum praesidia, quibus nituntur et fidunt, sunt incerta, caduca et momentanea. Hinc ait Hiob cap. 21, Ducunt in bonis dies suos et in puncto ad inferna descendunt. Contra populus hujus infantis et filii fruetur constanti, beata et perpetua pace, quia rex ejus est princeps pacis, et talis pacis, cujus non erit finis etc.

Observandum est autem in hoc loco et in omnibus locis scripturae, ubi praedicitur regnum Christi aeternum et pacificum, quod et resurrectio mortuorum futura et vita quoque aeterna involvatur. Idque ex manifesta consequentia ex his locis habetis, nam si est regnum ejus regnum aeternae pacis et aeternae justitiae, ergo a contrario peccatum, mors et lex cessabunt, mortuique in Christo sepulti a vermibus adesi et in pulverem redacti resurgent. Hoc clare convincitur ex istis verbis, Pacis ejus non

erit finis. Ergo qui sunt filii hujus perpetuo patris, aeterni regni haeredes futuri sunt etc.

Item mirabiliter justificat, tentatos gubernat, ac consulit ipsis, in fide eos consolidat et confirmat. Ergo resurgant oportet, quantumvis miserrime occidantur, lanientur, urantur, discerpantur etc.

Est regnum perpetuum, est regnum libertatis aut regnum liberum sine peccato et sine morte. Ergo filii regni etiam mortui vivent, si victuri sunt, ergo resurgent.

Hinc manifesta consequentia convincitur, quod mors, peccatum et lex debeant esse sublata, quodque Misrah ibi esse debeat libertas a peccato, a morte, a lege, ab inferno, a potestate diaboli etc. Ergo non potest esse corporale regnum, quale imaginantur excaecati Judaei.

Haec sunt sex illa nomina Messiae, quae exprimunt ejus officia et effectus in ecclesia, quamvis etiam includant simul personam. Quia non posset hic rex facere illa officia, quae his sex nominibus exprimuntur, nisi esset verissimus Deus et divina persona, quae eadem etiam verissimus est homo, infans nobis natus ex virgine.

Sic concludit propheta in una persona verum Deum et hominem, regem gloriae, pacis, vitae ac justitiae aeternae, item redemptorem, cum jugum oneris confregerit etc., et resuscitatorem mortuorum in fide suos aeterna gloria coronaturum.

Ut multiplicetur imperium, et ad pacem sine fine.

Haec sunt opera nati pueri, regis aeterni. Regnum ejus, quod est libertatis regnum, multiplicabi-

tur et magnificabitur per totum orbem terrarum, ita ut non in Judaea tantum delitescat, sed quam latissime in omnes nationes ac populos ad fines usque terrae propagetur. Hoc praedixit et psalmus secundus, Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae etc., item Psalmus 72, Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum. Reges Tharsis et insulae munera offerent, reges Arabum et Saba dona adducent. Et adorabunt eum omnes reges terrae, omnes gentes servient ei. Idem testatur promissio Abrahae facta, In semine tuo benedicentur omnes cognationes terrae.

Non tantum ergo erit aeternum regnum, sed etiam latum et per totum orbem terrarum dispersum, hoc est, non solum Judaei sunt participes gloriae hujus regni, sed et omnes gentes per orbem terrarum dispersae, quae hunc infantem et filium agnoscunt sibi natum esse et datum. Estque confirmatio praecedentium, quasi dicat, Omnino resurgent mortui multi, congregabunturque ad vitam illam aeternam, non solum ex Judaea, sed ex omnibus terminis totius mundi. Multiplicabitur enim hoc regnum in omnes gentes usque ad finem mundi.

Hic quaestio est de Mem, quod nusquam clausum invenitur in biblia, nisi in fine dictionis, apertum obtinet vel medium vel principium dictionis. Hic vero in principio dictionis (לְםַרְבֵּה) clausum est contra naturam et grammaticam. Judaei exponunt ideo clausum esse, quod multiplicatio illa et libertas, ad quam post captivitatem babylonicam redituri erant, abscondita fuerit per id tempus, quo captivitas durabat. Sed hoc non est verum. Quia

Jeremias 70 annos duraturam eam captivitatem diserte praedixit.

Alii exponunt de beata virgine, infantis matre, putantque hoc loco significatum esse, quod infans hic nasciturus esset de matre clausa, de incorrupta et virgine illibatae et intemeratae pudicitiae. Estque haec pia cogitatio et placet. Non reprobo, est piorum Judaeorum et nostrorum Ebraeorum.

Sed quid, si etiam ibi esset significatum, quod Christus dicit, Vobis datum est nosse mysterium regni coelorum, ut significet illam horribilem clausuram, quod Judaei nunquam intellexerunt istam mirabilem hujus regni administrationem, quasi dicat, Erit mirabilis multiplicatio, quae erit clausa Judaeis, quam non intelligent, quia prorsus est spiritualis. Cogitant enim et somniant temporale aliquod regnum, idque multiplicandum esse temporaliter. Ideo clausa est ista multiplicatio et regni Christi ratio. Haec horribilis clausura et caecitas Judaeorum per clausam in principio literam Mem significata esse mihi videtur.

Hoc regnum futurum est in mundo, et tamen est spirituale et mysticum. Non multiplicabitur carnaliter, sed per verbum, per baptismum etc. Et populus hujus regis multiplicabitur et colligetur in regnum vitae, justitiae et libertatis aeternae, non in regnum mortis, peccati et legis. De hoc mysterio synagogae abscondito et ecclesiae revelato, juxta illud, Vobis datum est nosse etc., placet Mem clausum exponi: Filii alieni, caeci illi recutiti, sunt furiosi in suo sensu. Expetunt Chochab et regnum corporale, et tale regnum imaginantur. Hac imaginatione et somnio de regno carnali impe-

diuntur, ut prophetam non intelligant. Sic visio illis est sicut liber clausus, ut cap. 29 dicit Esaias, Caeci sunt, non vident. Velamen positum est super cor eorum 2. Cor. 3., ut non intelligant tam diserte, tam explicate praedicta. Hoc proprie per Mem clausum puto significatum esse.

Finis pacis nullus erit.

Erit resurrectio mortuorum, erit regnum aeternum sine peccato, morte et lege, erimus filii, erimus haeredes Dei et cohaeredes Christi, in aeternae beatitudinis gloria.

Super solium David et super regnum ejus, ut praeparet (vel constituat) et confirmet (vel sustentet) illud in judicio et justitia, abhinc usque in aeternum etc.

Non futurum est regnum angelorum, sed regnum inter homines, quales fuerunt qui sub Davide erant. Sicut David rex fuit super semen Abrahae et filios Israel, ita hic puer erit rex super homines mortales, qui nascuntur de Israel, de David et iis, qui eorum posteri sunt. Ergo Abraham, David etc. vivunt cum omnibus suis posteris. Etsi in sepulcris consumpti sunt, tamen suo tempore ad aeternam illam vitam et gloriam resurrecturi sunt. Hoc de Israelitis dicit propheta.

Sed ubi manemus nos gentes? Respondeo. Supra dixit propheta, Multiplicasti gentem, et hic dicit, Multiplicabitur imperium ejus, et ubique per totum orbem terrarum multiplicabitur. Ergo gentes cum Judaeis congregandae, ut passim in Jesaia et omnibus prophetis legitur.

Christus, ut ait apostolus Rom. 15, minister fuit circumcisionis propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones patrum. Gentes autem, inquit, glorificent Deum pro misericordia, non enim habent per promissionem, ut posteritas patrum, quibus benedictio promissa est. Ob id Matthaeus incipit evangelium suum sic: Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abrahae. His facta est promissio. Ideoque manet propheta in stylo promissionis, dicitque super solium David etc. Ergo filii hujus regis sunt immortales et beati futuri.

Sed nos Lemarbeh, id est, multiplicatio vocamur et conjungimur illis, juxta illud Gen. 22, In semine tuo benedicentur cunctae cognationes terrae; item Psal. 2, Postula a me et dabo tibi gentes haereditatem tuam etc., item Psal. 72, Dominabitur a mari usque ad mare, id est, super omnes homines.

Hactenus de puello nobis nato, et filio illo nobis dato sit dictum, agamus gratias pro inenarrabili mysterio nobis revelato, rogemusque eundem puellum et filium, ut secundum sua sex nomina noster in perpetuum pro sua infinita bonitate esse et manere dignetur, Amen.

DEO PATRI, FILIO ET SPIRITUI SANCTO SIT LAUS ET GLORIA IN SECULA SECULORUM.

AMEN.

ENARRATIO

53. CAPITIS ESAIAE

PROPHETAE EX PRAELECTIONIBUS

REVERENDI PATRIS

D. MARTINI LUTHERI

SUMMA FIDE ET DILIGENTIA COLLECTA

ANNO 1544 ET NUNC

(HOC 1550 ANNO)

PRIMUM IN LUCEM EDITA.

PRAEFATIO D. M. L.

Laudemus Deum et Dominum nostrum Jesum Christum, dum licet et tempus habemus ac possumus. Mundus enim plane contrarium facit plenissimus blasphemiis et horribilibus scandalis atque abnegationibus salvatoris nostri, ita ut Christus sit scandalosissimum fidei nostrae objectum. Ideo est et manet in abscondita et defôrmi specie sua, ut inquit propheta. Fides igitur assidua sacrarum literarum tractatione et pia meditatione alenda et confirmanda est, ut illud brachium Domini non amittamus nec deseramus, quia in ipso omnis nostra salus posita est. Cur autem Papa Turcae et Judaei non credant in Christum, id relinquamus arcano consilio Dei, nos vero ex toto pectore Deo gratias agamus, quod nos vocavit ad hanc lucem veritatis et evangelii.

Constitui autem caput quinquagesimum tertium hoc tempore tractare, cum sit praecipue deputatum ad hoc, ut recolamus passionem et resurrectionem Christi ac ei gratias agamus pro inenarrabili ipsius dono. Satis mirum est, quod Esaias habuerit tantum lucis, quodque tam diserte ac proprie potuerit pingere ac magis proprie etiam quam Evangelistae mysteria de Christo, excepto uno Paulo, qui est organum electum. Alias fere tota scriptura non habet locum similem huic quinquagesimo tertio capiti. Esaias vocat Messiam illum gloriae Dominum, brachium Domini, Regem, sacerdotem, et tamen miserrimum, abjectissimum hominem, quo non sit

quisquam despectior in toto genere humano, et tamen simul Deum in majestate sua adorandum.

Ista praevidet Esaias omnia et non dubitat asserere illud brachium Dei alteram esse personam divinitatis et pontificem nostrum, simul verum hominem, qui victima factus satisfecerit pro nostris peccatis, redemerit nos a satanae potestate et donaverit vitam aeternam. Iste est articulus fidei et confessionis nostrae praecipuus, a Paulo copiose tractatus.

His ergo diebus passionis et recordationis ejus volumus tractare utrumque, quod Christus sit Deus et homo.

ENARRATIO

CAPITIS ESAIAE PROPHETAE QUINQUAGESIMI TERTII PER REVERENDUM PATREM AC DOMINUM

D. MARTINUM LUTHERUM*).

Totum illud caput quinquagesimum tertium non loquitur de ullo populo aut homine, sed proprie de capite ipso Christo. Nam ex consequentia evidenter sequitur, quod nos oporteat conformes fieri imagini capitis nostri. Quod ergo propheta loqui-

*) In edit. Wittemb. anni 1552 haec est inscriptio: Enarratio uberior capitis Esaiae prophetae quinquagesimi tertii, collecta per M. Georgium Rorarium, anno M. D. LIII.

tur de unica persona Christi, hoc etiam loquitur ipsum brachium Domini, nempe Dominus Jesus, de corpore suo, hoc est, ecclesia. Ipse enim forma est, ad quam oportet ecclesiam conformari.

Nec debemus hic varias sententias comminisci, omnia sunt ad unicam hanc personam Christi referenda. Nullus enim nec angelus nec homo est, qui vere dici possit brachium domini, et de quo ea dici possunt, quae hic propheta vaticinatur de Christo, ut cum dicit, Vulneratus est propter iniquitates nostras, item, Cujus livore sanati sumus. Nec de propheta ipso dici possunt. Ideo brachium domini est unicus et solus naturalis filius Dei, dominus noster Jesus Christus, adorandus vera substantiali et essentiali divinitate cum Deo patre in aeternum. Primum pingit, qualis sit futurus in ministerio et quid facturus sit in genere.

Ecce servus meus intelliget.

Id est, Messias hic futurus est servus Dei patris, seu ut Graeci verterunt παῖς, עֶבֶד*) Ebraice aliquando puer, aliquando servus appellatur. Sic de Davide, Psal. 18: Psalmus Davidi, servo vel puero Dei. Illa servitus autem non est peccati, carnis aut corporis, sed ministerii verbi, quod Christus missus est in ministerium verbi. Unde Paulus eum appellat ministrum circumcisionis, hoc est, praedicatorem, doctorem populi judaici, cui missus est, ut antea promissus erat. Sed Judaei non exspectant talem servum, ministrum seu doctorem, qui regnet sine armis, opibus, potentia, gladio, pompa carnali, ideo

*) In edit. 1550: Ebed.

hunc locum non interpretantur de filio Dei, seu brachio Domini Messia, sed de ipsis jam oppressis per Romanos, perditis et traditis in capitivitatem Romanam, hocque faciunt horribili blasphemia nulloque in loco magis ac stultius delirant, quam in hoc 53. capite.

Verum Christus est et dicitur servus Dei, ideoque missus est a patre, suscepit functionem servilem, id est, ministerialem in verbo, ut doceret et regeret solo verbo Dei electos filios Dei credentes, cui tamen Deus semper signa addit, ita ut sit signum verbi, non philosophiae rationalis, non sapientiae, non potentiae, non armorum, sed servitus et ministerium administrandum per Christum, cui domino datum est verbum ex voluntate divina, quod neque philosophia, neque politia, neque oeconomia (in quantum tales sunt) habet. Solus Filius Dei habet in ecclesia sua. Ideo incipit statim se ipsum declarare, quid voluerit, cum dixit capite praecedenti 52, Surge, induere fortitudine tua, quasi dicat, volo dicere de servo unico, cui nullus alius similis comparandus, est enim Dominus gloriae et brachium Domini, et tamen ille idem erit servus, hoc est, dicam de doctore, concionatore, qui serviet Deo in ministerio praedicationis verbi, illud a me missum audietis, Er wird mein Prediger und Bischoff sein, quem misi cum verbo et ministerio, ut praedicet, colligat, gubernet ac regat ecclesiam, non armis, non gladio, non viribus ullis.

Et intelliget.

Absolute seu substantive, ut illi loquuntur. Ebraice מַשְׂכִּיל, id est, Messias meus debet esse

ntellector absolute, intelligit, prudenter agit, non בִּינָן vel בִּין*), ut Daniel Cap. 12 de Antichristo oquitur, ad mulieres non intelliget. Propterea Esaias usus est hoc loco שָׂכַל (non בִּינָה vel בִּי*)), quod significat animadvertere, curare, observare, hoc est proprie, klug sein, ut referatur ad ministerium verbi. Non dicit, Servus meus armatitur, pugnabit gladio, ostentabit philosophiam et sapientiam rationis, sed suum regnum erit verbale, seu doctrinale; non aget in regno suo ullis armis, neque carnali sapientia, sed totum quod aget, id erit intellectus, doctrina, breviter ministerium verbi.

Frustra itaque exspectatis aliud regnum, quod ne verbo et extra verbum in sapientia mundi, potentia et armis carnalibus positum sit. Tale non erit regnum aut regnitalis forma, sed cum venerit, incedet pauper neglectis rebus corporalibus, quas mundus tanti facit, ac relinquet pompas hujus mundi regibus et monarchis.

Hujus regis officium erit docere, qui tradet intelligentiam seu prudentiam, hoc est, nihil aget sua administratione nisi prudenter, suum ministerium erit prudentia, doctrina de vita aeterna, quomodo debeamus consequi remissionem peccatorum, liberari a potestate diaboli, a morte et ab omnibus malis, er wird mit eitel Weisheit umgehen, und wird große Weisheit den Menschen unbekannt fürgeben, ut erudiat homines non pro hac vita, quomodo scilicet regi, quibus praesidiis sustentari haec vita debeat, quae jam sunt ordinata Gen. 12. Habet enim haec

*) In edit. 1550 legitur: Mascil — bina — bon — chal.

vita doctrinas, leges, sapientes, doctos viros, legum latores, philosophos etc. Hanc doctrinam non opus est ut Christus adferat. Est alius doctor et magister Christus, doctor et praeceptor, ut propheta Joel inquit cap. 2: Dedit te doctorem et praeceptorem in gentibus, id est, erit doctor justitiae, salutis et vitae aeternae contra peccatum, mortem, diabolum, infernum.

Habes breviter officium personae. Messias, Filius Dei, brachium Domini, erit doctor, minister Dei in docendo, Qui intelligit, substantive, absolute, i. e., agit omnia, ut fiant homines intelligentes, sapientes, ut Psal. 2: Et nunc reges intelligite. Regnum igitur Christi consistit in intelligendo et erudiendo. Quicunque igitur sunt sapientes, docti et gloriosi in mundo, debent eum audire, ei credere et cedere.

Porro autem Christus fuit etiam in personalibus seu politicis intelligentissimus. Verum propheta loquitur de intelligentia ministerii. Omnia igitur, quae facit Christus, huc pertinent, ut agnoscatur intelligens esse, et nos efficiamur intelligentes ab eo, ut alibi in Esaia, Dabo filios doctos a Domino, et Joh. 5: Erunt omnes docti a Domino; item alibi in Esaia, Dedit mihi linguam eruditam.

Hoc vult propheta, cum dicit, Servus meus intelliget seu prudenter aget, quasi dicat, non sparget aurum vel argentum in populum, sed doctrinam, quia est doctor gentium; qui hunc regem non receperit, aut alium corporalem regem et doctorem quaesierit, fiet ei ut Judaeis, qui hunc contemtum ministrum abjecerunt. Ideo nihil jam habent intelligentiae de isto servo, quia conclusum est,

quod regnum Messiae erit verbi seu doctrinae regnum, non corporale. Qui igitur doctrinam ejus non audierit, is non intelliget, quae mysteria sint regni ipsius.

Sed quomodo congruit, quod sequitur, ad praecedentia? Exaltabitur et elevabitur et erit sublimis valde. Illa videntur inter se pugnare. Quid faceret talis servus, qui non spargit aurum et argentum inter populum, non congregat arma, non colligit exercitus, non subjicit sibi populos, non regnat potentia, sapientia? Quid hic efficeret? quomodo potest elevari, exaltari et sublimis fieri? et tamen dicit propheta, elevabitur. Respondeo, per illud verbum, doctrinam et intelligentiam elevabitur spiritu.

Hanc exaltationem Paulus Ephes. 4 sic exponit, quod qui ascendit ad coelos, prius descenderit ad inferos et infimas terrae partes. Sic elevatus est Christus. Sed quid haec corporalis elevatio nobis prodesset, si iste ascensus et exaltatio nobis esset ignota, sicut Judaeis, Turcis et papistis. Quid prodest Christum pro sua persona exaltatum ad dexteram Patris, quamquam praerequiratur illa personalis Christi exaltatio?

Nisi enim haec intelligentia spargatur per ministerium, et homines intelligant et credant Christum mortuum pro peccatis nostris descendisse ad inferos, tertia die resurrexisse a mortuis, et ad dexteram Dei Patris collocatum, exaltatum, nihil prodest mihi ipsius personalis exaltatio, ut neque papistis et Turcis, qui Christum blasphemant et confitentur se esse inimicos Christi, quem tamen ipse Mahomet collocat in aliquo honore, fingens se stare ad dexte-

ram Dei, Christum ad sinistram, quo innuit eum vivere. Sed novus Turca appellat se inimicum Christi, Mahomet laudat eum, sed ut purum hominem. Quare ista exaltatio non pertinet solum ad suae personae privatam exaltationem, quamvis haec praerequiratur, sed maxime ad ipsam praedicationem, quia regnum Christi doctrinale ministerii verbi est, quo exaltatur Deus, ut sunt multa illustria testimonia in Psalmis, ut, Exaltemus nomen ejus, item, Exaltare super coelos, item, Exaltatur nomen tuum in universa terra.

Exaltare ergo personale sequitur illud doctrinale, quod est laudis et gloriae, ut res exaltata etiam celebretur. Res est, quod resurrexit; sed per evangelium toti orbi praedicatur. Ibi laudat et confitetur eum orbis, quod sedeat ad dexteram Patris, pari divinitate et potentia, etiamsi eum non videat. Revera enim non videmus eum, tamen exsultamus, levamus eum verbo et confessione fidei, et credimus eum sedere ad dexteram Patris, ut interpellet pro nobis.

Sic exaltatio etiam ad nos pertinet, ut 2. Thess. 2. tonat et fulminat apostolus contra antichristum, Elevatur super omne quod colitur, et dicitur Deus. Ibi S. Paulus dicit Christum esse exaltatum et aequalem Deo, et tamen papa non tantum adversatur Christo, sed extollit se supra eum, non re ipsa, quia supra Christum filium Dei, ut nec supra Patrem nihil potest exaltari et extolli, nec angelus, nec diabolus. Sic et Daniel cap. 12. loquitur de antichristo: Magnificabit et extollet se supra Deos patrum suorum etc.

Est ergo exaltatio doctrinae, confessionis, fidei,

quod sicut revera sedet ad dexteram Patris omnipotentis aequalis Deo, ita in meo corde nihil altius debet sedere, quam Christus exaltatus supra omnia, hoc est, debeo credere illi subjecta esse omnia; nihil doceatur, audiatur, dicatur supra et extra hunc Christum, sicut econtra papa se extollit supra Christum in omnibus suis decretalibus, initio, medio et fine praeferens sua dogmata Christi doctrinae; cum praesideamus universae catholicae ecclesiae, quae verba sunt blasphema, sacrilega, adversantia Christo, quibus papa extollit se supra eum, quia haec est gloria solius Christi, scilicet, praesidere universae ecclesiae; caput esse, quod dominetur toti corpori, solius Christi est.

Sic antichristus extulit se contemnendo et mutando praecepta Christi, liberando conscientias ab eis, et regendo magis suam, quam Christi obedientiam, imò dissolvendo omnia praecepta Dei; ita enim rugit in omnibus suis canonibus, ut dixi, et addit, qui se subtrahere volunt ab obedientia legum suarum, id eos facere periculo animarum suarum. Ita damnat omnes animas, filii Dei sanguine redemptas, et dicit omnes perituras, quae non obediunt per omnia mandatis suis, hoc est, extollere se et esse aequalem Deo.

Non damnabor, antichriste, propter tuas decretales non servatas et tamen credidimus nos peccare, si nudo digito calicem consecratum attingeremus. Item, Nos sumus caput cunctarum ecclesiarum, quidquid dixerimus, hoc erit servandum. Ita initio, medio et fine est blasphemus in Deum, ita enim claudit, Nulli homini licet contradicere nostrae sanctioni. Grandia verba, quasi neglecta una decre-

tali papae non sit speranda salus, ideo addit, Noverit se incursurum indignationem omnipotentis Dei.

Si reformandae essent decretales, profecto amputanda essent intestina, caput et cauda. Certe pii discipuli juris, amantes Christi doctrinam, cum legunt decretales, deberent perterrefieri, quia sunt merae et horribiles blasphemiae et exaltationes supra Deum dictum.

Est ergo duplex exaltatio Christi, personalis, qua ipse exaltatus et est caput nostrum, et realis, utraque vera. In persona sua exaltatus et collocatus est ad dexteram Patris. Altera realis, quod talis creditur, talem eum confitemur, talem exaltamus ministerio verbi et confessione fidei. Et propter hoc secundum exaltare factum est primum, quia passio, resurrectio, glorificatio, sessio ad dexteram Patris habet hanc finalem causam, ut agnoscamus et praedicemus eum esse talem. Personalis enim ejus exaltatio ideo facta est, ut talis agnosceretur, praedicaretur, crederetur, eum talem confiteremur in nostram salutem, ut ejus doctrina ostenderet nobis istam rem, et sic ostensa et apprehensa per fidem salvi fieremus, sicut infra sequitur, Notitia sui justificabit servus meus justus multos, propter se enim nec natus, nec mortuus est, nec resurrexit, sed ut Paulus ait Rom. 4: Mortuus est propter peccata nostra et resurrexit propter justitiam nostram, ut infra etiam testatur propheta, Languores nostros ipse portavit.

Summa, exaltari, sublimem fieri Christum, factum est semel in sua persona. Sed illa realis exaltatio non cessat, sed fit quotidie in aeternum. Et ista sua elevatione, qua agnoscimus, praedicamus,

confitemur eum exaltatum, salvat nos in aeternum, ac beati tum erimus cognoscendo et videndo eum.

Et quanquam inebriati quasi et satiati et pleni erimus hac cognitione, tamen nunquam satiari aut repleri istis coelestibus rebus poterimus, gaudebimus, et mirabimur cum angelis in perpetuum, 1. Petr. 1. Meo ergo judicio hic propriissime et maxime intelligatur secunda exaltatio, quae fit per nos in ecclesia per ministerium verbi, qua exaltatur Christus apud nos in salutem aeternam. De particulari sive personali exaltatione infra dicemus.

Relinquo Hebraeis discrimen trium vocabulorum exaltandi, quae non satis distincte et proprie definiri possunt. Primum רום *) est altum, sublime, a quo Abraham pater altus, et tamen usurpatur etiam de altera exaltatione, ut Psal., Exaltabo te, Domine Deus meus Rex, id est, laudabo, glorificabo; altitudo montium, Esa. 2, Supra omnes cedros altas, in quo loco propheta multis vocabulis utitur, quae altitudinem significant, sed fere omnes istae appellationes altitudinis sunt metaphorae significantes gloriam et superbiam, ut Psal. 131, Non est exaltatum cor meum, Ich gehe nicht hoch herein; opulentus est exaltatus, aber herrlicher ists, quando aliquis est cum laude gloriosus, quando scilicet accedit altera exaltatio, ut laudetur, celebretur, praedicetur ab hominibus.

Sit igitur hoc discrimen (ego tantum hoc modo imaginabor) Libanus est mons רום **), id est, altus, supra hunc est aliquis collis, qui magis est exaltatus, tertio imaginor cedrum aliquam proceram

*) In edit. 1550: Rom. **) In ed. 1550: Rom.

seu erectam supra collem. Sic dicitur de Dei filio. Sed committo ita grammatica Hebraeis.

Dicit ergo propheta in persona patris, quod Messias, Domini brachium, erit pauperrimus minister, humillimus, nihil habens praeter verbum, nec regnans nisi solo ministerio verbi. Hic nihil est cernere gloriosum, sublime, neque est exaltatum esse, sed infimum et abjectissimum. Quid enim doctor, si nihil habet praeter verbum? Deinde egens, nudus, instabilis, non habens ubi reclinet caput suum, faex hominum, 1 Corinth. 4. Psal. 22: Ego autem vermis sum et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis. Quae haec est altitudo? Item deprimimur, persecutionem patimur, occidimur, et tamen in oculis Domini sublimes sumus, exaltati, elevati etiam re ipsa.

Postea facit nomen nostrum magnum et gloriosum, exaltat nos confessione fidei, ut saltem hanc memoriam nostris posteris relinquamus, nos veros et fideles pastores fuisse. Quid in hac vita erant Petrus, Paulus? *περίψημα καὶ κάθαρμα*, nihil siquidem vilius, abjectius, conculcatius ipsis. Sic Christus ipse, et tamen in hac servili specie incedens rex omnium regum est, judicans et gubernans omnia. Sic est exaltatus re ipsa, et postea confessione et praedicatione.

Nunc apostoli sunt judices et reges mundi et exaltati, propter quid? propter verbum, quod docuerunt, manebunt exaltati in aeternum, nullus jam rex est, qui, si daretur optio, non malit suam coronam, gloriam et potentiam deserere atque eligere et retinere Petri gloriam coram Deo, loquor de Christiano rege, non epicureo etc. Immo certe op-

taret, ut ad scabellum pedum ipsius sederet et ministraret illi.

Tale est regnum Christi; siquidem propter nos factus est servus humanam naturam assumens, descendit ad infimas partes terrae, et rursum ascendit re ipsa, postea etiam confessione, praedicatione, laude, benedictione, gloria sempiterna. Primum ergo disce, qualis sit rex, ut intelligas regnum ejus non consistere in opibus, sapientia, potentia carnali, nec ulla re mundana, sed esse regnum ejus verbale, doctrinale, spirituale, aeternum, quod liberet a potestate diaboli, a peccato, a morte et ab omnibus malis.

Propterea ostupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus ejus et forma ejus inter filios hominum. Ipse asperget gentes multas, super ipsum continebunt reges os suum.

Descripsit doctorem et regem illum, quod sit sublimis et elevatus in aeternum valde, qui administret verbo regnum, ut ergo coepit esse doctor, ita manet ipse solus, sicuti Matth. 23. ait, Nolite fieri magistri, quia unus est magister vester; nunc igitur describit etiam istius servi intelligentis vitam, cum dicit, Obstupescent multi, hoc proprie propheta vaticinatus est de Judaeorum caecitate. Inspice enim non solum passionem Christi, sed etiam actionem, miracula ejus, an non tota ejus conversatio est in summa humilitate, paupertate et contemptu?

Ideo non agnoverunt eum esse regem aut Messiam. Ita apostoli non judicaverunt eum regnaturum per verbum, sed sperarunt eum restiturum

regnum Israel, Act. 1. Vident quidem gloriosa et magnifica facta, audiunt mirabiles ejus actiones, et tamem cogitant ista non esse gloriam regni ipsius, sed sperant eum fore dominum mundi, qui Romanos conculcabit, et omnes gentes sibi subjiciet, et faciet ipsos principes orbis terrarum et dominos opum totius mundi.

Quanto minus credebant Sadducaei, pingues Epicuri de grege porci? Ideo dicit ipse, Beatus qui non fuerit scandalizatus in me.

Ego pauper, abjectus, vermis, opprorium hominis et abjectio plebis, non habeo ubi caput reclinem, ut Matth. 8, Vulpes foveam habent etc. Quid hoc est dicere? suntne haec verba Regis, non habere ubi caput reclinet?

Ideo inquit Propheta, multi qui videbunt et audient te loquentem, agentem, patientem, edentem etiam miracula, obstupescent super te, et dicent, Ey, der wirds nicht thun.

Postea occiditur ignominiosissima morte, et pendet inter latrones, sepelitur, triumphant Annas, Caiphas etc. Num hoc est regnum inchoare?

Impegit hic major pars populi Israel in hunc lapidem offensionis.

Tune es rex noster, qui non habes locum, ubi caput reclines? Ideo obstupescent, entsetzen sich, pudet eos hujus regis, hoc est scandalum hujus populi.

Usus est Propheta valde significanti verbo שֹׁמְמוּ שָׁמֵם*) enim significat desolari, ut etiam ex Daniele patet cum videritis abominationem de-

*) In ed. 1550: Schamemu. Scham.

solationis; item Jesa. 1, Desolabuntur civitates universae; 1. Reg. 9, Omnis qui transierit per eum, obstupescet; Ps. 40, Desolabuntur ob mercedem pudoris sui; Hiob 17, Obstupescent recti super hoc.

Hinc autem nomen habet, quando scilicet inspector videt Hierusalem incensam, desolatam obstupescit, et movet caput inqiens, Bistu ein Stadt? Sic ab objecto trahitur significatio affectus, inspector nauseat, caput movet, stellt sich ungeberlich, siehet sauer, runzelt Nasen und Stirn. Sicut enim res apparet, ita gestus videntium exprimitur, quasi dicat, O Messia, multos desolabis, quia tu es desolatus, tua vita et actiones tales erunt, ut multi obstupescant et cogitent te nihil minus esse, quam brachium Domini.

Habere enim regnum est habere potentiam, opes, urbes, regiones, proceres, principes, et praecipue habere tale regnum, quale futurum erat Messiae in scriptura promissum, quod esset rex futurus orbis terrarum, qualem et hodie exspectant Judaei, ut tunc, ut sint domini et collectores auri, argenti, et opum mundi et omnium rerum pretiosarum, ut tum occidere possint omnes gentes, et soli dominari. Cum hoc non viderent in Christo, quamvis gloriosa miracula faceret, moverunt capita dicentes: Der wirds nicht thun.

Sicut ergo ipse miserrimus rex, quod ad externam speciem attinet, vastatus, desolatus, sic inspicientes eum desolantur, id est, stellen sich schändlich dagegen.

Hoc testatur evangelica historia, quod Rex eiste intelligens in oculis populi sui fuerit tamquam desolatus et plane nihil. Sie haben sich eben gegen ihm

gestellt, wie er sich gegen dem Reiche gestellt hat. Ratio enim non intelligit eum, qui apparet pauperrimus et miserrimus servus, esse regem.

Apparuit pauper et afflictus, non solum in passione, sed etiam in omnibus actionibus suis, ita ut miracula ejus impios nihil moverint, in admiratione tantum fuerunt apud pios, qui erant paucissimi, etiam apud apostolos adhuc carnales parum efficiebant, nisi quod concipiebant spem futurae dominationis et regni, ut dicunt Act. 1: Num restitues regnum Israeli? Itaque tot ejus miracula gloriosa quidem nihil aluerunt nisi spem liberationis corporalis a servitute Romana et dominii humani.

Quid nunc sentirent de Christo illae faeces novissimae Judaeorum?

Cum praesente Christo Caiphas, Annas, et alii sacerdotum principes audirent eum miracula facere, cogitabant esse aliquem pauperem prophetam obsessum a diabolo. Offendebat enim eos quod se opponeret sacerdotibus, objurgaret principes, damnaret cultum populi Dei. Ideo certi erant eum non esse ex Deo, sed blasphemum et seditiosum, certo ergo persuasi erant eum non esse Messiam.

Ideo dicit propheta hunc doctorem sessurum in sublimi, regem aeterni regni, autorem vitae et mortis. Sed quia regnum suum administrat in hac servili specie, quae nihil est ad regnum corporale, ideo multi turbabuntur et offendentur et distorto ac deformato vultu, obliquis oculis eum intuebuntur, id est, tristabuntur, offendentur, deformabunt vultum adversus istam doctrinam et intelligentiam, quae nihil minus promittit quam regnum, pompam, potentiam et gloriam carnalem. Hactenus de Judaeis.

Multi, inquit, qui vident eum agentem, miracula edentem, patientem, dicent, Hic non est Rex, quia somniant Messiam futurum terrenum regem. Sed quare sic vultuantur, id est, offenduntur? Quare adeo despectus est? Quia, inquit propheta, sic inglorius erit inter viros aspectus ejus. Non enim, qui futuri sunt reges in mundo, sic adparere solent, non abjiciunt pecuniam, multo minus vivunt in miseria, ut Christus, qui non solum contemptus est, sed etiam suos ad eundem contemptum mundi invitat. Darüber wird eine scheußliche desolatio, vultuatio werden, ita ut multi offendantur. Ideo ait propheta, deformis, corruptus aspectus ejus, et forma ejus prae caeteris viris.

Porro autem propheta non loquitur de personali forma Christi, quia fuit integer, sanissimi corporis, mundissimae carnis, sine peccato conceptus, ex illibata virgine natus est. Item Lucae 2, Crevit sapientia et gratia apud Deum et homines, sed loquitur propheta de forma politica et regia gubernatoris, qui debet fieri rex terrarum. Haec tam absurda et offensiva sunt, ut nihil supra, Darumb werden sich viel daran stoßen.

Est itaque Christi regnum tale, qualis ipse rex est, non incedit in specie regis, ibi nulla majestas, pompa aut potentia regis apparet, ut in aliis videtur, sed ut vilissimus servus servorum incedit, quo non sit homo in orbe terrarum despectior visus.

Num hoc est exaltari, intelligere, prospere procedere, Psal. 45? Sed ut scriptura dicit, Ex ore infantium et lactentium fundat regnum suum etc. et Psal. 8, Minuisti eum paulò minus ab angelis, id est, derelictus est a Deo prae omnibus,

ut testatur ista vox in cruce, Deus meus, quare me dereliquisti?

Tantum abest a sua gloria et regno, ut etiam a Deo derelictus sit, non tantum ab hominibus, quis igitur hunc putabit regem esse? et tamen sublimis erit valde, ut idem psalmus testatur, Constituisti eum super opera manuum tuarum, gloria et honore coronasti eum, sed per intelligentiam et fidem verbi.

Loquitur igitur propheta de scandalo, cum dicit, Vultuabuntur super te multi et offendentur, quia aspectus tuus deformis non congruit cum regno, immo nihil magis alienum est a regno, quam iste aspectus distortus tuus.

Sed sicut isti multi offensi et desolati impegerunt, lapsi sunt, et non pervenerunt ad regnum, quibus tamen, ut filiis, promissum erat, tamen ista forma servus ille Dei et specie corrupta morte sua asperget gentes multas, id est, loco Judaeorum, qui offendentur formis crucis Christi, non unus populus, sed multae gentes aspergentur juxta illud, In propria venit, et sui eum non receperunt, item Act. 13, Vos judicatis vos indignos vita aeterna. Ecce convertimur ad gentes.

Amittit priorem partem de Judaeis, loco istorum acquirit non unam, sed plurimas gentes per totum orbem terrarum dispersas. Si vos non vultis, cum gaudio amplectentur hunc regem gentes.

Sic completur mirabili judicio Dei hoc verbum Christi, Ego in judicium veni, ut videntes caeci fiant et caeci videant. Judaei habent lucem, audiunt, vident Christum, sed quia offenduntur misera ejus specie, excaecantur. Gentiles excaecati sunt, illi

verbum Dei amplectentes illuminati sunt et receperunt Christum.

Idem scribitur Esa. 6, Vade, excaeca cor populi hujus. Quantumvis ergo Judaei offendantur specie deformi et scandalosa Christi, hac tamen ipse specie per verbum ac per os infantium faciet, constituet, stabiliet atque fundabit regnum suum et exaltabitur et erit sublimissimus per totum orbem terrarum.

Sic Paulus 1. Cor. 1, Praedicamus Christum Judaeis scandalum, et, ut ait Esaias, שֹׁמֵם *) desolatum, quem nec audire, nec videre volunt, gentibus stultitiam, vobis Dei virtutem et sapientiam.

Judaei scandalisati aversabantur Christum, ex videntibus caeci, surdi et stupidi facti, licet viderunt et audiverunt praesentem. Ita Judaei, qui hodie sunt; tamen ad eundem modum, quo scandalizantur multi Judaei, multas gentes adsperget.

Hebraismus est in vocabulo adspergendi, cujus frequens usus est in lege Mosis, a ritu expiationum et sacrificiorum sumtus, ut est aspersio sanguinis, aquae, item super caput aspersio pulveris in luctu.

In lege et Leviticis ritibus duplex usus erat aspersionis, scilicet sanguinis et aquae lustralis, quam nos vocamus benedictam. Sacerdos enim ingrediebatur templum, tollebat de sanguine, spargebat coram tabernaculo. Sic Moses intincta purpura aspergebat et librum, Exod. 24. Item mentio fit sanguinis hircorum et taurorum saepe in lege. Haec est legalis aspersio, quam usurpabant sacerdotes ante sanctificationem corporalem, postea, qui mundati erant, aspergebantur etiam sanguine. Usus

*) In ed. 1550: Schamam.

ergo hujus aspersionis fuit ad mortificationem et mundationem et remissionem peccatorum corporalem.

Hoc verbo Propheta hic utitur et transfert ad veram aspersionem Christi, sicut Petrus in sua epistola interpretatur. 1. Petr. 1, Gentes per orbem dispersae vocatae sunt ad obedientiam et aspersionem sanguinis Jesu Christi, et Hebr. 12, Accessistis ad montem Sion, et ad aspersionem sanguinis Jesu Christi melius loquentis quam Abel, quia sanguis Abel clamat vindictam, sed Jesu Christi super nos aspersus remissionem peccatornm et vitam aeternam.

Ista aspersio fit ministerio verbi, tingitur digitus sanguine Christi et spargitur ore super gentes per totum orbem terrarum dispersas, hoc modo, crede in Christum crucifixum et resuscitatum a morte propter peccatum et justitiam tuam, et remittuntur tibi peccata tua, ut 1. Joh. 1: Sanguis Jesu Christi purgat nos ab omnibus peccatis: Sic spiritus per os infantium aspergit gentes; et qui asperguntur sunt sancti per remissionem peccatorum, et peccatum ipsorum incipit purgari hoc sanguine, quo aspersi sunt, id est, hoc verbo de ejus sanguine super nos projecto, ut audiamus et credamus, atque ita mundemur, hoc est meritum Christi.

Nam os infantium non facit haec magnalia, fundans regnum vitae, justitiae, destruens peccatum et mortem, sed virtus Christi, qui ea impetravit suo sanguine, qui non est leve pretium pro peccatis nostris effusus et per spiritum sanctum super nos sparsus verbo.

Hoc modo, quo Judaei שְׁמֵמוּ*) obstupescunt, vultuose abhorrent, sperren sich, rünzeln Nasen und Stirn ad praesentem Christum, qui apparet in scandalosa forma, moritur, crucifigitur, et nullus decor in illo apparet, efficiet, ut aspergantur gentes multae, quae admittent hanc aspersionem, et cum gaudio accipient verbum, quod nunquam audierunt, juxta illud Esa. 65, Quaesiverunt me, qui ante non interrogarunt, et 53, Quibus non narratum est de eo, viderunt. So ist der Jüden Mäulen wol gerochen und besser angewandt.

Ita enim translatum regnum Christi ad gentes, quae veniunt sine sua dignitate, meritis et justitia legis, ad hanc aspersionem, qua salvantur.

Immo quod plus est, sic asperget gentes multas, ut etiam reges se Christo subjiciant, quasi dicat, tam sublime et exaltatum erit ejus regnum, et hac aspersione sic proeedet, ut etiam capita gentium, sublimitas mundi, et ut David ait, excelsum prae regibus terrae, et regna aliqua mundi os claudent, et de suis viribus aut potentia nihil gloriabuntur, dicentes, Non gloriamur in nostris regnis, justitia, sapientia aut potentia, cum sumus pulvis et cinis, Christus vero est rex exaltatus super omnia.

Quid fecit tibi rex? quibus armis te subjecit sibi? Ubi est ejus armatura, exercitus, potentia? Verbum, quod per os infantium aspergit, ita, ut ultro sese subjiciant ei, quem Judaei, quibus promissus erat, noluerunt regnare super se, et dicunt, Domine Jesu Christe, miserere nostri, ego non sum rex, immo nihil sum respectu tui.

---

*) In edit. 1550: Schamemu.

Judaei volunt subjicere sibi reges terrae, econtra reges amplectentes verbum Christi dicunt, Non gloriamur de corona et potentia nostra, sed in tuo dominio gloriamur, quod tu solus potens, sanctus et altissimus es. Sic Christus exaltatur sine gloria mundana, sine gladio ac armis, tantum intelligentia et aspersione sanguinis, ut reges os claudant, se suaque omnia subjiciant et collocent ad scabellum pedum Christi.

Quoniam, quibus non narratum est de eo, viderunt, et qui non audierunt, contemplati sunt.

Sic fit, illi qui audierunt (Judaei) aversantur eum. Sed oportet hunc regem et servum intelligentem exaltari. Die Jüden mäulen und runzeln sich gegen ihm, noch muß er hoch werden, quia est servus intelligens. Si vos Judaei non vultis eum complecti, quibus haec gratia praedicta, promissa et exhibita est, efficiam, ut illi, quibus non est promissa, qui non habuerunt verbum, patriarchas, prophetas, sed erant surdi, caeci et sine verbo, habeant, audiant, et videant eum summo cordis gaudio, et dicant, Nos libenter volumus esse vilissimi, tantum ut simus populus Dei, participes hujus regis et servi intelligentis.

Ita quibus non est narratum, qui nullam spem habuerunt de illo rege aut intelligentia et sublimitate, ejus verbum amplectuntur.

Contra Judaei somniant regnum Messiae futurum corporale, gentes vero audiunt intelligentem servum hunc, et obediunt ei. Hinc Paulus Act. 13

inquit, Convertimur ad gentes, cum rejicitis verbum salutis.

Hoc de principio hujus capitis, Gentes intelligent, animadvertent, non dicent שׁמׄמר *), sed admirabuntur. Judaei habuerunt prophetias ab initio mundi, quibus Christus eis promittebatur, habuerunt prophetas, apostolos, testimonia patriarcharum, tamen ea omnia eis nihil profuerunt, nihilominus oportet exaltari hunc regem apud gentes, quae cum gaudio suscipient eum, laudabunt, et gratias agent, videbunt, quae non viderunt, audient, quae non audierunt, et dicent, Quis unquam credidisset Judaeos habuisse tot testimonia patriarcharum, prophetarum, promissionum, et tamen hunc regem noluerunt.

Gentes econtra animadvertent, nehmen ihn mit Freuden und von Herzen an.

Ita clare praedictum est, quod Christus propter scandalum crucis auferetur cum regno suo a Judaeis, et dabitur gentibus, quae nihil audierunt de promissionibus et Christo. Sic et Christus Matth. 21, Auferetur regnum a vobis, et dabitur genti facienti fructus ejus.

Quis credit auditui nostro, et brachium Domini cui revelabitur?

Propheta proprie loquitur de incredulitate et obstinacia Judaica; quod Messiam suum amplecti noluerunt, sicut inquit scriptura, In propria venit, et sui eum non receperunt etc. Quis credet, inquit, auditui nostro, id est, sermoni, annunciationi, seu evangelizationi nostrae. Nam evangelium est rumor seu fama, quae auribus percipitur.

*) In edit. 1550: Schamemu.

Quando ista audificatio veniet, quod Christus vilissima persona tota vita nihil dignum gessit. O quanta erit offensio, quam non credetur, et tamen ait, Elevabitur et excelsus erit, hoc est, audietur, licet ejus potentia et gloria non videbitur.

Porro autem, quamvis Judaei negare non possunt, quin loquatur de Christo, tamen recentiores varie ludunt, et in varias et absurdas opiniones evanescunt, alii aliud comminiscuntur, plurimi de ipso populo seu servo Domini collective intelligunt. Sed necesse est prophetam loqui de una persona, ut clare videbimus, quaedam possunt depravari, sed non omnia.

Revelatum est brachium per prophetas. Et hic est unus locus et phrasis scripturae communis, sic vocari passim filium Dei brachium Domini. Brachium Domini dominabitur, hoc non potest collective intelligi de populo Israel; hic certe non est brachium Domini. Sed, inquiunt, non loquimur de Messia, sed de Mose, Quis gentium credit legi nostrae, et brachium, quo educti sumus ex Aegypto, cui revelatum est? Sed videmus prophetam loqui de persona, quae est spreta, contempta ac abjecta et tamen asperget populos, et quidem eos, quibus non est narratum. Es gehet alles in una consequentia et cohaerentia. Et hinc attexit hoc ipsum, Quis eorum credet? qui audient illud audibile brachium Domini, quod praedicatur et revelatur.

Quantumvis enim sit revelatum et praedicatum, tamen non credent, ut sol in oculos caeci impingens, ut ille sentiat etiam calorem, et omnibus lucens, tamen in caecum incurrit velut in parietem, quem tamen non transit, hoc est, quod Paulus dicit

2. Corinth. 3, Excaecat Deus seculi hujus corda etc., ut et Esai. 6. Excaeca cor populi hujus, ut videntes non videant.

Idem hodie Papistis usu venit, etiamsi lux evangelii et veritas verbi Dei tam clare jam proponatur, ut omnes mulieres et pueri intelligant, tamen illi in tenebris, excaecationibus, et scandalis prorsus suffocati sunt. Hoc scriptura vocat indurari, excaecari, ut non videant fulgorem lucis evangelii.

Ministerio quidem satis revelatur et declaratur, sed per incredulitatem non curatur hoc brachium. Ille servus Dei, quem hic Esaias appellat, Servus meus erit, est brachium Domini. Haec duo conjunge, Brachium Domini est servus Domini, ista enim non intrant in corda Judaeorum, qui satis superbe contra nos gloriantur, Vos Christiani, inquiunt, dicitis vestrum Messiam esse verum Deum, Esaias autem vocat eum servum, qualis est iste Messias? Immo asseveratis verum Deum, creatorem coeli et terrae esse servum Dei maledictum a Deo, plagis affectum, percussum a Domino, crucifixum etc. Si Deus est, non potest esse servus, si est servus, Deus esse non potest, praesertim tam despectus et vilis usque ad ima tartara. Hic creavit angelos et omnia, Num is poterit mori, descendere ad inferos, ut vos docetis et creditis*)?

Quam inflexibiles et incorrigibiles sunt in hoc loco Judaei, putant se certissimam habere veritatem, sed mandatum habemus, Scrutamini scripturas, qua ipsae testantur de me. Joann. 5.

Utrumque verum est, verus Deus, brachium

*) Editio Wittemb. hic interserit inscriptionem, De duabus naturis in Christo.

Domini, et tamen servus miserrimus. Quia Messias est ex semine Davidis, Jacob, Abraham. Non potest autem esse proles aut semen Davidis, nisi de semine et carne natus. Sic certe scriptum est, eum esse semen Davidis, Abraham, Rom. 1. Matth. 1. Qui natus est ex semine David secundum carnem, sed tamen definitus Dei filius per spiritum sanctum, semen Davidis, sed tamen Dei filius.

Davidis quidem in infirmitate et humilitate carnis, Dei vero in virtute, sic declaratur per spiritum sanctum post resurrectionem suam. Ille crucifixus filius Davidis, et miserum semen est brachium Domini, de quo praedixit hactenus propheta, eum futurum esse despectissimum.

Hoc praedixerunt omnes prophetae clarissimis verbis, sed defuit, qui explicaret, quod per spiritum sanctum oportuit fieri et dici. Haec paucissimi intellexerunt in veteri testamento, quasi in occulto, postea copiosissime declaratur effusione spiritus sancti in die pentecostes, cum loquebantur variis linguis piscatores magnalia Dei etc.

Mira igitur locutio est, brachium Domini et servus, id est, filius Dei Messias est sublimis, exaltatus non tantum in cruce a terra, sed sedet ad dexteram Dei, aeterni patris, sic ut sit ipsum Brachium Domini et dextera Dei, per quam Deus omnia fecit, ac facit potenter, eduxit filios Israel ex Aegypto, cibavit manna in deserto 40 annis Israelitas.

Haec est sapientia Christianorum, qui habent spiritum sanctum, ut illud incredibile credant, scilicet quod idem sit miserrimus filius David, et gloriosus rex Deus in excelsis, quod Messias pendens

moriens in cruce subjicitur omnibus daemonibus, ımo quod est extremae dejectionis, inter omnia pecıta mundi nullum est, quod non factum est suum, ıod in se non derivat, sustentat et portat, et taen ille portans omnia peccata est verum brachium omini ac Deus gloriosus et benedictus in secula.

Quomodo ista Judaei intelligerent? offenduntur conjunctione naturarum, est audibile, quod fide ꞉cipitur, impossibile est creditu rationi humanae. uomodo enim potest esse servus, et ut canitur, igas substantiae geminae in una persona duarum ıturarum?

Haec diligenter inculcanda et credenda sunt, ım aperitur scriptura, alias enim nemo cogitet unuam, quod possit intrare in penetralia et secreta ꞉ripturae, excluso illo brachio Domini incarnato eo.

Constituto autem, quod Dei filius et Davidis ıt unus, non duo filii, tota scriptura patet, quia de no tantum loquitur. Ergo quatenus est naturalis lius Davidis secundum naturam hanc assumptam, ocatur tota persona servus, non sunt distrahendae ersonae, ut Nestorius hoc modo tumultuatur. Juaei, inquit, non crucifixerunt filium Dei, sed Mariae? ic voluerunt honorare et glorificare gloriosam perɔnam filii Dei, ne subjicerent eam cruci et pasoni.

Verum ibi duae personae constituuntur, quod ɜt impium et haereticum. Non enim dividenda et istrahenda est persona filii Dei, et Davidis. Sed ɜbemus credere et confiteri, quod illae duae naturae ınt unus, filius, quia sunt jam unitae unione hyɔstatica quandoquidem recte definitum est in con-

cilio Chalcedonensi, ut vocetur Maria Θεοτόκος, id est, mater pariens Deum, non mater filii Davidis, excludendo Deum, sed Deipara Θεοτόκος.

Objiciunt autem Judaei, quomodo potest nasci ex Deo? Respondeo, Angelus praedixit, et ita factum est, ergo Judaei non crucifixerunt filium Davidis, sed crucifigendo filium Mariae, etiam filium Dei crucifixerunt.

Est ergo vere unus filius, quia est una persona, ut angelus Luc. 1. dicit: Quod nascitur ex te (muliere scilicet virgine) filius altissimi vocabitur. Tuus quidem filius erit, nascetur enim ex te, concipies et paries eum tuo utero, sed iste filius tuus, sive hoc ipsum, quod ex te natum est, vocabitur filius Altissimi.

Sic 1. Corinth. 2, Si cognovissent Dominum gloriae, non crucifixissent. Paulus clare ait, non filium Mariae aut Davidis crucifixum tantum, sed Dominum gloriae, id est, Dominum gloriosum, et ad Ebraeos 6, crucifigentes Filium Dei.

Ergo caveamus Nestoriana et Swenckfeldiana deliria, quae personam distrahunt et faciunt duos filios, et teneamus firmiter, non esse duos filios, sed unum filium. Eundem filium, quem mater filium vocat, hunc Deus Pater etiam secundum suam substantiam vocat filium suum, estque Maria mater filii *). Rejiciendus igitur et explodendus est error Nestorii et aliorum **).

Porro autem Patres hoc communicationem idio-

---

*) In edit. Wittemb. hic additur: Dei. **) In edit. Wittemb. hic interseritur inscriptio: De communicatione idiomatum.

matum appellarunt, quod communicet suas proprietates utraque natura illi personae, quae est filius Dei.

Humana communicat illi personae, quae est filius Dei, et divina natura ei, quae est filius Mariae; quod accidit huic, qui est filius Dei, dicitur accidisse filio virginis et econtra ut Jesus Nazarenus est filius virginis et simul Dei in unitate personae, id est, una unione duarum naturarum, ut recte dicatur, Hic homo condidit stellas, Deus vagit in cunis, et homo creator et gubernator angelorum, qui sugit ubera matris, qui creavit omnia, jacet in praesepio.

Sic spiritus sanctus servavit ecclesiam in hoc articulo, qui quidem praecipuus est in nostra religione, ut Psal. 8. pulcherrime dicitur, Quid est homo et filius hominis, quod visitas illum? Ibi audis matrem virginem, filium Davidis, item passionem, crucem. Minuisti eum paulisper, id est, fuit derelictus a Deo, non divisione naturarum, quod divina natura deseruerit, humanam, sed perpetuo cum ea mansit, sed in passione auxilio et potentia divina destitutus, et tamen sequitur, Gloria et honore coronasti eum, constituisti eum super omnia, subjecisti ei omnia sub pedibus, quasi dicat, Quis audivit talia?

Et tamen Esaias dicit, Quis credidit auditui nostro? ¡O quam admirabile est nomen tuum, Jesu Christe? Nihil potest unquam cogitari mirabilius, quam quod ita desertus a Deo et tamen constitutus sit rex super omnia.

Quomodo autem constitui dicitur. Propter humanum naturam, quae in eadem persona est cum

divina. Quidquid de humana dicitur, id etiam de divina dicitur. Nam humana non fuit constituta super omnia ab aeterno, nunc autem constituta est super omnia propter divinam et cum divina, quae est ab aeterno super omnia constituta. Ita Juvencus poëta canit:

Salve, sancta Parens, enixa puerum puta*) regem,
Qui coelum terramque regit.

Est res incredibilis plane, quae solo verbo proponitur, alioqui nemo intelligit, nec credit nisi et spiritu sancto in corde fide hujus verbi accendatur. Ratio enim non cogitat aliud nisi quod Nestorius, Arius, Macedonius et Judaei imaginati sunt.

Habemus ergo Messiam omnium despectissimum et miserrimum, ut nemo unquam tam profunde, tam viliter sit humiliatus, jactatus et tractatus. Est enim servus diaboli, inferorum, omnium peccatorum, mundi, cogitur eos omnes pati persecutores, crucifixores, occisores, perditores. Nos quantillas injurias aut incommodum quam difficulter patimur, aegre ferimus nos a parentibus argui? At hic severe passus est omnia mala culparum et poenarum, quae non potuit ferre in persona sua et propter personam suam, propter nos tulit calamitates alienas in corpore suo, ut aboleret mortem, peccatum, conscientiae accusationem et omnes calamitates nostras, ut corpore et anima liberati a peccato et morte immunes essemus, et vireremus novi homines et justi sancti in aeternum.

Hoc non potest capere Judaeus, immo nullum cor humanum assequitur, ita ut ad hoc obstupes-

*) In ed. Wittemb.: puerpera.

cat caro, ut plane redigatur in saxum, rigeat et indurescat, ut citius liquefieri possit adamas, si cogitetur ac vere subeat animum, filium Dei gloriosum, creatorem omnium rerum, passum, sic dejici et humiliari, ut nullum sit peccatum, nullum scelus, nullus tam perditus peccator, cui non serviat filius Dei in proprio corpore. Ista, inquit Esaias, quis credet? revelabitur brachium Domini, sed exspectemus Spiritum sanctum, qui haec enarret, declaret ac illustret, is dabit virtutem et erit efficax, ut credamus.

Ista declaratio per Dei misericordiam ad nos pervenit, in papatu manserunt quidem verba ipsa, sed doctrinam et usum hujus articuli amisimus prorsus, adoravimus papam et mortuos sanctos, contenti regulis et operibus nostris. Vos jam ignoratis, quis status fuerit papatus, hi autem sciunt, qui passi sunt tyrannidem ejus, ut ego.

Est ergo summus rex et servus infimus, Deus verus et homo abjectissimus in una et eadem persona, ut vere dicatur, istius Dei fuit nulla species, nulla forma, erat deformior ejus species quam omnium hominum.

Quis? an Deus? certe Deus nunquam est deformis, sed gloriosissimus, solus est pulchritudo, decor, forma, gloria inenarrabilis, quomodo ergo potest esse verum?

Scias uniri has duas naturas in unam personam, ut sit unus Christus et non duo. Ipsa communio unit istas duas naturas in unam personam, et duo unum filium, non duos.

Munsterus Judaeum citat, qui hunc locum Esaiae cavillatur. Si est deformis sua specie Messias, quare dicitur alias in Psal. 45: Speciosus forma prae

filiis hominum gratia in labiis ejus, id est, eloquentissimus, gratiosus verbis. Quare hic dicitis contra, deformissimus, non gratiosus verbis, sed contemptus? ut nemo audire eum velit a versis oculis et auribus? Verum est quidem, quod ista non congruunt Judaeis, porcis istis in scripturam irruentibus, immo nulli sapientiae rationis.

Judaeus caecus ista duo nunquam concordat, summus Deus et infimus homo, sed Christiano sic congruunt, sunt duae naturae in Christo, divina et humana, in eadem persona, secundum divinam naturam est gloria Patris aeterna, ad tempus autem fuit miserrimus, deformissimus, post vero exaltatus, sublimis, gloriosissimus, et propter hanc divinam naturam, et secundum humanam exaltatus est super omnia ad dexteram patris, quia oportet hanc humanam naturam comitari divinam, seu potius uniri cum ea ut in una persona, et non potest distrahi.

Sic per ministerium factus est servus et peccator personaliter et non naturaliter, sed quia servus est factus omnium peccatorum, ideo dicitur peccator, atque equidem vocat se peccatorem in Psalmis, Miserere mei, qui peccavi tibi, comprehenderunt me iniquitates meae. Opprobria exprobrantium ceciderunt in me.

Omnia peccata mundi vocat sua; unde veniunt in te? Qui conceptus ex spiritu sancto, natus ex Maria virgine sine peccato, in quo est plenitudo gratiae. Quomodo ergo obruunt te iniquitates tuae, o Christe? Audi Esaiam Capitel 43: Servire me fecisti in peccatis tuis.

Haec sunt verba filii Dei in Esaia, non accendisti mihi thus, non dedisti victimas, quia his rebus

non servitur mihi, non indigeo thure, sicut etiam inquit Psal. 50, Numquid sanguinem hircorum potabo, sacrificium et hostiam pro peccatis noluisti, aures perforasti mihi etc., Psal. 40, Non tu mihi, sed ego tibi servivi. Quomodo? In peccatis tuis, nihil ex te habeo, tu mihi praebuisti laborem crucis, mortis, humilitatis. In qua re? in iniquitatibus tuis. Ich habe müssen Blut schwitzen, ut in passione fluit ex latere et vulneribus manuum et pedum, et per totum corpus in agone, in horto, et hoc fecisti per peccatum tuum, non potuisti liberari et mihi servire, nisi sanguine et victima mea redemptus inenarrabili amore. Ideo propter te servus factus sum peccatorum.

Quid ergo fecit Moses, cum jubet sacrificia Domino Deo tuo offerri? Haec docet haud dubie Christus a resurrectione sua duos discipulos euntes Emmauntem in die Paschae, et quadraginta diebus aliis discipulis omnibus exposuit, et quidem copiose, sed non ita intelligatur, legem esse datam, quod Deo per eam servistis, sed Deus legem et illas ceremonias Leviticas ideo dedit, ut servaretur ministerium verbi, ut esset exercitium, quo retineremini in disciplina et possetis verbum Dei discere, et ut esset certus populus, qui haberet promissionem Dei, et custos ac testis ejus esset usque ad Christum; tibi disciplinae exercitium addendum erat, non placastis per eam disciplinam Patrem.

Esaias optime intellexit, Quo mihi multitudo victimarum? Cap. 1. Sed tamen praecepisti ea per Mosen, inspice finalem causam, non lata lex est, ut per eam justificaremini, sed ut manerent promissiones in populo certo, qui exspectaret Messiam

et maneret in officio et disciplina non dispersus, sed in una fide et exspectatione adventus Christi. Cum peccatis tuis praebuisti mihi laborem, ideo non disputes, quomodo possit servus esse is, qui est filius Dei. Tuum peccatum causa est, non enim tu ipsi, sed ipse tibi et propter te servit. Non tu eum placare potuisti lege aut tuis operibus. Ideo sis gratus, et nunc redemptus servias ei.

Sic igitur Christus verus est Deus et servus, atque equidem vilissimus omnium peccatorum. Quomodo autem servus? secundum humanitatem. Nunc autem, quia divina et humana natura copulatae sunt in unam personam, et Christus revera est Deus et homo, ideo dicitur etiam filius Dei servus noster. Ergo recte et divinitus opinor factum in Grammatica, ut quaedam vocabula dicantur concreta, quaedam abstracta, ubi infinita sunt involucra disputationum de concretis et abstractis, et credo ea nunquam terminari posse, etiam in philosophia et creatis, an sit aliquid abstractum, ut, cum albedinem dico, revera nullum album vel subiectum dico, sed albedo separat subjectum, quod postea conjungit et connectit album ex subjecto et separato vel abstracto.

Sic recte dico, Divinitas non patitur, humanitas non creat. Hic loquor de abstracto et de separata divinitate. Sed non hoc faciendum est, non separanda abstracta sunt, alioqui fides nostra falsa est. Sed credendum est in concreto, ille Homo est Deus etc. Hic propria et attributa recte manent.

Humanitas non creat, scilicet in humanitate separata vel seorsim posita, si de ea sola loquimur. Sic econtra divinitas non moritur. Ideo hoc loco de abstracto tacendum est prorsus, quia fides

docet hic nullam esse abstractionem, sed concretionem, conjunctionem et copulationem utriusque naturae.

Quapropter de hac re loquendum est ut de concreto. Filius Dei conservat omnia, filius Virginis conservat coelum et terram. Filius Dei moritur, patitur, filius virginis moritur, patitur. Sic loquitur scriptura, quod diligenter observemus, ut hoc loco servus dicitur exaltari etc.

Nam natura seorsim sumta est serva. Sed eadem est conjuncta cum divina, ergo eadem persona vocatur filius, et aequalis Deo in humana natura, non per se vel seorsim, sed in illa concretione, de qua dicuntur omnia. Quae possunt dici de divina natura, dicuntur in concreto et de altera, scilicet unita in eandem personam.

Haec sunt ipsius scripturae, non nostra, quia vocatur brachium Domini filius Dei, sed quia est unitus cum natura humana, recte dicitur ascendere, mori, pati etc. propter illam unionem. Haec ubique diligenter considerentur in prophetis, ubi simpliciter de Christo loquitur scriptura, ut de homine, tribuens ei omnia humana, humanas passiones, et quaecunque possunt de ea natura dici, etiam de peccato (sed non personaliter, quia in hanc non cadit peccatum) non secundum abstractionem, sed concretionem.

Stulte igitur et ridicule Nestorius quaerit, Quomodo Deus potest nasci? concedit sane, Christum esse filium Dei claris verbis dicens; Deus non est Bitris, id est, bis natus, non habet duas majestates, sed semel natus. Nos vero dicimus Christum natum de virgine, sed Deus non potest nasci? Sic

Diaconus ejus clamabat coram populo, Non tu judex crucifixisti filium Dei, quia non potuit crucifigi.

Populus novo sermone est attonitus, cum hactenus audivisset suos episcopos ex scriptura docentes, 1 Corinth. 2, Nunquam Dominum gloriae crucifixissent. Hunc Diaconum sequitur Nestorius. Sed contra hunc synodus Chalcedonensis pie, ut supra dixi, decrevit vere dici virginem θεοτόκον, ut etiam in superioribus scriptoribus legebatur, quia peperit non separatum hominem, quasi seorsim ipsa haberet filium, et seorsim Deus suum filium. Sed eundem, quem ab aeterno Deus genuit, peperit ipsa in tempore. Habet ergo duas nativitates, et est Bitris, seorsim habens suam ex Patre, et suam ex matre et tamen est idem filius.

Ergo virgo non tantum est mater Christi, ut concedit Nestorius, hoc verbo ornans suum venenum, sed filii Dei, qui idem passus, crucifixus, mortuus est. Sicut dicit angelus, Quod ex te nascetur, vocabitur filius Dei.

Haec dico ad confirmandam fidem nostram contra satanae praestigias; Nestorius facit duas personas, duos filios, alterum natum ex virgine, alterum natum ex Deo, cum dicit, Non crucifixisti filium Dei, sed filium virginis. Haec non possumus pati, sed docemus concretionem et unionem in eandem personam et filiationem, qui quidem sit virginis et patris filius*).

Quidquid ergo de filio Dei dicitur, idem dicitur de homine, vel humana natura in concreto. Ita hic

*) In ed. Wittemb.: Dei patris filius.

propheta conjungit utrumque, est brachium Dei, et filius Dei, et tamen ait, ascendit, quod est proprium naturae humanae, et nihilominus idem etiam divinae tribuitur, propter concretionem, quia est unum brachium, non duo, et eadem persona.

Ascendet ut virgultum etc.

Patres parum nos adjuvant, Lyra exponit de beata virgine non humectata aut foecundata semine virili. Res vera est et certa, sed non in loco dicitur. Non enim videtur propheta hic loqui de nativitate Christi secundum carnem, hoc vocatur proprie nasci. Manebimus ergo in hac enarratione, sicut coepimus, quod Christus, etsi esset in forma Dei exaltatus, tamen non ostendit se esse talem dominum, qualis erat, crescebat et ascendebat ut alius homo, et tamen erat rex regum, Christus gloriae et majestatis, de quo tota scriptura dicit, constitutum esse dominum omnium, Psal. 8: Omnia subjecisti sub pedibus ejus; immo etiam dominus angelorum, Ephe. 1, quia clare dicit, Constituisti eum super omnia opera manuum tuarum. Also soll ers auch heißen secundum naturam humanam, sed tantum secundum concretionem, ut etiam angeli omnes adorent, flectant genua illi filio virginis, sugenti ubera, et dicant, Tu es creator et dominus. Ideo puto satanam ipsum in principio Alcorani sese prodidisse et manifestasse, cum scribit initio libri, Ideo diabolos protrusos esse in infernum, quia noluerint adorare Adam. Hae vere sunt voces per Mahomet significantis se fuisse in coelo, vidisse in verbo Dei, et speculo divinitatis, fore, ut aliquando incarnaretur filius Dei, postea illius recordatum coepisse

persequi hominem statim conditum, quia videbat hanc naturam aliquando adorandam. Hoc detrectabat facere, nimia inflatus superbia, vidit alios angelos libenter adoraturos, etiamsi quam inferiorem naturam induisset filius Dei. Sed ipse prae nimia superbia non voluit sic humiliari, videtur id ei nimis absurdum. Ego recte dicitur, Naturam humanam adorari non in abstracto, sed in concreto, quia est una persona, ut non possis adorare Deum quin adores hominem. Hoc est quod dicit, Ascendit illud brachium secundum naturam humanam.

Hoc ascendere dicit propter assumptam naturam, non tamen quod sic ascendat, sicut nostri reges et principum filii. Quam tenere habentur illi? quantus est succus, quo aluntur? et ascendunt tanquam arbuscula, educuntur splendide cum summa spe orbis. Sed hic rex ascendit in summa humilitate, nihil humoris et pastus habet, nulla fomenta, quae alant hanc arborem, infinita, quae debet esse dominus coeli et terrae, puer est miser, et alitur maternis uberibus, parentes ejus aegre tantum acquirunt manibus, ut pascant corpus hujus pueri, postea adultus, est miserrimus; contribuunt mulieres ut alatur, esurit, sitit etc. Num hoc est ascendere, vel educari ad regnum? Sic non oportet educari futurum regem, sed paulatim assuefieri ad geniculationem servorum et populi etc. Sed ille servus gloriosus et excelsus quomodo ascendit vel surgit? ut radix plane arida et mortua, ubi aret et sitit terra, ubi nihil provenire, nihil crescere potest, ut surculus non crescit sine rigatione et humectatione tantum in siccitate et ariditate. Et terra

ציה *) vocatur proprie talis. Ut Psalm. 107. ponit terram in salsuginem, terram Ziah in exitus aquarum, inaquosa, arida, ubi nihil potest crescere, ut in sterilibus, arenosis et desertis vel petrosis, ubi nihil nascitur, quia humor deest, ut dicitur in evangelio de semine etc. Sic nascetur ille, et surget in loco non humido vel terra sperabili, da es doch ein Schein hätte, ut regum filii, qui mox purpurati et torquati incedunt, stipati, et audientes gloriosas voces, habemus regem vel principem summae spei. Sed quid hic enascitur?

Sic ego simpliciter intelligo, loquitur enim nunc de servo exaltando, de rege (non de nativitate personali ex virgine) et tamen nulla apparet forma aut spes regni. Infans recens natus statim appetitur ad necem, exulare cogitur, et fugere te Herodem.

Haec est grammatica, sicut virgultum, יונק **) aequivocum est, eodem modo significat surculum et infantem, et ut Germani multa vocabula ex Ebraeo habent, ita etiam hoc puto nos habere, Junger, Jung, quod etiam de surculo dicimus, ein jung Reiß; LXX interpretes verterunt infantem, quia adeo simile vocabulum est, ut, nisi circumstantia dederit et seorsim ponatur, non possit discerni, nisi quod hic metaphora est ex infante, et non est adjectivum, ut Germanis Jung est, sed substantivum significans utrumque, ut nobis Nagel aequivoce significat unguem et clavum, sicut et Ebraico more eodem modo et lactentem seu parvulum et racemum, ein jungen Reben. Diligenter autem cavit Esaias, ut intelligatur de sarculo, quia addit, radix de terra sitiente.

*) In edit. 1550: Ziah. **) In edit. 1550: Jonec.

Vidimus eum etc.

Non sum Ebraeus. Hoc est, quod dixit, surculus sine gleba et humore arescit, moritur, ita ille est, tanquam non habens humorem sine specie et spe, simpliciter in hoc omnia sunt desperata. Invenitur hic rex in praesepio vili, exulans in Aegypto, contemptus a suis, sicut in Joanne dicitur, Quid auditis eum? insanit; item, daemonium habet, Samaritanus est; item, homo peccator, amicus publicanis, post capitur, flagellatur, crucifigitur a suis, hoc vere est sarculum esse sine humore et gleba, haec est, Dei natura. Sic plantat ipse pretiosissimum surculum, suum regem, filium Dei in terra arida; quid inde, quaeso, fiet? quid nisi quod ex sterilissimo solo? Non loquitur autem de forma individuali seu personali, alioqui enim fuit sanissimo corpore, constitutione et vivacissimis sensibus, sed de forma, qua gessit se a principio nativitatis, et in passione comprehensa, qua fuit cruentatus et laceratus, in qua tamen manebat forma corporis, non monstrosa.

Non est species, neque decor.

Non sese gerit ut regem decet, non est ornatus ulla pompa, non versatur inter purpuratos, non cum sacerdotibus, pontificibus etc. Sed cum infima et maledicta (ut ipsi ajunt Johan. 7) faece populi, non fulget gemmis et auro, sed miser est et pauper sine opibus et splendore ullo, est unus ex miserrimis de extrema faece generis humani. An non hoc esset scandalosum illi populo? Est contra legem, Leprosus debet vitari, ut epulo vitat Lazarum, non admittit ad mensam, tanquam reprobum coram deo, quia Moses praecipit non

tantum de leprosis, verum etiam de omni vitiosa pecude, et sacerdotibus interdicit tot vitiis, quae possunt cadere in hominis corpus, ut in pecudis.

Haec omnia sunt immunda et vitanda secundum legem. Ergo hic multipliciter peccat, et scandalum grandescit, in vita et conversatione, non abstinet a leprosis, patitur se tangi ab haemoroissa, a peccatrice. Qualem ergo regem habent? illum, qui non solum est miser et contemptus, sed etiam se polluit sponte omni genere immunditiarum, ut nullus gentilis sit magis pollutus, etiamsi esset summus et speciosissimus sacerdos. Hoc est quod propheta ait, Vere deus absconditus tu es: Quid magis absconditur, quam hoc brachium domini, et hic debet illud ipsum esse, et est homo infirmus et immundus. Haec non solum sunt contra rationem et naturae sensum, sed et contra legem Mosi. Naturae repugnant, quia surculus in arido non crescit, nunc addit etiam transgressionem legis, quod polluitur, non abstinet, nec vitat vitandos, et non servat legem Mosi, solvit sabbatum. Item carnem suam vult manducari; machts zu gar uneß, et tamen talem ait surgere et crescere, etiamsi obrutus sit tam deformi specie.

Vir dolorum et novissimus virorum.

Pergit propheta describere servum illum Domini, qui brachium Domini et filius Dei in virtute, ac ait, quod sit novissimus virorum, vir dolorum et cujus nomen sit abscondens ab eo facies, contemptus, et non reputavimus illum.

Haec omnia adhuc pertinent ad illam formam contrariam regiae formae, qua debuit magnificari

rex ille promissus, rex tantus, tam sublimis, non convenit ei, ut sit novissimus et despectissimus virorum, et talis, a quo averteret omnis homo faciem suam. Et tamen isto modo debet crescere, et regnum accipere, ut credatur in istum hominem despectissimum, miserrimum, immo post etiam crucifixum. Ideo dixit, Quis credidit auditui nostro? Judaei quidem non potuerunt intelligere, quia somniarunt politicum regem fore, et nos Christiani vix apprehendimus.

Vere languores nostros ipse portavit etc.

Matthaeus hoc non intelligit de propria passione, qua effudit sanguinem illo die, quo obtulit se in cruce, sed de tota sua conversatione, quo per totam vitam compassionem habuit propter morbos et languores nostros.

Hic nunc vere de passione agit, qui est vulneratus etiam in morbo. Nolo recedere a Matthaeo qui hoc praecedens intelligit de compassione; scilicet, languores nostros etc.. Quamquam autem illa sit compassio, non vera passio, tamen sine dubio illa compassio fuit magna, si non tota pars passionis Christi, sicut in Psal. 88 dicit: Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea.

Non fuit tristis aut severus homo, saevus aut crudelis, sed in laboribus, angustiis et doloribus saltem cordis toto vitae tempore fuit, saepe flevit, ingemuit, in tota vita exagitatus est acerrimis doloribus. Non dubium est, quin toto tempore vitae fuerit humiliatus, afflictus doloribus, et languoribus nostris vehementer affectus. Nostri dolores, nostrae oppressiones a diabolo ortae fecerunt ei continuam crucem die ac nocte.

Hujus rei multa exstant exempla in evangelio, ut Marci 7: Cum adducitur mutus et surdus, semovit eum a populo seorsim, et suspiciens in coelum ingemuit, dicens, Hephetah, item Marc. 3. Cum ita laboraret misericordia et affectu erga pauperes et adflictos, ut non ederet nec biberet, dicunt: Ipse ad insaniam adigetur, quia viderunt eum attentum in languoribus atque miseriis hominum, adeo, ut nec cibo nec potu delectaretur. Et in coena admonens Judam infremuit, quare? super Judam compassus, condolens ejus perditioni. Ita resuscitans Lazarum, cum accessit ad sepulcrum, infremuit, et lacrimatus est Jesus, inquit evangelista. Non profecto putandum est, quod fuerit aliquis fucus, quod facit et loquitur haec persona. Misericordia afficitur, vel, ut evangelistae loquuntur, σπλαγχνίζεται, compatitur, condolet, affligitur propter nostras miserias et dolores, quia nos videt a diabolo horribiliter oppressos esse.

Affectus misericordiae etiam apud gentes tractatur, is non caret sua vehementia. Est enim misericordiae affectus tam vehemens, quam est irae affectus. Mater per ignem medium currit, videns puerum suum in periculo versari. Sic etiam in sancto et puro homine, scillcet in filio Dei, talis fuit affectus, hoc est, vehementissima misericordia. Dolores ergo et miserias per compassionem tulit, quia duraverunt toto vitae tempore usque in sepulcrum, non amisit eam misericordiam in cruce. Sicut epistola ad Ebraeos 5. inquit, obtulit preces cum lacrimis, cum dixit, Dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt. Ibi fuit maximus gemitus, ad quem coelum et terra contremuerunt.

Sic igitur expono hunc locum secundum Matthaeum de compassione, quamquam etiam de passione intelligi possit, ut inferiora declarant, Portabit iniquitatem tuam. Estque haec phrasis in sacris literis frequens. Judaei depravant hunc textum, qui totum hoc caput exponunt de populo collective, non individue de uno illo homine, salvatore generis humani. Observa autem singulas particulas, et videbis non esse verum et genuinum sensum. Sperant Judaei, quod sint futuri sublimes, exaltati, clari, verum nondum adhuc factum est, nec fiet unquam.

Non enim sunt brachium Domini, item virgultum ascendens in terra sitienti. Sunt quidem abjecti et despecti, sed tamen de ipsis haec intelligi non possunt, quae hoc loco propheta incipit dicere, Languores nostros ipse portavit, item paulo inferius, Peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus; item, Pro transgressoribus oravit, et peccata multorum tulit. Diabolus blasphemavit dominum nostrum Jesum Christum per Judaeos depravantes, sic scriptores etiam inter Christianos. Lyra quendam vocat Andream, qui judaisavit, et Thomas Aquinas, ii istum servum populum exponunt. Sed textus non potest intelligi, nisi de una persona Messiae. Sic translatio Chaldaica et veteres Rabini adstipulantur.

Alii fingunt duos Christos, unum gloriosum, alterum humilatum, dicunt eum, quem hoc loco describit Esaias, intelligendum esse pro humiliato, qui in urbe Roma lateat, et agat poenitentiam. Alii exponunt collective de toto populo Judaeorum, ut nunc est, quasi sit servus contemptus et despectus, sed impudenter mentiuntur. Ipsorum principes,

ges, papae fuerunt sublimes, si non in regio honore, tamen in majore dignitate et honore fuerunt, uam veri Christiani, qui egent ac persecutionem atiuntur.

Quare nihil est, Ipse tulit, scilicet populus Juaicus. Istam humiliationem, inquiunt, non meruerint suis peccatis, quia ipsi sunt populus justus, nctus, a Deo dilectus. Quare ergo patiuntur? int viri dolorum, infirmitatum, abjecti, despecti, ia vivunt inter gentes. Nonne hae sunt virulentae asphemiae et venenatissimi morsus diaboli. Inreram aliquando, cum interrogaretur Judaeus, quare a paterentur? Respondit: Ideo, quia majores nori passi sunt Christum et apostolos ire in templum non statim occiderunt eum, item, quod Judaei ristum et apostolos non satis persecuti sunt.

Item, quod vivimus, inquiunt, inter sceleratos omines, ita polluimur vestris peccatis, qui estis gni inferno et omnibus mortibus. Ita exponunt nc locum Judaei. Lyra alligat Rabbi Salomonem interpretatur hoc modo: Quando Messias exaltarit populum Judaicum, et fecerit sublimem, tunc cent gentiles, ecce quomodo iste sublimatus est? go, quod hactenus ita humiliatus fuit, id fecerunt ccata nostra. Sed haec valent ad confirmationem lei et doctrinae nostrae. Sic enim ipsi in terra naan meruissent hanc captivitatem, siquidem hatabant inter idolatras, item, in Aegypto, item, nos ristiani habitamus in medio diabolorum, Turcom; ergo dicamus, quod haec causa sint dolorum mortis, quod habitamus inter tales.

Horribilis ira Dei est in istum populum. Quans autem lapsus est, quod doctissimi inter eos sic

docent. Ergo timeamus Deum, eique toto pec
gratias agamus pro hac luce, quod Christum fili
Dei agnoscimus salvatorem et redemptorem, (
musque Deum, ut nos in hac cognitione filii
conservet, ne cum Judaeis, Turcis et papistis fili
Dei contumelia afficiamus, ac in aeternam Dei i
ac perpetuos cruciatus incidamus.

Et ipse propter transgressiones no
ras etc.

Hic jam incipit propheta describere veram p
sionem domini nostri Jesu Christi. Vide aut
quam egregius sit hoc in loco propheta. Illud l
chium, inquit, Domini, quod ita sublimabitur, su
quo reges continebunt os suum etc., Deus est
solum compassus nobiscum maximis dolori
sed etiam passus et propter transgressiones nos
et contritus est propter iniquitates nostras. E
clarissime descripta sunt, ut a nullo evangelista
praeter Johannem superetur. Tres primi evan
listae describunt tantum nudam historiam. Es
vero praedicit historiam, causam, fructum et us
Ipse vulneratus est, haec etiam Matthaeus recei
sed Esaias ostendit causam, propter quam pa
est, quia scilicet peccavimus, nec potuimus
nos a peccato, morte et potestate diaboli libe
etc. Qui fructus? ut liberaremur ab omnibus
catis nostris. Usus, ut agnoscamus eum Domi
ac redemptorem nostrum, et credamus in eum, ac
fidem in nomine ejus aeternam vitam consequa

Tantas res tam breviter et perspicue hic tr
ultra compassionem etiam veram passionem de
bens.

Cogita autem, an non magna haec humiliatio est, quod Dominus angelorum percussus, adflictus et passus est? Et quidem, quod horribilissimum est, sustinuit iram Dei.

Furor enim Judaeorum, diaboli et gentium in oculis impiorum nihil aliud est, quam instrumenta Dei, quibus ipse Deus percussit et punivit Christum.

Supra vocavit eum propheta novissimum virorum, contemptum etc. Sed hic jam videmus eum caesum et percussum a Deo, ideo Judaei, cum in cruce penderet, hos sarcasmos addunt, Si filius Dei est, descendat de cruce. Judicant*) enim eum prorsus a Deo abjectum esse, siquidem tam misere affligatur, quod non accideret, nisi ipse has poenas meruisset. Nam secundum legem Mosis judicatur maledictus, qui pendet in ligno. Igitur ita cogitarunt Judaei, Crucifixus est Christus, ergo maximus et blasphemus seductor est, item pendet in cruce, ergo est maledictus, nosque justissime facimus, quod eum cruci affiximus etc.

Ita Deus mirabili consilio per brachium suum dominum ac redemptorem nostrum Jesum Christum, maledictionem totius legis sustulit. Erat persona benedicta et sancta, ac nullo peccato contaminata, sicut Esaias ait, peccatum non fecit, nec est inventus dolus in ore ejus. Ergo nihil in eum juris vel Lex, vel mors habuit.

Sed crux et afflictio per ejus innocentiam sanctificatae sunt. Sic in se ipso evacuavit universam legem cum maledictione, ac peccatum, mortem et infernum sustulit, absorpsit et extinxit, Coloss. 2.

---

*) In ed. 1550: legitur: Indicant.

Hoc vero tam mirandum Dei consilium non Judaei solum, verum apostoli etiam ignorarunt. Sed propheta hic maxima praedicit, quod ille rex gloriae passus sit, non solum intensive, quod valde ei doluit, sed etiam extensive, quod amittit famam, quod non sit justus, filius Dei, sed cum iniquis reputatus, qui patitur testante concientia iram Dei.

Hoc vero magnum est, Christum iram Dei plus sensit, quam ego et tu, nec est fucus aut simulatum quiddam, quod in hac persona geritur.

Iram dei ita sensit, quasi derelictus a Deo esset, et pateretur propter iram Dei, ideo clamat Psal. 21: Deus Deus meus, quare me dereliquisti, et Psal. 8, Derelictum eum fecisti paulo minus ab angelis. Certe hic sensit iram Dei, et magis quam ullus homo. Quin etiam infernalem poenam sensit, praesertim tenerrima natura et conscientia innocens, et quando Deus non adjuvat, sequitur desertio, ut hic derelictus est. Igitur diabolus summis viribus cum eo agit, nec dubium est, quin talia ei suggesserit.

Ecce communicasti cum adulteris, publicanis et peccatoribus, fuisti inobediens summo pontifici etc. Novit enim diabolus etiam optima opera in peccata mutare, ac fuit in horto cum eo, quando sanguineum sudorem emisit, et sine dubio gravissime ejus cor sauciavit. Ista est utilissima passio et ignominiosissima, quod moritur pro alienis peccatis innocentissimus et tamen non pro unius hominis peccato, sed pro universo genere humano.

Haec tantum sunt credibilia; ideo ait propheta, Quis credidit auditui nostro? Tu, Christe, vis esse rex, et hominum salvator; Ego, inquit, te salvabo.

Sed audi, faciens et consentiens pari poena plectuntur, tute cum peccatoribus conversatus es, Sanctorum et Pharisaeorum et Scribarum consortium vitasti, locutus es contra legem etc. Ergo es immundus et damnatus. In desertione haec diabolus egregie exaggerare novit, quod tanta persona talia, tanta et tam horribiliter omnibus modis patitur, omnia voluit exhaurire, quidquid est peccatorum, mortium, morborum, calamitatum etc. Ideo ista non possunt satis inculcari: Persona infinita est, ergo etiam factum et passio infinita.

Ipse percussus est a Deo, non solum illa specie, qua conversatus est cum hominibus, qui reputarunt eum novissimum virorum, sed ista passio etiam declarat certissimo argumento, eum esse in odio Dei.

Ista tela ignita nos perpetuo sensissemus, si non extinxisset ea in suo corde sanguine. Hinc ait autor epistolae ad Ebraeos, Habemus Pontificem per omnia tentatum etc. Nemo potest idem pati, quod Christus passus est, nulla passio est major in ullo Sancto, quae non major sit in Christo. Nam propter peccata nostra vulneratus est, et propter iniquitates nostras contritus.

Disciplina pacis nostrae super eum, et livore ejus sanati sumus.

Petrus recte allegat causam passionis Domini nostri Jesu Christi, causa est peccatum nostrum, fructus, pax et sanitas nostra. Non enim erat nobis ulla salus vel pax, sed ab omnibus mortibus, peccatis, conscientia, potestate diaboli liberati sumus per Christum, haec omnia absorpta sunt in

hac persona, hic redditur nobis pax et salus, et nihil hic requiritur a nobis nisi ut credamus. Est autem hic observanda prophetica tautologia. Geminatio enim sententiae est mos sacrae scripturae, Disciplina pacis nostrae super eum, et livore ejus nos sanati summus.

Bis idem dicit aliis atque aliis verbis, quod ipse castigatur, quod accipit livorem. Idem est disciplina et livor. Quare autem haec facit et sustinet? ut sit nobis pax; quare livores? ut sit nobis salus; non patitur tantum propter peccata, ut fit, quando aliquis innocens cum aliis sontibus rapitur, et alii nocentes evadunt, ille solus plectitur, non propter sua peccata, quia nihil fecit, sed quia deprehensus fuit inter ceteros sontes, alii tamen non evadunt reatum. Sed quando capiuntur, multo gravius puniuntur quam iste innocens. Sed Christus sic patitur, ut aliis, scilicet nobis, sit pax et salus. Istius passio, qui inter sontes deprehenditur, et ad mortem rapitur, tantum est poena. At Christi passio, qui inter nos peccatores comprehensus est, longe est alia disciplina, quae non solum propter peccata nostra infligitur ei, sed nobis quoque pacem operatur, et tollit non solum reatum peccatorum, verum etiam impetrat et largitur nobis pacem et salutem. Haec est propria et principalis virtus et actio passionis Christi, ut nos a reatu et mala conscientia liberemur, et habeamus pacem bonae et laetae conscientiae, et ita, ut non amplius perturbet.

Persona quidem est aeterna et infinita, cujus etiam una guttula satis fuisset ad salvandum orbem terrarum. Tanta enim et tam inaestimabilis est

dignitas personae, ut totus mundus non conferendus sit ad unam guttulam sanguinis, et tamen si una gutta tantum funderetur, haec liberaret totum orbem terrarum. Est enim filius Dei, ideo dici debet, Livor, castigatio filii Dei, non prophetae, non patriarchae, angeli, pretium minis grande est, copiosus est Christus redemptor, copiose pertulit colaphos, verbera, sputa, alapas, immo tristitiam et dolorem in corde usque ad sanguinem. Copiosum pretium est, nec habemus causam desperandi, omnia patitur propter peccata nostra in hunc finem, ut pacem et salutem habeamus, livore ejus sanati sumus, 1. Pet. 2. Ideo hic posset exponi, cum dicit, castigatio seu disciplina pacis nostrae, id est, castigatione ejus nobis est pax, livore ejus contingit nobis sanitas, idest, salus, evangelistae non sic loquuntur de passione Christi, excepto Petro et Paulo.

Omnes nos, quasi oves, erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.

Hic se turpiter dant Judaei, qui dicunt de populo captivo intelligi, qui sit vulneratus propter nostra, id est, gentilium peccata. Exponunt enim ita hunc locum, Tempore Messiae, cum venerit et glorificaverit populum suum Judaicum, vos gentes dicetis sic, Quare humiliamus istum populum, qui vulneratus est propter peccata nostra. Sed audi, quid propheta dicat, Omnes nos erravimus. Si dicerem, ut Eunuchus Act. 8, de quo loquitur propheta? de quibus loqueris, cum ais, propter iniquitates nostras lividus factus est, de quibus, in-

quam, loqueris? Respondent Judaei, non de omnibus, sed de aliquibus peccatoribus, non de populo Judaeorum, in quo multi sunt sancti haud dubie. Verum propheta hic satis testatur, se loqui de omnibus, ut et alibi, et non est inventus qui sit justus, omnes peccaverunt, quasi dicat, non de peccatoribus publicis, meretricibus, publicanis, sed de omnibus sanctis, etiam in populo Dei, qui verbum Dei habet, qui*) est vera Ecclesia, loquitur, quia nullus sanctus extra Christum.

Ita propheta haurit uno verbo universum genus humanum, excepto filio Dei, domino nostro Jesu Christo, ut nemo glorietur in virtute, justitia, sapientia sua, omnes, quotquot de genere Adam propagati sunt, etiamsi vocantur ad sanctitatem et regnum coelorum, Johan. 1, De plenitudine ejus nos omnes accepimus, gratiam pro gratia, quia lex quidem per Mosen data est, hoc scimus, sed fecit tantum iram et hypocrisim, gratia autem et veritas per Christum facta est. Non solum data est lex ad coercendum, sed ut cogeret ad filium Dei, brachium illud Domini, quod caesum est, et livoribus plenum, lex non ad gratiam et veritatem data est. Est quidem lex veritas, justa, bona, sancta, Rom. 7, sed non confert salutem, gratiam et pacem, non tollit peccata nostra. Ideo oportuit Christum vulnerari, et pacem afferre conscientiis sua disciplina seu castigatione, Christus, inquam, per sua vulnera inquietudinem conscientiae, infelicitates nostras per suam disciplinam abstulit, quia omnes erravimus.

---

*) In edit. 1550 deest: qui.

Quid ergo gloriantur Judaei, se pro aliorum peccatis pati, cum nec sua videre, multo minus tollere possint, excaecantur lege et justitia, putant se servare legem, sed omnia sunt vana et hypocritica, nulla sanitas, pax, nulla remissio peccatorum, nisi per vulnera brachii Domini. Sicut ovis, inquit, erravimus, unusquisque in viam suam declinavit. Ovis proprietas est, quam ostendit scriptura sancta Matth. 9, Et erant sicut oves dispersae, non habentes pastorem, et Ezech. 34, Quod saucii et dispersi mei greges. Ad hoc alludit Petrus volens hunc locum explicare.

Eratis sicut oves dispersae et errantes, sed conversi ad episcopum animarum vestrarum omnes erramus sicut oves, ibi unusquisque in viam suam deflexit. At dicis, Via est bona, audi Ps. 1, ubi inquit via, cathedra, consilium peccatorum, via a dextris bona, a sinistris non bona, quia omnes peccaverunt et in viis suis erraverunt, omnes sunt quasi oves dispersae, quae, ubi semel aberrant, non audiunt vocem alieni pastoris, qui vocat, eam desertam a vero pastore, non audit vocem ejus, quo plus vocatur, eo magis errat, ubi vero audit, verum pastorem mox audit. Sic nos omnes erravimus, nullus habebat viam salutis, ut testatur Psal. 14, Non est justus, non est, qui faciat bonum, ne unus quidem. Omnes declinaverunt, inutiles facti sunt, contritio in viis. Hic est titulus noster extra Christum. Ideo digni sunt odio perpetuo papa, Turca, Judaei, et omnes, qui extra Christum tot vias invenerunt. Ego certe magno studio et contentione servabam regulam, jejunabam saepe usque ad aegritudinem et mortem fere, observabam statuta stricte,

ipse habebam viam meam, sic et alii mon
Ibi deerant vulnera brachii Domini, non erat
ejus, non castigatio pacis ejus. Sed tantum
bamur, quod per opera deberemus satisfac
sic ex opere operato de congruo mereri ren
nem peccatorum.

An non horribilis res est, ista proponi in
sia Dei, ubi vox Christi audiri tantum debebat,
nulla sanitas, pax et ablatio peccatorum, ni
Christi livores, vulnera, disciplinam. Sed
prorsus silebantur et interim proponebantur n
religiones, opera, monachatus etc. De fide in
stum, de vi et fructu passionis, coenae D
baptismi nihil prorsus docebatur. Ego certe s
studio nitebar justificari propriis operibus, no
bam vel bibebam, non dormiebam, alii non
bant malam conscientiam, non exercebantur
terroribus, ego metuebam extremum diem ir
et infernum, quaerebam undique auxilium, i
bam Mariam; S. Christophorum et quo plus
ravi, eo plus idolatriam cumulavi, non potui
stum videre, quia Scholastici me sic doc
sperandam remissionem peccatorum et salute
nostra opera. Ibi amisi vulneratum, vidensque
abhorrebam a facie ejus.

Vos igitur, qui non fuistis in hac horribili
fornace, gratias Deo agite et grati sitis pr
beneficio ingenti. Manete in concordia veris
et purissimae doctrinae. Est enim consensus s
rae ac prophetarum, ut ait Petrus Act. 10:
*πάντες οἱ προφῆται μαρτυροῦσιν ἄφεσιν ἁμα
λαβεῖν διὰ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ πάντα τὸ
στεύοντα εἰς αὐτόν.* Sic ergo ait servus intell

on est ullus hominum justus, sed omnes coram eo rei sunt ac damnandi, tantum per hujus livores ınati, et disciplina ejus salus nobis contingit. Habeus quidem legem, sed lex non dat testimonium, uod sumus in via recta, sed in ira Dei et agone èccati. Moses est blaesus et habet gravem linıam, facit peccatores et reos, quare? non ut peccaus, sed ut confugiamus ad livoribus percussum ılvatorem et pacificatorem disciplinatum, ut Petrus t, Accedendum est ad episcopum, ipse curam abet sui gregis, gubernat nos per spiritum sanctum verbo suo et sacramentis, ut maneamus in via ıcta ex viis collectis, vagis, noxiis et infinitis. ias quidem infinitas habuimus, illum vero, disciinatum, id est, veram viam, non habuimus. Quid go nos gloriaremur nos justificari posse ex lege? ıomodo enim justificaremur ex lege? immo quo agis niteremur et laboraremus, hoc magis errabaus sicut ovis errans a pastore, quo magis vocatur, ıc magis deseritur et aberrat longius. Semper vae indulgentiae, cultus, religiones quaesitae sunt.

Sed quocunque iste lividus et percussus venit disciplinatus, ibi aquiescit cor, et habet pacem dicit, propter me Christus disciplinatus et lividus ctus est, ut ergo essem sanctus et in pace.

t posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrum etc.

Pergit propheta explicare fructum passionis filii i, domini ac salvatoris nostri Jesu Christi. Non tem particula (omnis) collective tantum accienda est, ut aliqui tantum intelligantur non errasse, d distributive unusquisque sigillatim, seorsim, nemi-

nem enim excipit, nisi qui est in Christo. Et do minus, inquit, fecit in eum concurrere peccata om nium nostrum. Verbum concurrere, quod in Ebrae est פָּגַע*) proprie significat obruere, interceder ut ad Ephron Abraham Gene. 23.

Ita Christus et portavit peccata nostra et p nobis apud patrem suum intercessit, et vere p nobis, ut Paulus loquitur, factus est maledictum, nos a maledictione legis redimeret. Hoc ut sig ficantius exprimeret propheta, usus est peculi verbo פָּגַע*) quod proprie et concurrere et int cedere significat. Et Chaldaeus interpres clarius hu locum exponens sic reddidit, Et complacitum domino propter eum nobis omnibus peccata remitte Hic ergo Christus filius Dei et filius Mariae virgi unica persona est, quae peccata nostra suscepit, iram Dei propter peccata nostra in se derivavit, pro nobis apud patrem suum interpellavit et prop quem pater nobis peccata remittit et spiritum sa tum et vitam aeternam donat. Ad hunc ergo c fugiamus et certo statuamus per ipsum nobis patr placatum esse. Quicunque enim in eum credu liberi prorsus sunt a peccatis, et habent vitam aet nam, ut Johann. 1. dicitur, Ecce agnus Dei, qui to peccata mundi, item, Dedit potestatem filios I fieri omnibus qui credunt in nomen ejus, it Johann. 3, Sic Deus dilexit mundum, ut filium sui unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, n pereat, sed habeat vitam aeternam, item, Non en misit Deus filium suum in mundum, ut judicet mu dum, sed ut mundus per eum servetur.

---

*) In ed. 1550: Paga.

Non ergo nocere illi peccatum potest, qui credit, quia hic portat omnia peccata totius mundi, nullum omnino reliquit, quod non portaverit, vicerit ac deleverit, nisi per infidelitatem meam nolim a me tolli et mihi deleri. Sic Joh. 16, Spiritus sanctus arguet mundum de peccato. Dominus fecit irruere in eum peccata omnium nostrum, peccatum porro est non credere in eum. Judaei et omnes hypocritae volunt esse justi lege. Sed evangelium docet, etiamsi habeas totam justitiam legis, quod est impossibile, tamen nisi adsit fides Christi, manes sub peccato et ira Dei, nisi in hunc credas, in quem irruerunt omnia peccata totius mundi, non habebis vitam, Johann 3: Qui non credit in eum, non habebit vitam et ira Dei manebit super eum.

Deus posuerat illum, ut ferret impetum satanae, mortis, legis, totius mundi et omnium hominum peccata, peccatum occidit eum, sed eum, qui occidi non potuit, occisus secundum nativitatem carnis, et tamen dicitur vere occisus filius Dei. Non potuit occidi propter illum aculeum in evangelio, quod ipse Deus vivus, ut dicit, Ego vivo et vos vivetis. Ego quidem morior pro vobis, sed tamen moriendo vivam, quia Deus sum et homo. Mors potest me mordere et occidere, sed retinere non poterit in morte.

Habemus ergo episcopum animarum nostrarum, qui liberavit nos a morte et omnibus periculis mortis, et dedit pacem et sanitatem per suum livorem.

Sed quid cogitavit Dominus, cum pateretur pro nobis? Num cogitavit de retributione et vindicta adversus Judaeos crucifixores? Non, sed cum humiliaretur, inquit propheta, non aperuit os suum,

sicut ovis, quae ad mactationem ducitur. Quando enim ad victimam protrahitur, item, quando tondetur, non aperit os, non edit aliquam vocem, significans dolorem suum. Sic noster pacificator, salvator, sanator, brachium Domini, ὁ μονογενὴς τοῦ Θεοῦ, cum puniretur, vulneraretur vehementer, quid faciebat? non aperiebat os, non mutibat. Sic Petrus inquit, Qui cum pateretur, non minabatur, non remaledixit. Ita fideliter exponit Petrus per spiritum sanctum. Summa est ibi patientia et innocentia, ne verbo quidem significat cupiditatem vindictae contra hostes. Nam cogitatio sua erat de pace et salute et de peccatis nostris per sua vulnera sanandis, non cogitavit de vindicta et perditione crucifigentium, sed de nobis liberandis.

De angustia et de judicio sublatus est, generationem ejus quis enarrabit? quia abscissus est de terra viventium, propter scelus populi mei percussi eum.

Describit propheta glorificationem Christi, in quam per mortem transiturus erat. Non enim, ut Judaei existimabant futurum, in morte mansit, sed per mortem in gloriam patris sui intravit, Luc. 24. De angustia, inquit, seu de tartaro vel clausura, et de judicio sublatus est. עֹצֶר *) significat carcerem proprie vel captivitatem. Est ergo haec sententia prophetae. Fuit inclusus, captus et subjectus judicio, ac condemnatus publico judicio, ubi non solet esse redemptio vel spes redemptionis, et non tantum illo judicio et carcere, quo comprehensus fuit ab Hanna, Caipha, sed etiam condemnatus

*) In ed. 1550: Oser.

ate Dei et legis judicium tulit, et captus et
us. Nos, inquiunt, habemus legem, et se-
n legem debet mori, quia filium Dei se fecit.
etiamnum persistunt, Reus est mortis, vos
udistis testimonium, quid indigemus testibus?
ilium Dei venturum cum potestate magna,
scriptum est, Non habebis Deos alienos, filium
fecit, Ergo est blasphemus contra Deum etc.
eciem habet apud Judaeos, et se sine dubio
textibus sacrae scripturae ornarunt, ut quod
ant eum, quod sabbatum non servaret, com-
aret cum peccatoribus et immundis hominibus,
sacrificantibus etc. Sic condemnatus est ab
quorum summa potestas erat autoritate Dei,
17, Qui non audierit sacerdotem, auferes
n de medio tui.

Quamquam erat Dei filius, Dominus omnium,
uod Caiphas et alii ignorabant, homo factus, ut
maledictum sub lege, ut eos, qui sub lege
a maledictione legis redimeret, ac voluit sub-
egi dominus ipse, qui eam dederat, tamen ex-
Messiam, ac mandavit, ut illum susciperent.
Ideo non sunt excusabiles per illam ignorantiam,
viderant, audierant, palpaverant ipsum filium
it facientem talia miracula uno verbo, quae
ssibile erant fieri humana virtute, sicut ipse
Opera quae facio testimonium perhibent de me,
hi non vultis credere, operibus credite. Ergo
sunt excusandi principes sacerdotum et alii,
ilium Dei, Dominum nostrum Jesum Christum
fixerunt. Et tamen judicium eorum erat sacro-
um, summae autoritatis, quia secundum legem
damnari sub ista specie magna res fuisset, si

homo purus fuisset. Simpliciter enim valuis
haec sententia et transisset in rem judicatam. !
erat Deus et homo, ideo dicitur sublatus ab
clausura legaliter instituta.

Eum necesse est alium virum esse, qui
amplius subjectus est huic potestati civili in vi
lege, ecclesiasticae potestati et juri ordinario sa
dotum, ut Caiphas et alii gloriabantur se haber
et ordinariam potestatem, si non occidimus
peccamus in Deum et sumus inobedientes le
Mosi, secundum quem oportet hunc mori,
Johan. 11, Ne forte Romani veniant, scilicet, s
occiderimus istum rebellem et blasphemum.
gabant suam justitiam, jus, ordinariam potest
At ipse fuit verus dominus legis et omnium ju
et potestatum, et tamen voluntarie subjecit se, cun
esset reus, ut nos redimeret, qui conclusi eramu
lege Galat. 3, Ideo ipse prior se inclusit, ut erum
et aboleret illud judicium et clausuram vel angus

Aliam vitam nunc vivit ille dominus, vict
perruptor inferni, mortis, legis. Haec est abro
legis, quae ad aliam vitam et principatum sp
Diruptis claustris, legibus inferni, peccati, m
abstulit totam legem, vivit in alia libertate durio
Fuit sub clausura, sed raptus transiit in aliam v
seu mundum. Sic mortuus est, ut non periret,
sublatus est in aliam vitam.

Qui illic est? de angustia sublatus, et
quidem Generationem ejus quis enarra

Nemo potest eloqui vitam quam incepit. דוֹר

---

*) In edit. Wittemb. legitur: liberiore. — **
ed. 1550: Dor.

neratíonem significat. Hieronymus disputat de neratione, an loquatur de divina ex Patre, vel humana ex virgine. De hac origine divinae vel imanae non loquitur, sed ut alibi loquitur scripra, a generatione in generationem narrabo opera a, item beata Maria virgo, Beatam me dicent omnes generationes, id est, illa duratio, intelligenda ta est, quae durabit, non tamen de humanitate it divinitate, sed de suo regno. Raptus est ex a servitute temporali, qua humiliatus erat infra igelos.

Triginta annos ivit in terris in servitute legali fuit servus, ut supra dicitur, Ecce servus meus, id ex illa servitute brevissima et temporali, licet erbissima, raptus est et positus in dominium, ujus nullus erit finis, Esai. 9, Regni ejus non erit nis, et Luc. 1, Et regnabit in domo Jacob. Haec t illa generatio, Non scribetur aut dicetur, Christus issus et resuscitatus pro nobis, sedebit aut regibit mille annis, vel tot et tot annis, sicut de poicis regibus dicitur, non sic numerabuntur anni; d ut dicitur in Psal. 102, Tu autem permanes, ii peribunt, et anni tui non deficient, ejus regni n erit finis. Fuit quidem in servitute, clausura morte, ita, ut etiam descenderit ad inferos, sed ptus et translatus est ex illa in regnum aeternum, jus finis non potest enarrari. דור*) saepe in ose legitur, ritus vester. Hanc legem facietis in nerationes et generationes, id est, für und für, imr und immer.

Illam durationem seu longitudinem dierum vel

*) In ed. 1559: Dor.

multitudinem annorum, quibus regnabit, nemo enarrabit. Quia est aeternus rex. Hoc injicit propheta in mediam passionem, quod positus victor supra legem et omnes errores, et omne quod potest claudere, judicare et regnare in hac vita mortali, raptus ab omnibus clausuris, vexationibus mortis et peccati, translatus in durationem et vitam aeternam.

Quonam abscissus est de terra viventium, propter transgressiones populi mei plaga eis.

Hic locus paulo obscurior est propter pronomen pluralis numeri, לָמוֹ *) plaga eorum. LXX Interpretes habent, pro sua justitia, vel potius malitia, ductus est ad mortem. Grammatica obstat, me impedit לָמוֹ *) pronomen tertiae personae. Noster interpres ita vertit, Propter peccata populi mei percussi eum. Egregia sententia, sed grammatica non admodum respondet. Magnam hic gratiam debemus diabolo et Judaeis, qui non solum turpiter depravarunt, sed etiam confuderunt, quantum omnino fieri potuit, distinctionibus; si reliquissent Esaiam in distinctione, ut acceperant, facilior sententia esset. Hebraistarum est hoc observare, quod Judaei, ubicunque possunt, depravant intelligentiam, vel impiis expositionibus, vel si hac via non possunt, distinctionibus, ut in Daniele 70 hebdomadis abbreviatae sunt, ibi depravatio palpari potest, ubi quae copulanda erant, distinguunt et discerpunt, eaque omnia in odium Christianorum.

Relinquo igitur hoc studiosis Ebraicae linguae,

---

*) In ed. 1550: Lamo.

t observent malitiam diaboli et Rabinorum, quorum ioc unicum est studium et negotium, ut depravent it discerpant atque invertant intelligentiam prophe-icam et Christianam. De angustia quis enarrabit? it hic discerpta est distinctio. Cogit enim gramma-ica et sensus communis distinctionis in medio textu; psi hic non faciunt distinctionem, quomodo abscis-us, plagatus.

Excisus e terra viventium, phrasis Ebraica est, d est, violenter occisus, de vita sublatus, cum ad-huc sano, integro et valido corpore esset. Verbum xscindi, quo hic utitur Esaias, est violentum. גזר*) ignificat separari, scindi, dividere, sicut arbores t ligna scinduntur, ut ibant in silvam, ut dividerent rbores, ac scinderent etc. Sic in Psalmis est,)ui divisit mare rubrum in divisiones. Inde venit מגזרה, id est, serra dividens ligna. Exscindi igi-ur, id est, violenter discindi, quod non sponte ali-juis cadit moriendo, sed florente et viridi aetate ccidi, ut est excisus morte violentissima in cruce assionis. Idem est ergo dicere, Mortuus est vio-enta manu, non naturali morte. Ita Christus tulit eccata nostra, florente et optima complexione et empore vitae suae.

De reliquo textu magis laboro, nescio an huc el illuc spectet propter vel a transgressione po-uli mei plaga eis vel illorum. Meam sententiam icam, An hic eclipsis, enallage vel distinctio sit, gnoro. Ipse dixit, quod est raptus et positus ad exteram patris, et ut Petrus ait, Elevatus ad dex-eram Dei, ut sedeat supra angelos, effudit hoc do-

*) In ed. 1550: Gazar — Mazora.

num, Act. 2, ut esset rex aeternus et infiniti regni: Christus mortuus est et resurrexit, amplius non moriturus. Ad quid ergo, quae causa finalis proprie hujus regni? Propter transgressionem populi mei, quae erat plaga ipsorum. Sedet in regno suo non otiosus, nec propter se, sed ad dexteram Dei exaltatus judicans mundum, et effudit donum spiritus sancti, Si abiero, inquit, mittam, si non abiero, non veniet ad vos. Ergo raptus et excisus est e terra, ut exerceret vim et efficaciam istius suae passionis, ut scilicet liberaret nos, non tantum secundum gratiam, sed et secundum donum ad renovationem naturae, ut dicitur, Ascendisti in altum, et accepisti dona pro hominibus.

Ideo sedet ad dexteram Dei aeterni patris, misso spiritu sancto, non tantum ut sanet nos imputatione, donata remissione peccatorum propter ipsius mortem, sed ut etiam efficax sit in nobis, et transferat nos a peccato in justitiam, sanet corpus et animam, non tantum remisso peccato, sed prorsus expurgato et sublato, ut puri sine omnium peccatorum pavore, motu et ardore Deo serviamus in omni pietate et sanctitate vitae, positus est in aliam vitam, ut nos sanaret a peccatis et transgressione illa; quae erat plaga nostra.

Diabolus depravavit totam naturam et carnem nostram magno et invincibili veneno, vitiavit et perdidit gravissima plaga, scilicet ad peccatum et mortem aeternam. Hanc ergo ut destruat Deus efficaci medicina, misit hoc donum, quod videtis, propter hanc transgressionem, quae est plaga populi mei, sicut et Johannes inquit, In hoc apparuit filius Dei, ut dissolvat opera diaboli, id est, pecca-

tum, mortem et infernum. Sic ergo intelligatur particula relativa, ut saepe alias in prophetis usurpatur, tanquam appositio. In prophetis saepe omittitur relativum, qui, quae, quod. Haec simpliciter mea est sententia, si non propria, tamen vera per se, meruit filius Dei dominus ac redemptor noster Jesus Christus, non solum remissionem peccatorum sua passione, et reconciliationem, sed etiam donum, quia per Christum non tantum data gratia, sed et veritas facta, Johan. 1. Non fucus est in Christo, ut tantum sit impetrata gratia. Immo peccatum etiam expurgatur.

Ne hic locus sit pro antinomis, qui peccatum sic extenuant, tanquam nihil sit, quia remissum est. Num ideo in peccato manebimus, quia peccatum remissum et sublatum est et sumus sub gratia, Rom. 6. Hoc esset sub gratia sive veritate, id est, fucus, peccatum non tantum remissum, sed fugatum et sublatum est. Non tantum gratia, sed etiam donum est veritas, Ephe. 4. Quare manes in peccatis? An nescis, quod Christus mortuus est, et peccatum remissum? Manere ergo in odio, ebrietate aut adulterio non debes. Christus passus est ad remissionem peccati, non ad licentiam carnis et concupiscentiae, ut papa imputat nobis hanc horribilem blasphemiam, quasi doceamus homines secure vivere, sine lege, in licentia omnium peccatorum, quod lex non obliget ad damnationem. Ceremoniae sunt sublatae, ut moralis lex ablata, ut non vexet conscientias nostras, non simpliciter, sed in spiritu, 1. Corinth. 5, quia repurgandum vetus fermentum, ut nova simus conspersio, purgatur, occiditur, comburitur, ut destruat corpus peccati.

Agitur ergo de veritate, ut liberemur a peccato revera, et peccatum aboleatur, sedet Christus ad dexteram patris, et abscissus est propter nos, non tantum, ut simus filii in gratia per remissionem peccatorum, sed etiam accepto spiritu sancto purificemur de die in diem, donec in extremo die prorsus puri fiamus sine reliquiis peccati, sollicitantibus et retrahentibus nos. Vide enim, quam infirmi et impuri simus, saepe labimur, peccatum assidue captivat nos, repugnans legi mentis, ut etiam remedium quotidianum coactus sit dare Christus, cum jubet septuagies septies remittere, quoties offendit nos frater etc. Matth. 8. Paulus repugnat, militat contra legem mentis, quamquam sit remissum peccatum et non imputetur. Peccatum ergo est plaga nostra, haec incumbit nostris cervicibus, hanc etiam vult sanare.

Et dabit impios vel inter impios sepulcrum suum.

Nos legimus secundum veterem translationem pro sepultura sua, et divites pro morte sua. Hoc exponunt veteres sic, quod Christus dederit Judaeos impios et superbos loco sepulturae, id est, ipse liberatus est, Judaei traditi sunt loco ejus in manus Romanorum. Ut sonat illud Proverb. 21: Justus liberabitur, et tradetur impius pro eo. Hunc sensum huc transferunt. Hoc est quidem regulare Dei opus. Nemo enim evadit judicium Dei, quin tandem impingat. Et justus nullus derelinquitur, tandem tamen liberatur. Sic impius non effugit, sed traditur. Sed quod huc accommodatur haec sententia in proverbiis, non quadrat, quia non loquitur propheta hoc

loco de tranquilla et suavi, sed de crudeli morte. Sic ergo, inquam, exponunt Lyra, Hieronymus, Augustinus haec prophetae verba, Dabit impios pro sepultura sua, id est, impii Judaei pro liberato Christo traditi sunt in mortem hujus vitae, et aeternam, quia Romani omnes occiderunt. Sinamus istam sententiam bonam, piam et veram, sed an in hoc loco quadret, de eo disputamus. Aliud enim est, veram esse sententiam, aliud propriam esse loci.

Alii sic exponunt, quod divites dabit pro sepulcro, id est, Joseph ab Arimathia, qui dives fuit, sepelivit dominum, et in honesto loco, sed videtur esse alienum. Etsi dives in sacris literis communiter significat impium, tamen cum additur nomen cujusdam justi, non significat impium. Impii significantur Matth. 19, Facilius est camelum intrare per foramen acus, quam divitem in regnum coelorum, item Luc. 6, Vae vobis divites etc. Hoc loco dives in propheta significat impium. Joseph autem non fuit impius, sed discipulus, quamquam occultus. Nec Deus abjicit vel divites vel pauperes etc. nisi sint impii, ut operarii infideles, item avari, ut Hieronymus inquit, Omnis dives aut iniquus, aut iniqui haeres. Et Paulus inquit, Avaritia est radix omnium malorum, vocat etiam avaros idolatras. Homines enim raro divitiis recte utuntur, sicut exempla quotidiana abunde testantur, unde et gentes clamitant, O aurum causa es omnium malorum. Et Poëta,

ἄδικον ὁ πλοῦτος πολλὰ δ' οὐκ ὀρθῶς ποιεῖ,

Item, *πολλῶν τὰ χρήματα αἴτι' ἀνθρώποις κακῶν.*

Quid est excellentius pace, potestate seculari, gloria, honore etc., quantus vero horum Dei dono-

rum abusus? Jurisconsultus aut theologus, quando animadvertit eruditionem suam, videtur sibi angelus angelorum Dei. Creaturae quidem sunt bonae, sed subjectae vanitati. Meretrix egregium habet corpus, sed est in turpissimo quaestu. Sic impius vocatur dives, sed Joseph fuit discipulus Jesu, sicut Abraham, David non fuerunt pauperes etc.

Non igitur hic intelligendus est, ut exponunt Lyra, Hieronymus, Augustinus, nec propterea sepulcrum ejus non honoratum est, quod prope calvariam sepultus est, sed est honesta sepultura. Joseph Arimathensis non adeo timidus fuit, quia audet Christum crucifixum sepelire in suum sepulcrum, invitis etiam pontificibus. Quocirca necesse est probum et pium fuisse hunc virum, alioqui cogitasset, Jesus ille damnatus a summis sacerdotibus, scribis, senioribus populi et tota plebe ignominiosissime crucifixus est. Ergo in odio totius synagogae sacerdotum, si auferre velim de cruce, et ponere eum in meum sepulcrum, et honorare damnatum ab eis, ut blasphemum et seditiosum.

Omissis ergo his interpretationibus, sic verto et expono, Et dabitur impersonaliter, sicut Luc. 6. Mensurabunt, mensurabitur, dabunt, i. e., dabitur. Ita activum verbum exponemus passive, vel impersonaliter propter clariorem sententiam, Dabitur cum impiis sepulcrum suum, vel dabit cum impiis sepulcrum suum, in accusativo, sed non semper potest reddi cum accusativo, ergo transferenda est vel per praepositionem cum, vel aliam particulam, ut sicut, Et sicut cum divite, i. e., impio, idolatra, peccatore in mortibus.

Sit ergo haec sententia (non enim invenio com-

modiorem) i. e.; Judaei non contenti, quod occiderunt salvatorem nostrum, et exciderunt de terra viventium. Sic omnes impii sunt homicidae; non contenti aliquem occisum, non consistunt in hac crudelitate, quod tam crudeliter et atrociter occiderunt pios, sicut civilis magistratus et politica iustitia saturatur morte, vel ultimo supplicio furis. Saevire autem in corpus mortuum diabolicum, quia oportet quasi bis mori, immo si possent, centies occiderent.

Sic etiam papa Joannem Huss exussit Constantiae propter verbum Dei, et collegam ejus Hieronymum de Praga. Hoc ibi non satis erat papae, sed etiam cineres effossos, et locum cineris integro cubito projecit in Rhenum, ne quisquam, vel ipsa terra, in qua erat combustus, tolleret aliquid in memoriam. Hoc non est bis, sed millies mori. Quid enim misera terra peccavit, ut etiam eam effossam in Rhenum abjectam velint? Postea addidit etiam hoc post exustum Huss, et submersos cineres, excommunicarunt, maledixerunt, damnaverunt nomen, et memoriam ejus in aeternum exstirpaverunt, et animam ejus abjecerunt in infima tartara. Ita sanctus Dei martyr Joannes Huss non unam, sed tres, quatuor immo plures mortes passus est. Exustus, submersus, post distractus per aquas in omnem terram, et nomen ejus extinctum ac deletum, anima ejus diabolo tradita, et excommunicata sub imos inferos.

Iste est insatiabilis furor diaboli et suorum. Hoc, ut supra dixi, non facit politicus magistratus, quiescit et desinit, quando reus affectus est ultimo supplicio. Sic hic eum crudeliter de terra exscindunt, eunt ad Pilatum dicentes, Recordati sumus, quod impostor ille dixerit, Post tres dies resurgam,

parati sunt occisum semel iterum occidere. Ita enim a diabolo obsessi sunt, ut cogitent, Discipuli possent noctu venire, et corpus furari, Matth. 28. Ideo volunt occurrere alteri vitae, ne resurgat et reviviscat, dicunt ad Pilatum, Pone custodiam. Non licet ad sepulcrum adesse amicum, non mulieres, quae sequutae eum erant. Sed milites impii adhibentur, immo etiam jam sepultu*), si vellet reviviscere, iterum occidant*). Sic non cessat nec hodie insatiabile odium et cupiditas ac voluntas occidendi. Judaei quotidie adhuc occidunt Christum, non tantum voluntate, sed et facto. Nam multos trucidant infantes et pueros Christianos. Breviter, sunt occisores in aeternum. Hoc puto significare voluisse Esaiam, et ideo emphasis est in verbo plurali, in mortibus, ut exaggeret illud odium insatiabile, ut si multae essent mortes, tamen illis nunquam satis moreretur, quin iterum ad necem raperetur. Sic sepultus etiam est tanquam sceleratus, et patitur etiam in sepulcro nec adhuc putant se satis poenarum de illo sumpsisse, sic et nos patimur ab eis. Ita convenit hoc quod sequitur. Haec omnia patitur in vita et morte. Tollitur crudeliter ex vita, et custoditur in sepulcro post mortem, tanquam sacrilegus et pessimus omnium hominum, qui unquam in hanc terram pervenit.

Eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus**).

Omnes qui eum occidunt, non possunt in eo invenire ullum peccatum, immo nec verbo nec opere

*) In Wittemb. legitur: sepultum — occiderent.

**) Haec verba textus in edit. 1550 non leguntur.

peccavit, sed fuit utrinque et lingua et opere salutaris. Plus enim vult significare Esaias, quam dicit, quod scilicet profuerit omni verbo et opere. Nihil in eo, quod noceret, sed omnia salutaria, et tamen mori cogitur. Quid nos gloriamur de nostris passionibus? omnibus modis Christi passio crudelior est. Nihil omittit propheta, quod pertinet ad exaggerationem passionis pro omnium hominum passionibus. Et si tantum naturam humanam species, hoc est, si purus homo esset, tamen crudelitas esset immanis et horrenda. Sed sic oportuit crudeliter exscindi ex terra. Fuit victima pro nobis factus. Ideo oportet in eum ruere quidquid est furoris diaboli et mundi, in eum spui, oportet diabolum totos furores suos exonerare et effundere in illam personam, ut exsorbeat illam totam.

Cum nihil superest furorum, resurgit dominus, et peccatum, mortem, diabolum, legem, infernum et omnia mala, quae nos afflixerunt, vincit et exhaurit, ut jam nihil de eis supersit. Qui ergo credit in Christum, huic peccatum, mors, diabolus nocere non queunt. Nam filius Dei, dominus noster Jesus Christus exsorpsit cum magnificentia et gloria omnes furores diaboli et vomitus ejus. Qui ergo, ut jam dictum est, in eum credit, habet diabolum victum, prostratum et conculcatum, ut Gene. 3 dicitur Semen mulieris conteret caput serpentis. Si modo credat, sedet ad dexteram Dei aeterni patris, semel mortuus non amplius moritur, immo regnat et triumphat jam exspoliatis et traductis potestatibus, Coloss. 2. Et nos per ipsum, Micheae. 2. Etsi carni dentes infigit, sed frustra contra stimulum calcitrans et ungulas infigens ipsius ferratis.

Et Dominus voluit eum conterere in infirmitate, si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur.

Relinquo vobis judicandum, quam apte exponant Judaei hoc caput Esaiae, de se ipsis in hac praesenti captivitate, quam congruat, et quam verum sit de eis dici, os suum non aperuit, verbo et opere non peccavit. Item, an ipsi sint de angustia sublati etc. Hic apparet, quam pulchre scripturam interpretentur. Non humana, sed diabolica depravatione trahunt sanctissima verba de salvatore nostro ad ipsorum sceleratam turpitudinem. Judicant se respectu gentium esse sanctos, innocentes et sine omni peccato, puros. Ita sordemus nos gentes ipsis, cum inter sese sint pestilentissimi, et quo meliores, hoc pejores.

Sed haec omnia facta aut*) consilio et voluntate divina. Non attigissent ei unam guttulam vel unum capillum. Verum haec fuit causa passionis filii Dei, scilicet quod volente Domino passus est. Deus sic voluit, at quoad Judaeos non voluit, sed permisit, ut Petrus ait Acto. 3., qui praedicit per os prophetarum, pati Christum, implevit sic Deum definito consilio traditum crucifixistis. Deus permisit et voluit fieri, quare? ut esset victima pro nobis, Deus voluit conterere caput serpentis, id est, destruere regnum diaboli, peccati, mortis, ut aedificaretur regnum justitiae, salutis, vitae aeternae.

Haec fuit Dei voluntas, propter hunc finem facta omnia, quia Deus non delectatur injustitia,

---

*) In edit. Wittemb. legitur: sunt.

ccato, morte, sed justitia, fide etc. Hac finali
usa delectatur Deus et eam respexit. Dominus
luit et complacuit ei, ut contereret eum. Ipsi
norant Dominum gloriae esse, ut Petrus inquit,
r ignorantiam fecistis, et male, sed Deus vertit
bonum. Effectus bonus et causa finalis, ut vos
beatis salutem, mittit spiritum sanctum, ut agatis
enitentiam, sinatis vos adjuvari, benedici, salvari
ctima oblata, salus parata, diabolus victus cum
ccato et morte, tantum vos accipite et apprehen-
te fide. Haec enim est voluntas Domini, quia
um sic voluit conterere.

uia si dederit animam suam pro delicto,
videbit semen longaevum.

Non est mortuus et sepultus, ut maneret in
orte et sepulcro, sed initio capitis dixit, Et sicut
rgultum coram eo et radix de terra sitienti. Fru-
entum jactum in terram non moritur, sed hoc
ie, ut ferat fructum centuplum. Non moritur ut
digatur in cineres, sed ut impleat orbem terrarum
stitia, salute, vita, reparet regnum coelorum, non
t mortuus, ut periret, sed ut animam suam daret
lictum, peccatum, seu, ut Paulus vocat, victimam,
est, hostiam pro delicto. Haec fuit Dei volun-
s, ut esset victima, placatio, ἀντίλυτρον, redem-
, pretium pro peccatis.

Quia ira Dei non potuit placari et tolli, nisi
li et tanta victima, quae est filius Dei, qui non
tuit peccare. Nulla sacrificia erant, quibus pla-
ri potuit Deus, nisi haec victima, quae poneret
imam suam אָשָׁם*). Immo omnia sacrificia vete-

*) In edit. 1550: ascham. —

ris testamenti erant ἀντίτυπα, ut epistola ad Ebraeos loquitur, hujus sacrificii filii Dei.

Verbum אָשָׁם *), quo hic utitur propheta, placuit et Paulo ad Rom. 8 et de peccato damnavit peccatum, 2 Cor. 5, Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut hic dicitur, Qui peccatum non fecit, sic in propheta, Nec inventus dolus in ore ejus et tamen factus est peccatum, ut hic ponet animam suam delictum, seu, quod nos proprie vocamus, victimam. Sic Moses vocat אָשָׁם *) ipsum sacrificium vel victimam pro peccato, non simpliciter sacrificium, sed proprie pro peccato posuit Christus animam suam, id est, fecit se ipsum peccatum, victimam nostram. Grammatici disputant, an sit, si **), posuerit animam suam, scilicet, per delictum vel peccatum, sed nihil refert, id est, si fecerit ipse suam victimam, vel semet ipsum victimam, ut sic videret semen, quod prolonget dies.

Videbit semen longaevum***).

Hoc est, quod passim de regno Christi propheta vaticinatur, ut Psalm., In justitia et judicio corroborabuntur filii eorum, habitabunt, et regnum eorum in seculum, item, Supra thronum ejus a modo et usque filii tui, semen eorum dirigetur, id est, regnum Christi durabit, semen ejus propagabitur, donec sol luxerit et manserit luna, erit propagatio seminis istius. Tam diu durabit propagatio, vel, ut dicitur, semen, donec collecta fuerit universa ecclesia, tum desinet illa propagatio vel seminificatio, tum etiam amplius non erit gene-

*) In edit. 1550: ascham. **) In edit. 1550 legitur: sic. ***) Haec verba textus in edit. 1550 non leguntur.

io corporalis, nec spiritualis, nec docebimus amus, nec baptizabimur, nec credemus, sperabimus. d tantum diligemus et laetabimur, fruentes aeterna a et beatitudine. Hoc est regnum Christi manere longitudinem dierum. Hoc pro sua passione bebit, quod regnum ejus, ut dictum, manebit et opagabitur, crescet, sine fine multiplicabitur, in m usque diem, donec tradet regnum Deo patri, erim oportet eum regnare.

t voluntas Domini per manum ejus dirigetur.

Hoc pertinet ad praecedentia de semine longaevo, tia voluntas Domini fuit, ut contereretur. Et ideo, posuerit animam suam hostiam pro delicto, vibit semen longaevum. Et voluntas Domini in anu ejus prosperabitur, fotunabitur, ut Psal. init, O Domine, bene prosperare. Ista verba inidunt tyrannidem illam horribilem, et potentiam aboli, ut infra dicit de dispartitione spoliorum. illus est successus, fortitudo aut victoria contra gnum et tyrrannidem diaboli. Mors rapit omnia, diabolus per mortem, et autor mortis vocatur.

Voluntas igitur Dei hic dicitur illa victoria, ill opus divinum, quo destruitur opus diaboli, quo ptivitas captivatur, et sicut in evangelio est, Cum rtis vincitur et ligatur, diripuerunt ejus spolia. m Christus inquit, Haec est voluntas Dei, quod issus est filius hominis, ut redimat genus humaim a peccato, morte, lege, potestate diaboli; illa luntas Dei nunc prosperabitur. Quare utitur illo cabulo, prosperabitur? propter potentiam et tyrandem diaboli in genus humanum. Omnes monaii, Turci, gentes laborant magno zelo, et incredi-

bili studio aggrediuntur durissimum genus vitae, et quo est durius et asperius vitae genus, eo se melius putant evasuros hanc tyrannidem.

Sed nihil est prosperum et fit in dies de die in diem pejus, ut in muliere aemorroissa; quo magis laborat natura, ut extricet se ex peccato et morte, hoc magis impingit et deprimitur sub hanc tyrannidem. Magni laboris res est, etiam Christianum, qui est, baptizatus, ablutus sanguine Christi, perrumpere et transire de judicio ad vitam, quid faciat monachus, qui sua morte, labore, per vota et religiones suas vult salvus fieri. Ibi nihil prosperum, quidquid feceris, vadit cursum cancri, ut solet dici. Sacerdotes Baal vulnerabant se lanceolis, perfundebant se sanguine, immolabant filios et filias. Achas rex Judä impiissimus quam horribiliter devotus fuit, nihil omisit religionum etiam externarum, ut placaret Deum, sed unicum remedium et via unica Christus, in cujus manu prosperatur Dei voluntas. Omnia nobis prosperrime succedunt, si apprehendimus Christum, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et cognitionis Dei absconditi. Voluntas Dei non prosperatur per nostras manus aut opera, sed per Christum, qui se dedit pro peccatis nostris, per hunc datur spiritus sanctus, ut perrumpamus. Non tamen sine labore aut dolore. Caro enim plumbea nos semper deorsum retrahit, et diabolus impedit. Ergo non fit cum risu, sed cum magna lucta, labore, difficultate, murmure, rebellione carnis, etiamsi spiritus est hilaris et promptus.

חֵפֶץ *) voluntas, studium, institutum, placitum

*) In edit. 1550: Hephetz. —

re significat hoc, quod volo facere, das ich gern zu, damit ich umbgehe, ut Ecclesiastes de muliere, uae etiam habet suum חֵפֶץ*), ut omnis actio habet ıum חֵפֶץ*). Ante tempus non fit, ut etiam dicitur, nnus**) producit fruges, non ager. Si in hieme res**), frustra laborabis. Omnia fiant oportet io tempore. Latini dicunt, veni in tempore, quod nnium primum est, caro vocat occasionem. gnificat ergo חֵפֶץ*) hoc, quod instituit facere, ἐν εὐδόκησε, sicut inquit de filio suo domino nostro su Christo. Hic est, filius meus dilectus, in quo mplacitum est mihi, ἐν ᾧ εὐδόκησα, id est, in io omne studium, voluntas, daran ich meines erzenslust habe und sehe, ut Johan. 6, Hoc est ıus Dei, ut credatis in eum. De illo studio est llicitus, in hoc misit filium, ut audiamus eum, et sic r eum restituantur omnia, quae sunt in coelo et in ra, usque ad tempus restitutionis omnium. Act. 3.

In hoc omnia sunt reposita, omnes thesauri pientiae et scientiae Dei, ac omnia per ipsum in ipso consistunt, breviter, omnia debent in eo capitulari, hoc est, studium et voluntas Dei, omnia filio nobis incarnato et revelato. Hoc modo procet et prosperatur, non obstante, quod satan sumis viribus et omnibus conatibus sese opponit, opimit omnes, qui unica syllaba fatentur filium i, occidit prophetas, apostolos, martyres, resistit nfessoribus, habet pro se magnam partem in rne nostra, ita ut videatur opus Dei impeditum se et infortunatum, non procedere.

---

*) In edit. 1550: Hephetz. **) In edit. 1550 legitur: mis — seret.

Lege tantum historias ecclesiae et videbis, quam varie hoc opus a diabolo saepe impeditum sit. Et tamen prosperatur semper, jam quinquies mille et 500 annis opus Dei. Quia scriptum est, per manum ejus voluntas Domini dirigetur. Etsi longe videatur contrarium, vide res gestas, tum dices cum propheta, Memor ero operum tuorum, et sic consolabor. Quia quadrigae tuae quidem in medio aquarum, diabolus adhaeret rotae et impedit. Nihil expetamus melius, quam quod accidit omnibus piis ab initio mundi. Sic accidit Adae, Noë, Abraham, quibus apparuit ita, quasi non solum impedita, sed etiam deleta. At perrumpit non per manum nostram, sed per ipsius Domini Jehova manum prosperatur.

Propter laborem animae suae videbit et iniquitates etc.

Iterum hic malitia, nequitia et horribilis invidia Judaeorum cernitur, qui confuderunt distinctionem et textum corrumpunt. LXX interpretes digni odio sunt. Non enim possum credere nec verum est, quod transtulerint et verterint Biblia ex spiritu sancto, nam apparet manifesta vanitas, nequitia et studium depravandi. Oportet nos ergo distinguere textum. Si anima sua se posuerit vel a labore, vel miseria animae suae videbitur et saturabitur. Oportet enim textum praecedentem cum sequenti concordare et et connecti. LXX, Si dederitis pro delicto etc. Et Dominus vult auferre de dolore animam ejus, ostendere lucem, justificare justum, quid vero hoc erit? Est impossibile, etiam recens aliquem institutum in ebraica linqua non videre depravatum esse tex-

ım data opera, ex mera malitia. Si LXX ita erterunt, fuerunt homines nequissimi, qui ludere intum voluerunt regem Ptolomaeum Philadelphum, nto studio et labore quaerentem versionem.

Ipsi corrumpunt et sensum et distinctionem, redo ideo sic vertisse, ut adigerent eum ad lariorem eleemosynam. Si dederitis pro delicto, id st, si sacrificabitis, diu vivetis, et Dominus vult ıferre dolorem. Haec non est prophetae sententı, qua vero impudentia audent proprium fingere ensum, et mutare verba et torquere, An hoc est ertere? Sic Esa. 9, Vocabitur nomen ejus magni onsilii; mirandus consiliarius. Haec enim sunt erba, ne quis putet nos ipsis injuriam facere, καὶ ιλεῖται τὸ ὄνομα αὐτοῦ μεγάλης βουλῆς ἄγγελος, αυμαςτὸς σύμβουλος.

Verum illud est studio et malitia depravare arissima verba, in quibus nulla obscuritas et difcultas est. Pro sex vocabulis, vocabitur nomen ıus etc. ipsi verterunt, magni consilii angelus. Ita ptimam et consolatione plenissimam sententiam ertunt, immo potius perverterunt. Ista studiosis braicae linguae commendo, ut observent, nec exısent aut admittant illorum somnia, ut Hieronymus ıtoritate publica excusat LXX interpretes.

Ego non excuso, nec video apostolos eorum ersione usos etiamsi apparet, quod eos legerint, od non sequuntur eam depravationem; ubi vident eviare LXX, apostoli potius apprehendunt Ebraicum xtum, ut in illo, Devoravit mors, ipsi verterunt, sa. 25, Paulus recte vertit 1. Corin. 15, Absorpta t mors, quamvis hoc loco vocabulum ita ponitur, sit aliqua species. Sed hic nullam speciem habet,

ut quivis, qui tenuiter attigit Ebraea, judicare potest. Haec non possunt excusari ex ignorantia facti, sed certa et aperta malitia.

Est ergo sententia, ut habet verus textus Ebraicus, propter laborem animae suae videbit, scilicet, cum gaudio, voluptate; significat enim verbum רָאָה*) hoc loco non subito intueri et desistere, sed cum mora et manendo in visione, ut Virg. inquit, Juvat usque morari. Sic ubique exposuimus, id est, cum voluntas Domini dirigetur, videbit longaevum semen, et tale, in quo delectabitur videndo, et non solum delectabitur, sed usque ad satietatem copiose videbit, ut Psal., Satiabor, cum apparuerit gloria tua; item Psal. 115, Implebis cum laetitia, tum vultu tuo, delectatione in dextera tua, id est, cum voluptate et copiose videre, id est, Christus videbit fructum passionis, resurrectionis, ecclesiam victricem mortis, peccati, diaboli, cum magna voluptate videbit prostratum peccatum, mortem absorptam, strangulatum diabolum. Nec solum ipse ad saturitatem videbit, sed etiam vos cum ipso.

Subinde repetit Christi passionem propheta, ut fere totum caput nihil aliud fuit quam repetitiones, sed tamen ut semper aliquid addat, scilicet, quod mortuus propter peccata, non decor in eo, contemptissimus, abjectissimus virorum. Languores nostros tulit et morbos. Disciplina pacis super eum etc. Ita etiamsi sint repetitiones merae, tamen semper aliquid accedit, ut hic posuit animam suam pro delicto, ut videat semen longaevum. Anima ejus laboravit, fuit afflicta, ut videat gaudium, voluptatis satur et plenus gaudiorum.

*) In edit. 1550: Raah.

Propheta stupet et admiratur illam incredibilem dignitatem, quod pater mittit filium, et inenarrabile consilium Dei, quod sinit eum exscindi, fieri novissimum virorum, idque propter nostra peccata. Ideo cogitur ad copiam et amplificationes. Est enim propheta Esaias hoc in loco valde eloquens, qui potest eandem rem aliis atque aliis verbis et modis eloqui. Hi sunt veri rhetores, qui eandem rem dicere norunt aliis atque aliis verbis subinde et modis, ac semper tamen aliquid addere significantius. Hoc possunt summa ingenia et summae eloquentiae viri, immo videbit suam voluptatem, atque equidem ad saturitatem, et omnes sui credentes cum eo, quia factus est victima, sudavit sanguinem nostro magno bono, et suo magno gaudio. Ipse victor laetabitur, qui est nostra vita, justitia, salus, nos ei gratias agemus, quod est excisus de terra viventium, mortuus, et ita victor factus; quomodo autem saturabitur et videbit suam voluptatem?

In scientia sua justificabit servus meus justus multos.

Ibi tribuit ei nomen servi iterum qui tamen est Deus, et faciens opus Dei, ac voluntatem Dei implens. Ipse servus meus justus, de quo supra dixit, peccatum non fecit, nec est inventus dolus in ore ejus, immo tantum optima fecit, salutaria loquutus, nihil dignum poena in eo, et tamen ille innocentissimus juvenis mortem patitur crudelem. Non est justificatus hac morte sua a peccato. Est innocens, agnus immaculatus, conceptus e Spiritu sancto sine omni peccato, sed sibi non servabit hanc justitiam hic servus patiens, Sed illa contri-

tione, qua contritus est a Deo innocens, sanctus, hac inquam servitute et obsequio non sibi, nec propter se fuit servus, sed in hoc Dei servus fuit, ut et hac servitute justificaret multos.

Is fructus est passionis suae, justos et salvos facit a morte, peccato, liberos a potestate diaboli. Hoc est servi hujus officium, ut in sua passione serviat nobis. Quae est ratio, quod nos justificat? quomodo, qua via pervenimus ad fructum et finem hujus operis? Nulla alia via et ratione, nisi in anima sua vel notitia. Sic et Petrus exponit, et recte, Crescite in cognitione Domini nostri Jesu Christi.

Illam cognitionem scientiam Septuaginta verterunt. Haec notitia est ipsa fides, non tantum historica, qua diabolus et credit, et Deum praedicat, quemadmodum etiam haeretici, sed est agnitio experimentalis, et fides significat hoc vocabulum, Cognovit Adam uxorem suam, id est, sensu cognovit, expertus eam suam uxorem, non speculative aut historice, sed experimentaliter, inde etiam ipsum verbum יָדַע*) saepe vertitur pro doctrina, id est, vera, viva cognitione, non tantum qua audio et narro, sed qua apprehendo, innitor et sector hanc cognitionem, quod intrat in cor, ut sperem et non dubitem, ac quiescam et confidam, quod Christus pro me sit passus. Hoc non facit historica fides, non addit hanc experientiam sensitivam et experimentalem cognitionem. Dicit quidem, Credo quod Christus passus sit atque etiam pro me, sed non addit hanc sensitivam, experimentalem. Vera autem fides hoc statuit, Dilectus meus mihi, et ego appre-

*) In edit. 1550 legitur: Juda.

ndam eum cum laetitia, ut Simeon canit, Nunc
mittis servum tuum, Domine. Erat visio non tan-
m speculativa, sed experimentalis, qua movetur
m anima tum corpus sentit innovationem quan-
m et motum vitalem.

Altera fides audit quidem, sed nihil movetur
r, Jacob. 1, Qui audierit, est sicut contemplans
eculum.

Audiens de Christo, non habens fidem veram,
d spumam illam et superficialem, perinde est ut
iens a speculo, quo se contemplatur. Sed qui
re credit, cui spiritus cor tangit, retinet hoc et
ntit complacentiam. Igitur vides apostolos dis-
xisse de fide, non de superficiali transeunte et
hil efficiente, sed vera, quae gustat suavitatem
ei, ut hic loquitur, in anima, id est, experimen-
li, vera, viva cognitione sui justificabit multos.
eo enim mortuus est, resurrexit, implevit, fecit
nnia, ut tu in eum crederes et salvus fieres.

Scientia sua

Potest enim intelligi active, quia certe est ejus
num haec fides, ut hoc beneficium ex toto corde
nplectamur, et cor incipiat stupescere, ut sentiat
um motum, non a se, sed a Christo, Num hoc
rum? Incipit cum stupore magno admirari, Ego
eccator debeo hoc credere. Certissime tamen ali-
r inspicis Christum quam antea, saturaberis et
lectaberis in eo et vicissim et ipse in te.

Justificabit multos.

Loquitur more Pauli, Rom. 5, utitur hoc voca-
lo multos, hoc loco omnes, est in relatione unus

peccavit, unus justus, et multi justificantur. Nulla differentia est inter multos et omnes. Justitia Christi unigeniti filii Dei, domini ac salvatoris nostri, tanta est, ut infinitos mundos possit justificare. Justificabit multos, inquit, id est, omnes. Intelligatur igitur de omnibus, quod offerat omnibus suam justitiam, quam omnes consequuntur, qui in Christum credunt, juxta illud, Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, et Johan. 6, Haec est voluntas ejus, qui misit me, Patris, ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die. Haec est voluntas patris mei, qui misit me, ut omnis, qui videt filium et credit in eum, habeat vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.

Et iniquitates eorum portabit.

Iterum repetitio seu amplificatio et copia prophetica, Quare? quae causa? modus aut forma illius justificationis est, cognoscere Christum crucifixum, is modus, quo pervenitur ad justitiam, est justitia sua justificare, non tua opera.

Sed causa est, quod iniquitates omnium portat, nemo enim portat sua peccata, potest etiam intelligi de reliquiis peccatorum, at tamen melius est de toto peccato intelligi. Reliquiae peccati sunt quidem in sanctis, et tamen illis cooperantur in bonum, Rom. 8, Si tantum repugnant, peccatum non nocet, etiamsi adsit in carne peccatum, nec mortuum complectamur igitur totum peccatum. Abundat eloquentia prophetica et copia, ut non possit satis inculcare hoc mirabile opus Dei, quod filius Dei pro miseris peccatoribus passus est.

Denique hic locus non satis potest explicari, justus ipse servus justificabit multos, et iniquitates multorum ipse portavit, complectitur enim in summa totum evangelium, estque copiosissime tractatus et explicatus per apostolos et evangelistas, et ab ecclesia vera, incipiendo a tempore pentecostes, quo nihil aliud dictum et agitatum, quam hic locus, Servus meus justus etc. Ex fide Christi justi; Ecclesia hunc articulum profitens mansit in fide, et fides alio tempore est clarior, alio obscurior. Ipse dixit, Vobiscum ero usque ad consummationem seculi. Sine isto articulo non stat ecclesia, Mahomet quidem vastavit ecclesiam, et papa obscuravit doctrinam de fide, sed ubi iste articulus mansit, ibi Deus conservavit ecclesiam.

Non opus est omnia indicare, quae sunt in novo Testamento, diligenter inculcat propheta istam passionem Christi, factam propter peccata nostra, et tamen nihil profectum est, nec hodie nisi apud ecclesiam. Non solum de persona dicit clarissime, sed etiam de causa, quod propter nostra peccata percussus et passus sit, ut abjiciat omnia, templum, ceremonias, legem, et omnes cogitationes humanas de justitia, et illis exclusis statuamus per unum aeternum salutem et vitam aeternam nos consequi, ita, ut non tam pugnet hoc caput contra peccatum, quam contra justitiam.

Dividam et dispertiam spolia inter multos etc.

Iste locus placuit domino nostro Jesu Christo, et huc respexit in evangelio, ubi loquitur de forti armato, Luc. 11, Ubi venerit fortior, et dividet

spolia. Et est gratissima pictura. Non loquitur de temporali potentia, quasi potentes etiam pertineant ad illam victoriam, sed potentia herilis nihil ad hanc victoriam, Christus enim non tollit oeconomiam vel politiam, immo confirmat eam per apostolos, Ephe. 6, Parentes, educate liberos, mariti, diligite uxores: item 1. Petr. 2, Estote subditi, tanquam praecellenti regi, praesidibus ab eo missis, et Rom. 13, Propter conscientiam obedite. Ideo non cogitandum, prophetam, ut Judaei somniant et insaniunt, de regno temporali et spoliis humanis loqui.

Toties enim repetita est in hoc capitulo particula, propter peccata, morbos, iniquitates etc. non dicit, propter paupertatem et contemptum, gravia et impossibilia nobis sunt peccata, mors, inferni nostri, quae a nobis nec vinci nec tolli possunt.

Dispertiam ei.

Utitur verbo militari seu castrensi, ut cap. 9, Laetabuntur ut in messe, et ut exsultant victores tum, cum dividunt spolia. Loquitur autem de divisione magnarum praedarum et maximorum spoliorum, non tantum regum, sed et subditorum cum principibus et regibus, adeoque totius generis humani. Ibi magis utitur רַבִּים, עֲצוּמִים *) Si enim simpliciter esset potentia intensiva, potuisset aliis vocabulis uti, quam significant robur, potentiam, fortitudinem. רַבִּים*) proprie significat groß scilicet quantitate et qualitate, ein gros mächtig Volk dicitur Germanice, non significatur fortitudo personalis, sed

*) In edit. 1550: Rabbim, Azumim.

magnitudo et multitudo, robur populorum et regnorum. Sic hic loquitur עָצֻם*) Ich will ihm einen großen mächtigen Haufen zubringen. Item sic de Abimelech, cum ejicit patriarcham, Isaac recede a me nobis, quia fortior factus es nobis, non de personali virtute aut fortitudine, sed quod sit multiplicatus, auctus gregibus, familia et sociis.

Sed tamen etiam includitur personalis fortitudo, quamvis magis sonat de quantitate, ut dixi, tamen illa virtus quoque includitur. Respicit enim ad diabolum, mundum, peccatum, mortem, legem, quia oportet nos facere victoriam Christi universalem, quod simpliciter omnia vicit, quae sunt magna, fortia et multa. Habemus infinitos diabolos contra nos, peccata, mortem, רַבִּים et עֲצוּמִים**), ut supra cap. 9 sunt discripti hostes per sceptrum, jugum et virgam. Hic revera sunt fortes multi et magni, contra quos Christus pugnat, non contra politias aut oeconomias, quas non vult destruere, sed vult opera diaboli, scilicet peccata et ipsam abolere legem, quamvis hoc in subtili intelligentia, quomodo fiat, dixi capite 9, Ipsam legem Dei oportet vincere eum, ut ait apostolus 1. Cor. 15, quia est virtus peccati. Hanc virtutem necesse est destrui, destructa enim ea, destruitur peccatum, eo destructo destructa est et mors, hac destructa et abolita omnis potentia inferorum et diaboli destruitur. Ideo ait Esaias capite 49; Numquid rapietur praeda a forti, robusto, gibbor, Nimrod et quis rapiet justi captivitatem?

Latinus interpres timuit uti vocabulo (justi),

*) In edit. 1550: Azam. — **) In ed. 1550: Rabbim — Azumim.

intellexit, superficialiter de rege Babyloniorum, id est, hoc quod justus captivum coepit. Et hoc quis potest? Nobis impossibile est spoliare diabolum, rapere praedam ex lege, et justam tyrannidem, quam habet lex in nos, qua etiam sumus justi damnati, ut Paulus dicit, Lex justa, sancta, bona, nunc autem justum factum est minus in malum. Ergo quod facit lex, facit summo jure. Quis rapiet igitur captivitatem, quam habet lex tyrannus ille maximus? Respondet Christus, Ego salvabo filios tuos, praeda equidem vel spolium rapietur tyranno et captivitas.

Ibi significat Esaias robustos, quem antea vocavit justum, ergo non loquitur de captivitate Babylonica, sed de illa liberatione, de qua solet libenter loqui, qua liberatur homo peccator a lege, morte et peccato, ut Paulus, Stimulus mortis peccatum. Hic consistunt tres hostes, quos vinci necesse est, et quibus deletis manet politia et oeconomia, lex videlicet maximus tyrannus, peccatum et mors, his, inquam, ablatis, manent omnia. Diabolus autor est peccati, qui fecit nos praevaricari, habet etiam legem pro se, quae est ejus patronus, damnans genus humanum. Sic habet justitiam pro se, gaudens et hominem totum damnatum esse lege, quia et ipse damnatus. Quis hic liberabit? Ego, inquit, salvabo et cibabo hostes tuos sanguine suo. Haec sunt verba Domini in Esaia; sic ego ibi intelligo locum. Dividam ei regnum diaboli, peccati, mortis, et ipse omnia dividet. Judaei intelligunt de Messia, tanquam de instrumento. Sed Esaias habet pro Domino, qui facit idem opus, quod pater ipse, id est, ipse omnia dividet spolia, prae-

dam robustorum. Duae personae, idem opus dividentis illud spolium horrendi et metuendi diaboli, peccati et mortis. Hi sunt mihi magni et potentes. Dividam regnum mundi et diaboli potestatem, et ipse etiam dividet in praedam, victoriam et gloriam, quod is vocabitur victor mortis, peccati, legis et omnium malorum.

Vide, qualis tyrannus lex, peccatum, mors, magna eorum potentia est, infinita multitudo morientium et peccantium etc. Hic ergo alius victor est, quam Hercules aut Theseus, qui conficiet alia monstra, quam leones, ursos. Hic sunt leones peccatum, mors, diabolus, mala conscientia, accusatio legis. Quomodo autem hoc faciet? sic, ut moriatur pro peccatis totius mundi, et morte sua spiritum sanctum impetrabit, illumque effundet in orbem terrarum, et dividet spolia mortis, peccati, legis, inferni, diaboli, liberabit a lege accusante, a conscientia mala. Ista vero liberatio erit, ut non terreat memoria peccati, nec facie mortis, nec curem diabolum, sed et illudere possim legi et dicere, Lex noli me accusare, non sum tibi debitor aut reus, Mors, diabole, abi, per quid? Meas satisfactiones et rasuras? minime, sed per illum, de quo dicitur, Ipse iniquitates eorum portavit, victus diabolus, peccatum, et lex damnatrix et accusatrix, et parta libertas et securitas per filium Dei, qui pro me mortuus est, qui factus est maledictum, tulit peccata mea. Sic hic multa spolia istius tyranni dividet. Semper hoc inculcat et repetit diligenter Esaias.

Ergo discamus non fieri liberationem propter nostras justitias aut opera, quae fecimus, sed se-

cundum misericordiam suam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis et renovationis spiritus sancti, ad Titum 3. Apostoli conveniunt, ac pulcherrime tractant hunc locum. Audientes ergo et credentes has promissiones impletas in hoc filio Dei accepimus spiritum sanctum, qui laetificat corda nostra. Hic est usus discentis, ut possit laetari, exsultare, illudere etiam legi et morti. Ubi est mors aculeus tuus? ibi dividemus spolia, et insultabimus legi, dicentes, Bona es quidem, sed me non debes accusare. Lex contra ait, An non es in carne peccati? Verum, sed justus sum, non quatenus sum filius Adam, sed quia Christus filius Dei unigenitus portavit iniquitates meas, vulneratus est propter peccata mea, illum oppono, ibi cogitur obmutescere, illum non accusat nec damnat. Immo ipse Christus Dominus omnium habet potestatem accusandi et damnandi diabolum. Est enim injuste occisus per legis sententiam. Resilit ergo et dicit, Nihil possum facere tibi, cum credis in Christum. Hoc ego audio et accipio fide, et in hac consistens salvor. Quis tam indigna facit, patitur, vulneratus, passus, percussus est, effudit etiam in mortem animam, et cum sceleratis reputatus, factus maledictum. Ibi lex venit ei in cervicem.

Effundere hebraica phrasis est, in vel ad mortem animam suam, veluti saccus vel aliquod vas pure effunditur, ut haec sit sententia, Dedit animam suam tam alte in mortem, ut nulla guttula reliqua fuerit vitae, id est, nulla simulatio mortis, sed verissime mortuus est, ut alius homo, non falsis opinionibus, ut fingunt Mahometem non esse mortuum, sed raptum. Et haeretici nugati sunt Simo-

nem Cyrenensem pro Christo crucifixum esse, sed ista persona, quae fuit brachium Domini, pure, vere mortua est. Haec non sunt facilia creditu, pugnant haeretici, ut dictum jam est, non vere mortuum esse. Sed Esaias affirmat, quod verissimus Deus et homo mortuus sit, ergo excepto proprio peccato tribuunt ei proprie omnia, quae sunt humanae naturae, quia perfectissima natura humana perfecte mortuus, passus, flagellatus et tentatus perfectissime ut nos.

Sic etiam maximus peccator est, ut nullus sit major in toto genere humano, quam filius Dei, adeo ut vocetur peccatum, immo piaculum, catharma, peripsema et, ut Esaias ait, delictum pro peccato, tantus est peccator Christus, ita tamen, ut hoc intelligatur non de proprio, sed alieno, id est, nostro peccato, ut supra saepe dixit, pro nostris peccatis, propter nostra delicta percussus est.

Nostrum peccatum est, quod ei fuit alienum, non habuit, nec fecit, factum est ei proprium propter caritatem, qua nos amplexus est. Hoc portavit, et propter illud passus est, tamquam ipse fecisset, qui tamen fuit innocentissimus, immaculatus, agnus ab initio mundi praecognitus, statim post lapsum primorum parentum, Adae et Evae promissus, semen mulieris, ut ferret et tolleret peccatum, non tamen proprie suum, sed nostrum, ut in Psal. ait, Miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi. Comprehenderunt me iniquitates meae, ubique confitetur peccatum totius mundi tanquam suum, sed tamen, ut dictum jam est aliquoties, non suum proprie, sed factum suum, scilicet per inaestimabilem et ineffabilem caritatem, qua voluit pro nobis fieri victima.

Res tantae sunt, ut merito clamet, Quis credidit auditui nostro, quod unigenitus filius Dei fiat non solum homo, sed ita, ut fiat peccator maximus, loco omnium hominum, ut omnes, qui credunt in eum, liberi sint a servitute legis, a jure summo diaboli, peccati et mortis. Ideo subjectus legi, peccato, morti, cum non esset debitor, sed dominus illorum omnium. Ibi effusa est inaestimabilis caritas, quae a nulla creatura potest satis cogitari et laudari.

Ideo venit, ut dispertiat praedam, liberet populos multos, idque meruit non tantum virtute propria, qua erat justus, sed etiam juste ac jure, ut lex incidens in eum et accusans peccatorem juste damnaret et etiam nos a maledictione legis redimeret, quia se nobis adjunxit et nobis copulatus est. Et coram Deo suscipit in se peccata omnia. Ita accusat et damnat eum lex velut peccatorem. Sed ubi putabat se habere comprehensum et jam ita morti adjudicatum, ut elabi non posset, resurgit victor mortis et affigit legem cruci, Coloss. 2.

Ita est damnatus cum sceleratis.

Haec est propria virtus legis, quae tantum damnat sceleratos, non justos. Et dicitur similis filius Dei omnibus modis iis, qui damnati lege sunt; juxta legem dicitur sceleratus, impius, sacrilegus, qui contra legem peccat, qui suspenditur inter duos latrones, et idem est ac si suspenderetur inter omnes. Ideo reputatur non tantum cum his duobus, sed cum omnibus. Lex comprehendit eum et conclusit, ita mors, peccatum, diabolus, infernus habent et damnant eum tanquam sacrilegum.

Quid autem fit? resurgens a morte, audiunt*), Ego sum filius Dei, sum innocens et justus, seduxisti Adam in paradiso, suscepi peccata totius generis humani in me et feci me victimam pro eis, quid habes juris in me? Nescivi te esse filium Dei; sed olfecisti, quod innocens sim et Dei filius, ut in evangelio cogitur, fatetur justum et sanctum, cum dicit, Quid nobis tecum etc. Quare ergo occidis me? putabam te similem Joanni Baptistae aut alii sancto prophetae, sic ars artem fallit. Ibi cogitur dicere satan et mors, Nos peccavimus, accusavimus innocentem personam, occidimus insontem. Ego lex filium Dei similem feci ceteris latronibus. Audias igitur te vicissim damnatam et fatearis te innocentem occidisse. Sic ut jam non solum peccaveris in personam innocentem, sed in filium Dei. Sic mors sese occidit, diabolus sese strangulavit, infernus sese spoliavit.

Hoc est quod dicit Esaias cap. 49, Filios tuos salvabo et hostes cibabo suo sanguine. Diabolus, mors, peccatum se ipsas consumunt, quia damnabiles in conspectu Dei suo ipsorum judicio et sententia. Ergo nec nos possunt in Christo occidere, qui in Christum credimus. Ista victoria per Christum parta, mirabile opus in incarnatione Christi, quod est ineffabile donum, inenarrabile consilium, nisi quantum pro confirmanda fide et aeterna vita, tamen de eo loquendum est.

Et peccata multorum tulit.

Semper idem repetit, reputatus pro scelerato, peccator, portat iniquitates omnes, verum est, sed

*) In edit. Wittemb.: resurgentem a morte dicere audiunt.

Esaias dicit, Est mirabilis peccator, in hoc quod est peccator portat non sua peccata, sed aliorum. Hoc non faciunt alii homines. Omnes homines sunt justi, nullum peccatum, aut mors in nobis est. Solus filius Dei est peccator, sceleratus, reus mortis, sub potestate diaboli et inferni, et praeter ipsum nemo alius. Ergo jam non in nos ipsos intueamur et consideremus peccata. Sed tanquam nihil de iis scientes convertamus nos ad hunc singularem Michael, id est, quendam qui est sicut Dominus, in hunc credimus, scimus eum nostra peccata tulisse, nec solum hoc, sed etiam ex morte resurrexisse, ascendisse ad coelos et sedere ad dexteram Patris et effundere spiritum sanctum et facere omnes sanctos, justos, dare vitam et justitiam. Hoc videndo nihil vides peccatorum, fuit reputatus inter sceleratos, resurrexit pro nobis. Sic jam in Christo et in nobis credentibus nullum est peccatum. In carne quidem nondum est prorsus expurgatum, tamen non imputatur, Rom. 8. Sed capitale nostrum et principalis pars est Christus ipse, in quo prorsus sine peccato et morte erimus corporaliter, cum vermes jam hanc mortem, peccatum et miseriam corporis nostri comsumserunt.

Addit jam Esaias, ut videamus, aliena, non sua peccata eum portare. Et quod ista mirabilia opera facit, non propter nostram justitiam, sed propter suam passionem, ideoque aliquoties eam repetit, neque id sine gravi causa facit. Ideo enim facit, ut sciamus, hoc fuisse Dei consilium, nos non justificari nostris operibus, virtutibus, lege, sed sola fide hujus Christi. Vidit Esaias Judaicae gentis gloriationem contra hanc doctrinam de lege, templo,

sacerdotio, ideo toties repetit, Propter peccata nostra percussum etc. Videmus, quantum negotii sit in politia cum justitia illa legali, et juristarum, non quod mala sit, quia lex bona, sed legitime utenti. Abusus malus est, quia in justitia et sapientia gloriatur hypocrita, tanquam in re, quae etiam coram Deo valeat. Ideo dicit: Quis credit? quam pauci, non sapientes, justi, magni, sed stulti, peccatores, publicani. Sic mundus tantum quaerit, et nititur sua justitia formali, parta suis viribus, quamvis ea est etiam satis exigua et infirma, et opponit quaecunque potest dicta de operibus, Date eleemosynam, et omnia erunt munda; item, Redime peccata tu eleemosyna, Daniel 4, ut has et similes sententias Esaiae de Christo evertat, et statuat suas justitias satisfacere pro peccatis, nec solum pro suis, sed etiam aliorum, devorantes peccata mundi tanquam ille agnus Dei.

Ista docuimus contra Esaiam, verba etiam cum legebamus in templis, et hoc fecimus promittentes nos primum pro nostris peccatis satisfacere, deinde pro peccatis mundi, neglectis his clarissimis solibus et vibrantibus fulminibus, quibus dicitur, omnes esse peccatores nullum justum, solum Christum justum et victorem peccati. Huc ergo respicias, quando vis peccatum vincere, quasi nullum sit peccatum in mundo, nisi hujus agni Dei, qui portat totius mundi peccata.

Et pro transgressoribus rogavit.

Etiam hic textus est contra Judaeos. Tantas injurias tulit, peccatum non fecit, innocentissimus plectitur, innocentissimus effudit sanguinem. Et ta-

men reputatur omnium judicio tanquam seditiosus, hoc valde dolet, et tamen non est cupidus vindictae, cor ejus non cogitat de hac re, non maledicit, non optat crucifigentes se damnari aut puniri hoc ipso deterrimo peccato, sed hoc etiam condonat. Hanc reciprocationem peccatorum in sese fecit, non solum omnium peccatorum, quae sunt mundi, sed etiam illorum, qui ipsum crucifigunt, sicut inquit Lucae 23, Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt. Hoc non est humanum aut consuetudo mundi, ubi moriuntur cum indignatione et voto saltem ulciscendi. Sed hic filius Dei aliter se gerit orans pro crucifixoribus, ut ait evangelista, cor ejus plenum est caritate, misericordia, lenitate. Est mansuetus et mitis, optime cogitat et vult eis. Quo enim magis oderunt eum, saeviunt, venenatiora corda habent, eo magis dulcescit in corde erga eos. Quis autem credit hoc?

Hactenus de quinquagesimo tertio capite Esaiae, agamus Deo patri domini ac redemptoris Jesu Christi gratias, et petamus ardentibus votis, ut confirmet Deus, quod dedit et operatus est in nobis. AMEN, AMEN.

